TRIENNIUM PHILOSOPHICUM QUOD P. ANDREAS SEMERY...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 B
27
56.e.

14-20-c-16

TRIENNIUM
PHILOSOPHICUM
QUOD

P. ANDREAS SEMERY REMUS
E Societate IESU

In Collegio Romano

Philoſophiæ iterum Profeſſor
dictabat

Secunda hac editione ab
Authore recognitum
& auctum.

Annus Secundus.

VENETIIS, M. DC. LXXXX.

Typis Io: Baptiſtæ Tramontini,
D. Rocchi, Sub Signo Nobilitatis.
Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Lectori beneuolo

BILIOPOLA

TRiennalem Philosophiæ cursum iam ante aliquot annos tibi exhibitum, amice Lector, meis hice typis iterari oportuit, vt eorum votis fieret satis, qui ad difficiliora humanæ sapientiæ mysteria duci se volunt via haud difficili, labore non improbo. Habes autem hunc suos ita distributum in annos, vt nulla ex tribus scientijs quæ toti cursui nomen imponunt sine aliarum consortio prodeat, sed metaphysica physicis, vtrisq; logicam ex more iam in hac Romana Academia recepto promiscua videantur, tur; commodo,

ni ſallor, tuo: cui quæ ſingulis annis agitari ſolent in ſcholis, ſingulos diuiſa dantur in Tomos. Feciſſe vero me rem tibi gratam vt velim, ſic tu tuo ſtudio ac humanitate fac intelligam. Vale.

IN-

INDEX QVÆSTIONVM.

DISPVTATIO PRIMA.

De principijs corporis naturalis.

Qu. 1. *DE ratione principij vt sic.* pag. 2.

Qu. 2. *De principijs intrisecis corporis naturalis.* 13.

Qu. 3. *De compositione corporis naturalis.* 32.

DISPVT. II.

De principiis coporis naturalis in particulari.

Qu. 1. *DE quidditate & proprietatibus materiæ primæ.* 75.

Qu. 2. *An, & quomodo materia sit pura potentia.* 92.

Qu. 3. *An in rebus creatis essentia realiter distinguatur ab existentia.*

Qu. 4. De potentia materiæ ad formas. pag. 154.
Qu. 5. An materia omnium sublunarium sit vna. 162
Qu. 6. De appotitu materiæ ad formas. pag. 167.
Qu. 7. An materiam possit esse sine omni forma. 211.
Qu. 8. De forma. 222.
Qu. 9. De priuatione. 237.
Qu. 10. De Vnione. 266.

DISPVT. III.

In Aristotelis libros de natura, & arte.

Qu. 1. DE Natura. 299.
Qu. 2. De Violento. 311.
Qu. 3. De Arte. 319.

DISPVT. IV.

De causis extrinsecis.

Qu. 1. DE causa efficiente. 328.
Qu. 2. De subiecto actionis. 334.

Qu. 3.

Qu. 3. *De causa finali.* 244.
Qu. 4. *An omnia agentia agant propter finem.* 262.
Qu. 5. *De Causa exemplari.* 266.
Qu. 6. *De causis per accidens.* 375.

DISPVT. V.

De causis intrinsecis.

Qu. 1. *Quomodo materia causet formam.* 281.
Qu. 2. *Quomodo materia & forma causent totum.* 391.
Qu. 3. *An eadem actione producantur & vnio et forma.* 397.
Qu. 4. *De Toto.* 401.
Qu. 5. *De Subsistentia.* 413.
Qu. 6. *De prioritate naturæ.* 437.

DISPVT. VI.

De Motu.

Qu. 1. *De quidditate & proprietibus motus.* 477.

DIS-

DISPVT. VII.

De loco, & tempore.

Qu. 1. DE quidditate & proprietatibus loci. 493.

Qu. 2. De penetratione corporum. 501.

Qu. 3. De replicatione. 504.

Qu. 4. De loco intrinseco. 528.

Qu. 5. An extrema simul vnita sint separatim replicabilia. 53[illegible]

Qu. 6. De Vacuo. 55[illegible]

Qu. 7. De Tempore. 57[illegible]

Qu. 8. De Tempore intrinseco. 580.

Qu. 9. De nunquam & nullibi creaturæ existentis. 588

DISPVT. VIII.

De Infinito.

Qu. 1. QVid sit & quotuplex infinitum. 604

Qu. 2. De creatura omnium possibilium perfectissima. 61[illegible]

Qu. 3. An sit possibile infinitum. 61[illegible]

DIS-

DISPVT. IX.

De Quanto.

Qu. 1. D*e quiditate & effectu formali quantitatis.* 660.

Qu. 2. *De compositione continui.* 668.

DISPVT. VLT.

In Libros de Mundo & Cœlo.

Qu. 1. A*N Mundus sit vnus & per-* [illegible]

Qu. 2. *De partibus mundi.* 728.

Qu. 3. *De Systemate vniuersi.* 732.

Qu. 4. *De Cœlo.* 737.

Qu. vlt. *De Aeternitate Mundi.* 765.

Ioannes Paulus Oliua Præpositus generalis Societate Iesu.

CVm Trienuum philosphicum P. Andreæ Semery Remi nostræ Societatis Sacerdotis aliquot Societatis nostræ Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem facimus vt typis mandetur, si ijs ad quos specat videbitur, cuius rei gratia has litetas manu nostra subscritpas ac Societatis nostræ sigillo munitas damus.

Romæ 1. *Octobris* 1681.

Ioannes Paulus Oliua.

IN ARISTOTELIS LIBROS PHYSICORVM, SEV DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

Titulus ipſe, quo rerum naturalium diſciplinã Naturę genius Ariſtoteles inſigniuit; quanti mométi illa ſit ſatis ſuperque demonſtrat. Dum enim libros, quibus Phyſicorum ſcientiam compræhendit acroamaticos inſcripſit, hoc eſt auſcultatorios, arrectis eorundem explicationem auribus, mente arrectiori exci-

piendam esse suis auditoribus indicauit. Id verò eos præstare decet liberaliter, & libenter qui id sibi cum Philosopho proposuere hoc anno, vt rerum sensibus nostris patentium latentes causas, & inquirant diligenter, & feliciter assequantur. Agimus igitur hoc anno de Ente naturali, inquirendo primo eius principia, & causas; deindè proprietates, effectus, & alia, quæ ad totius naturæ perfectam intelligentiam ducunt. Et quia in octo libris Physicorum de ijs dumtaxat agendum est, quæ sublunaria sunt: ijs libros de Mundo, & Cœllo superadere oportet vi cælum, & terra, & quicquid vtriusq; ambitu continetur in nostrorum Auditorum notitiam veniat. Nihil autem dicturi sumus, nihil docturi gratis. Speramus enim laboris nostri mercedem amplissimam: discipulos sapientes.

DISPVTATIO I.

De principijs corporis naturalis.

QVÆSTIO I.

De ratione principij vt sic.

ARTICVLVS I.

Quid sit esse principium.

DEFINITIONEM Principij traditurus Aristoteles 5. Metaph. capit. varias principiorum species prius enumerat, quorum alia sunt principia rei in fieri, alia in facto esse, alia incognosci. His enumeratis sic concludit: *Omnibus igitur principijs commune est esse primum vnde quidpiam est, aut fit, aut cognoscitur*. Vt ab vltimo incipiamus: principia, vnde aliquid cognoscitur, seu principia in cognoscendo sunt suppositiones, vt ait Philosophus, seu axiomata, seu propositiones, ex quibus scientiæ suas eruunt conclusiones; putà apud Mathematicos est primum principium, *Omnis linea potest secari bifariam*. In Physica: *Omne alterabile est corruptibile*. In omni scientia, immò apud omnem intellectum: *Quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius*

ni fallor , tuo : cui quæ ſingulis annis agitari ſolent in ſcholis, ſingulos diuiſa dantur in Tomos . Feciſſe vero me rem tibi gratam vt velim , ſic tu tuo ſtudio ac humanitate fac intelligam . Vale .

IN-

INDEX QVÆSTIONVM.

DISPVTATIO PRIMA.

De principijs corporis naturalis.

Qu. 1. *De ratione principij vt sic.* pag. 3.
Qu. 2. *De principijs intrisecis corporis naturalis.* 13.
Qu. 3. *De compositione corporis naturalis.* 32.

DISPVT. II.

De principiis coporis naturalis in particulari.

Qu. 1. *De quidditate & proprietatibus materiæ primæ.* 75.
Qu. 2. *An, & quomodo materia sit pura potentia.* 92.
Qu. 3. *An in rebus creatis essentia realiter distinguatur ab existentia.*

Qu. 4. De potentia materiæ ad formas. pag. 154.
Qu. 5. An materia omnium ſublunarium ſit vna. 162
Qu. 6. De appotitu materiæ ad formas. pag. 167.
Qu. 7. An materiam poſſit eſſe ſine omni forma. 211.
Qu. 8. De forma. 222.
Qu. 9. De priuatione. 237.
Qu. 10. De Vnione. 266.

DISPVT. III.

In Ariſtotelis libros de natura, & arte.

Qu. 1. De Natura. 299.
Qu. 2. De Violento. 311.
Qu. 3. De Arte. 319.

DISPVT. IV.

De cauſis extrinſecis.

Qu. 1. De cauſa efficiente. 328.
Qu. 2. De ſubiecto actionis. 334.

Qu. 3. *De causa finali.* 344.
Qu. 4. *An omnia agentia agant propter finem.* 362.
Qu. 5. *De Causa exemplari.* 366.
Qu. 6. *De causis per accidens.* 375.

DISPVT. V.

De causis intrinsecis.

Qu. 1. *Quomodo materia causet formam.* 381.
Qu. 2. *Quomodo materia & forma causent totum.* 391.
Qu. 3. *An eadem actione producantur & vnio et forma.* 397.
Qu. 4. *De Toto.* 404.
Qu. 5. *De Subsistentia.* 413.
Qu. 6. *De prioritate naturæ.* 437.

DISPVT. VI.

De Motu.

Qu. 1. *De quidditate & proprietibus motus.* 477.

DIS-

DISPVT. VII.

De loco, & tempore.

Qu. 1. *DE quidditate & proprietatibus loci.* 493.
Qu. 2. *De penetratione corporum.* 501.
Qu. 3. *De replicatione.* 504.
Qu. 4. *De loco intrinseco.* 528.
Qu. 5. *An extrema simul vnita sint separatim replicabilia.* 538.
Qu. 6. *De Vacuo.* 558.
Qu. 7. *De Tempore.* 578.
Qu. 8. *De Tempore intrinseco.* 580.
Qu. 9. *De nunquam & nullibi creatura existentis.* 588.

DISPVT. VIII.

De Infinito.

Qu. 1. *QVid sit & quotuplex infinitum.* 604
Qu. 2. *De creatura omnium possibilium perfectissima.* 611
Qu. 3. *An sit possibile infinitum.* 619

DIS-

DISPVT. IX.

De Quanto.

Qu. 1. DE quiditate & effectu formali quantitatis. 660.
Qu. 2. De compositione continui. 668.

DISPVT. VLT.

In Libros de Mundo & Cœlo.

Qu. 1. AN Mundus sit vnus & perfectus. 724.
Qu. 2. De partibus mundi. 728.
Qu. 3. De Systemate vniuersi. 732.
Qu. 4. De Cælo. 737.
Qu. vlt. De Aeternitate Mundi. 765.

Ioannes Paulus Oliua Præpositus generalis Societatc Iesu.

CVm Trienuum philosphicum P. Andreæ Semery Remi nostræ Societatis Sacerdotis aliquot Societatis nostræ Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem facimus vt typis mandetur, si ijs ad quos specat videbitur, cuius rei gratia has litetas manu nostra subscritpas ac Societatis nostræ sigillo munitas damus.

Romæ 1. *Octobris* 1681.

Ioannes Paulus Oliua.

IN ARISTOTELIS LIBROS PHYSICORVM, SEV DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

Titulus ipse, quo rerum naturalium disciplinã Naturę genius Aristoteles insigniuit; quanti momẽti illa sit satis superque demonstrat. Dum enim libros, quibus Physicorum scientiam compræhendit acroamaticos inscripsit, hoc est auscultatorios, arrectis eorundem explicationem auribus, mente arrectiori exci-

piendam eſſe ſuis auditoribus indicauit. Id verò eos præſtare decet liberaliter, & libenter qui id ſibi cum Philoſopho propoſuere hoc anno, vt rerum ſenſibus noſtris patentium latentes cauſas, & inquirant diligenter, & feliciter aſſequantur. Agimus igitur hoc anno de Ente naturali, inquirendo primo eius principia, & cauſas; deindè proprietates, effectus, & alia, quæ ad totius naturæ perfectam intelligentiam ducunt. Et quia in octo libris Phyſicorum de ijs dumtaxat agendum eſt, quæ ſublunaria ſunt: ijs libros de Mundo, & Cœllo ſuperaddere oportet vt cælum, & terra, & quicquid vtriusq; ambitu continetur in noſtrorum Auditorum notitiam veniat. Nihil autem dicturi ſumus, nihil docturi gratis. Speramus enim laboris noſtri mercedem ampliſſimam: diſcipulos ſapientes.

DISPVTATIO I.

De principijs corporis naturalis.

QVÆSTIO I.

De ratione principij vt sic.

ARTICVLVS I.

Quid sit esse principium.

DEFINITIONEM Principij traditurus Aristoteles 5. Metaph. capit. varias principiorum species prius enumerat, quorum alia sunt principia rei in fieri, alia in facto esse, alia incognosci. His enumeratis sic concludit: *Omnibus igitur principijs commune est eße primum vnde quidpiam est, aut fit, aut cognoscitur*. Vt ab vltimo incipiamus: principia, vnde aliquid cognoscitur, seu principia in cognoscendo sunt suppositiones, vt ait Philosophus, seu axiomata, seu propositiones, ex quibus scientiæ suas eruunt concluſiones; putà apud Mathematicos est primum principium, *Omnis linea potest secari bifariam*. In Physica: *Omne alterabile est corruptibile*. In omni scientia, immò apud omnem intellectum: *Quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius*

sua parte. Et sic de alijs. Dicuntur autem propositiones huiusmodi principia cognoscendi, quia quælibet scientia ità ijs innitur, vt ea vlterius non probet: puta Geometria non probat principia Geometriæ, nec Physica Physicæ, sed supponit. Quod si aliquid contra ea opponatur, spectat ad aliam scientiam opposita dissoluere, vt docet Philosophus initio Physicorum disputans contra Parmenidem, & Melissum: vbi ostendit non teneri Physicum demonstrare, quod dentur multa entia; adeoq; quod omnia non sint vnum. Iure enim assum Physicus in natura oriri multa, multa interire, cum vtrumq; ad sensus pateat, Quod si contra, sophismata aliqua proponantur, non tenetur ea soluere Physicus, cum iure suo possit contemnere: Poterit tamen ad abundantiam.

Principia cognoscendi vocantur communiter principia complexa. Quenam autem sint incomplexa varij variè. Aliqui incomplexa vocant terminos ipsos, ex quibus prædictæ propositiones constant, alij appræhẽsiones ipsas præuias huiusmodi propositionibus; alij obiecta ipsa, per quæ in aliorum obiectorum cognitionem venimus. Hæc controuersia non tanti est, vt in ipsa, vel momentum immoremur.

Principia vnde res est, aut fit: sunt ea, ex quibus primo est, aut fit: putà principium nauis vnde est & fit, est carina; principium domus est fundamentum, vt exemplificat idem Philosophus; quia nimirum & motus

per

fit nauis, incipit à carina, & mo-
iam fit domus, incipit à funda-
tem primum quod in naui est, est
cut primum quod in domo est,
mentum.
verò hæc principij definitio æque
extrinsecis, ac intrinsecis conue-
tet hæc principia diuidere in in-
& extrinseca. Intrinseca sunt, ex
s, tamquam ex constitutiuis con-
tanquam ex partibus componen-
homine, v. g. principia intrinseca
us, & Anima: ex corpore enim,
constat homo. Extrinseca autem
vndes res habet vt sit, tanquam ab
mouente. Ita principium huius
st Architectus, principium totius
atis creatæ est Deus.
tendæ sunt in hac eadem definitio-
ertim duæ particulæ, videlicet: *Pri-*
Vnde, dicitur enim: *Primum vnde*
est, &c. Porrò manifestum est per
rticulam: *Primum* importari prio-
quamdam principij respectu rei,
incipium est; & per hanc aliam, *Vn-*
nexionem aliquam inter vtrumq; &
tionem quandam vnius ad alterum
em consequtio non necessario requi-
lis vt sit dependentiam rei a princi-
m etiam in diuinis Pater dicitur pro-
è principiũ Filij; cum tamen Filius
atur habere dependẽtiam a Patre:
ic de Patre, & Filio, qui sunt vnum
ibile principium Spiritus Santi; qui

sua parte. Et sic de alijs. Dicuntur autem propositiones huiusmodi principia cognoscendi, quia quælibet scientia ità ijs innitur, vt ea vlterius non probet: puta Geometria non probat principia Geometriæ, nec Physica Physicæ, sed supponit. Quod si aliquid contra ea opponatur, spectat ad aliam scientiam opposita dissoluere, vt docet Philosophus initio Physicorum disputans contra Parmenidem, & Melissum: vbi ostendit non teneri Physicum demonstrare, quod dentur multa entia; adeoq; quod omnia non sint vnum. Iure enim assum Physicus in natura oriri multa, multa interire, cum vtrumq; ad sensus pateat. Quod si contra, sophismata aliqua proponantur, non tenetur ea soluere Physicus, cum iure suo possit contemnere: Poterit tamen ad abundantiam.

Principia cognoscendi vocantur communiter principia complexa. Quenam autem sint incomplexa varij variè. Aliqui incomplexa vocant terminos ipsos, ex quibus prædictæ propositiones constant, alij apprahēsiones ipsas præuias huiusmodi propositionibus; alij obiecta ipsa, per quæ in aliorum obiectorum cognitionem venimus. Hæc controuersia non tanti est, vt in ipsa, vel momentum immoremur.

Principia vnde res est, aut fit: sunt ea, ex quibus primo est, aut fit: putà principium nauis vnde est & fit, est carina; principium domus est fundamentum, vt exemplificat idem Philosophus; quia nimirum & motus

per

per quem fit nauis, incipit à carina, & motus per quam fit domus, incipit à fundamento. Item primum quod in naui est, est carina, sicut primum quod in domo est, est fundamentum.

Quia verò hæc principij definitio æque principijs extrinsecis, ac intrinsecis conuenit, oportet hæc principia diuidere in intrinseca, & extrinseca. Intrinseca sunt, ex quibus res, tamquam ex constitutiuis constat, seu tanquam ex partibus componentibus. In homine, v. g. principia intrinseca sunt corpus, & Anima: ex corpore enim, & anima constat homo. Extrinseca autem sunt ea, vnde res habet vt sit, tanquam ab externo mouente. Ita principium huius fabricæ est Architectus, principium totius vniuersitatis creatæ est Deus.

Aduertendæ sunt in hac eadem definitione præsertim duæ particulæ, videlicet: *Primum*, *&* *Vnde*, dicitur enim: *Primum vnde aliquid est*, &c. Porrò manifestum est per hanc particulam: *Primum* importari prioritatem quamdam principij respectu rei, cuius principium est; & per hanc aliam, *Vnde* connexionem aliquam inter vtrumq; & consequutionem quandam vnius ad alterum hæc autem consequtio non necessario requiritur talis vt sit dependentiam rei a principio; nam etiam in diuinis Pater dicitur propriissime principiũ Filij; cum tamen Filius non dicatur habere dependẽtiam a Patre: idem dic de Patre, & Filio, qui sunt vnum indiuisibile principium Spiritus Santi; qui

tia. 102.
Qu. 4. De potentia materiæ ad formas. pag. 154.
Qu. 5. An materia omnium sublunarium sit vna. 162
Qu. 6. De appotitu materiæ ad formas. pag. 167.
Qu. 7. An materiam possit esse sine omni forma. 211.
Qu. 8. De forma. 222.
Qu. 9. De priuatione. 237.
Qu. 10. De Vnione. 206.

DISPVT. III.

In Aristotelis libros de natura, & arte.

Qu. 1. DE Natura. 299.
Qu. 2. De Violento. 311.
Qu. 3. De Arte. 319.

DISPVT. IV.

De causis extrinsecis.

Qu. 1. DE causa efficiente. 328.
Qu. 2. De subiecto actionis. 334.

Qu. 3.

Qu. 3. *De causa finali.* 344.
Qu. 4. *An omnia agentia agant propter finem.* 362.
Qu. 5. *De Causa exemplari.* 366.
Qu. 6. *De causis per accidens.* 375.

DISPVT. V.

De causis intrinsecis.

Qu. 1. *Quomodo materia causet formam.* 381.
Qu. 2. *Quomodo materia & forma causent totum.* 391.
Qu. 3. *An eadem actione producantur & vnio et forma.* 397.
Qu. 4. *De Toto.* 404.
Qu. 5. *De Subsistentia.* 413.
Qu. 6. *De prioritate naturæ.* 437.

DISPVT. VI.

De Motu.

Qu. 1. *De quidditate & proprietibus motus.* 477.

DIS-

DISPVT. VII.

De loco, & tempore.

Qu. 1. DE *quidditate & proprietatibus loci.* 493.

Qu. 2. *De penetratione corporum.* 501.

Qu. 3. *De replicatione.* 504.

Qu. 4. *De loco intrinseco.* 528.

Qu. 5. *An extrema simul vnita sint separatim replicabilia.* 538.

Qu. 6. *De Vacuo.* 558.

Qu. 7. *De Tempore.* 578.

Qu. 8. *De Tempore intrinseco.* 580.

Qu. 9. *De nunquam & nullibi creatura existentis.* 588.

DISPVT. VIII.

De Infinito.

Qu. 1. Q*Vid sit & quotuplex infinitum.* 604

Qu. 2. *De creatura omnium possibilium perfectissima.* 611

Qu. 3. *An sit possibile infinitum.* 619

DISPVT. IX.

De Quanto.

Qu. 1. D*E quiditate & effectu formali quantitatis.* 660.
Qu. 2. *De compositione continui.* 668.

DISPVT. VLT.

In Libros de Mundo & Cœlo.

Qu. 1. A*N Mundus sit vnus & perfectus.* 724.
Qu. 2. *De partibus mundi.* 728.
Qu. 3. *De Systemate vniuersi.* 732.
Qu. 4. *De Cælo.* 737.
Qu. vlt. *De Aeternitate Mundi.* 765.

Ioannes Paulus Oliua Præpositus generalis Societate Iesu.

CVm Trienuum philosphicum P. Andreæ Semery Remi nostræ Societatis Sacerdotis aliquot Societatis nostræ Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem facimus vt typis mandetur, si ijs ad quos specat videbitur, cuius rei gratia has litetas manu nostra subscritpas ac Societatis nostræ sigillo munitas damus.

Romæ 1. Octobris 1681.

Ioannes Paulus Oliua.

ARI

IN ARISTOTELIS LIBROS PHYSICORVM, SEV DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

Titulus ipſe, quo rerum naturalium diſciplinã Naturę genius Ariſtoteles inſigniuit; quanti momẽti illa ſit ſatis ſuperque demonſtrat. Dum enim libros, quibus Phyſicorum ſcientiam compræhendit acroamaticos inſcripſit, hoc eſt auſcultatorios, arrectis eorundem explicationem auribus, mente arrectiori exci-

piendam esse suis auditoribus indicauit. Id verò eos præstare decet liberaliter, & libenter qui id sibi cum Philosopho proposuere hoc anno, vt rerum sensibus nostris patentium latentes causas, & inquirant diligenter, & feliciter assequantur. Agimus igitur hoc anno de Ente naturali, inquirendo primo eius principia, & causas; deindè proprietates, effectus, & alia, quæ ad totius naturæ perfectam intelligentiam ducunt. Et quia in octo libris Physicorum de ijs dumtaxat agendum est, quæ sublunaria sunt: ijs libros de Mundo, & Cœlo superadere oportet vt cælum, & terra, & quicquid vtriusq; ambitu continetur in nostrorum Auditorum notitiam veniat. Nihil autem dicturi sumus, nihil docturi gratis. Speramus enim laboris nostri mercedem amplissimam: discipulos sapientes.

DISPVTATIO I.

De principijs corporis naturalis.

QVÆSTIO I.

De ratione principij vt sic.

ARTICVLVS I.

Quid sit esse principium.

DEFINITIONEM Principij traditurus Aristoteles 5. Metaph. capit. varias principiorum species prius enumerat, quorum alia sunt principia rei in fieri, alia in facto esse, alia incognosci. His enumeratis sic concludit: *Omnibus igitur principijs commune est esse primum vnde quidpiam est, aut fit, aut cognoscitur*. Vt ab vltimo incipiamus: principia, vnde aliquid cognoscitur, seu principia in cognoscendo sunt suppositiones, vt ait Philosophus, seu axiomata, seu propositiones, ex quibus scientiæ suas eruunt conclusiones; putà apud Mathematicos est primum principium, *Omnis linea potest secari bifariam*. In Physica: *Omne alterabile est corruptibile*. In omni scientia, immò apud omnem intellectum: *Quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius*

sua parte. Et sic de alijs. Dicuntur autem propositiones huiusmodi principia cognoscendi, quia quælibet scientia ità ijs innititur, vt ea vlterius non probet: puta Geometria non probat principia Geometriæ, nec Physica Physicæ, sed supponit. Quod si aliquid contra ea opponatur, spectat ad aliam scientiam opposita dissoluere, vt docet Philosophus initio Physicorum disputans contra Parmenidem, & Melissum: vbi ostendit non teneri Physicum demonstrare, quod dentur multa entia; adeoq; quod omnia non sint vnum. Iure enim assum Physicus in natura oriri multa, multa interire, cum vtrumq; ad sensus pateat, Quod si contra, sophismata aliqua proponantur, non tenetur ea soluere Physicus, cum iure suo possit contemnere: Poterit tamen ad abundantiam.

Principia cognoscendi vocantur communiter principia complexa. Quenam autem sint incomplexa varij variè. Aliqui incomplexa vocant terminos ipsos, ex quibus prædictæ propositiones constant, alij appræhēsiones ipsas præuias huiusmodi propositionibus; alij obiecta ipsa, per quæ in aliorum obiectorum cognitionem venimus. Hæc controuersia non tanti est, vt in ipsa, vel momentum immoremur.

Principia vnde res est, aut fit: sunt ea, ex quibus primo est, aut fit: putà principium nauis vnde est & fit, est carina; principium domus est fundamentum, vt exemplificat idem Philosophus; quia nimirum & motus

per

per quem fit nauis, incipit à carina, & motus per quam fit domus, incipit à fundamento. Item primum quod in naui est, est carina, sicut primum quod in domo est, est fundamentum.

Quia verò hæc principij definitio æque principijs extrinsecis, ac intrinsecis conuenit, oportet hæc principia diuidere in intrinseca, & extrinseca. Intrinseca sunt, ex quibus res, tamquam ex constitutiuis constat, seu tanquam ex partibus componentibus. In homine, v. g. principia intrinseca sunt corpus, & Anima: ex corpore enim, & anima constat homo. Extrinseca autem sunt ea, vndes res habet vt sit, tanquam ab externo mouente. Ita principium huius fabricæ est Architectus, principium totius vniuersitatis creatæ est Deus.

Aduertendæ sunt in hac eadem definitione præsertim duæ particulæ, videlicet: *Primum*, & *Vnde*, dicitur enim: *Primum vnde aliquid est*, &c. Porrò manifestum est per hanc particulam: *Primum* importari prioritatem quamdam principij respectu rei, cuius principium est; & per hanc aliam, *Vnde* connexionem aliquam inter vtrumq; & consequtionem quandam vnius ad alterum hæc autem consequtio non necessario requiritur talis vt sit dependentiam rei a principio; nam etiam in diuinis Pater dicitur proprijssime principiũ Filij; cum tamen Filius non dicatur habere dependẽtiam a Patre: idem dic de Patre, & Filio, qui sunt vnum indiuisibile principium Spiritus Santi; qui

tamen a neutro dependet. Propterea D. Thom. 1. par. quæst. 33. art. 1. ait: per hoc nomen *principium* nihil aliud significari, quā id, a quod aliud procedit. Quia vero, etiamsi ratio principij non dicat excellentiam supra terminum, cuius dicitur principium; ratio tamen principiati ex vsu, & modo loquendi sonat apud Latinos inferioritatem quandam respectu principi; propterea dicunt correlatiuum principii non esse *Principiatum*: dixi apud Latinos, quia vt notat D. Tomas, inuenitur apud Græcos de Filio, & Spirtu Sancto, quod principientur. In hoc autem toti sunt patres, tam Latini, quam Hræci, vt perfectam inter Personas Sanctissimæ Trinitatis æqualitatem contra hæreticos tueantur. Huic timent ne officiant Latini, si vnam personam principium vocent, alteram principiatam. Non timent Græci: vtriq; sapienter: ob diuersum vsum eiusdem pene sermonis. Vbi aduerte totam hanc doctrinam D. Thomæ intelligendam esse de principio extrinseco: principium enim intrinsecum, quale est v. g. in substantia Physica, & materia, & forma non nisi valde improprie dicitur esse id, a quo totum procedit, recte autem id, ex quo primo res constat.

Diximus prioritatem simul, & connexionem aliquam requiri inter *A*, & *B*, vt *A* respectu *B* rationem principij sortiatur. Neque enim quælibet præcedentia vnius ad alterum facit vnum esse principium alterius Bellum Cretense superioribus annis absolutum

lutum præcessit bellum Olandicum, quod nunc est; absurde tamen diceres bellum Cretense principium fuisse belli Ollandici: non absurde autem dixeris leuem aliquã contentionem, siue iurgium inter homines vtriusq; partis; belli principium extitisse; sicut Hælene raptus belli Troiani principium appellatur.

Sed neque prioris quælibet sufficit ad rationem principij; requiritur enim, vt non solùm præcedat, sed etjam vt in illa feriæ, siue in illo ordine, a nullo alio præcedatur Ita in duratione horaria non rectè dixeris etiam si loquaris versus finem eiusdem, secundum quadrantem esse principium talis durationis; quia quamuis secundus quadrans præcedat fine, habet tamen ante se alium quadrantem constitutiuum eiusdem durationis horariæ.

Dices. Ad rationem principij non requiritur vlla prioritas: g. primum requisitum a nobis est falsum. Probatur antecedens, quia in diuinis Pater est principium Filij: Pater, & Filius principium Spirtus Sancti; & tamen nec Pater habet prioritatem respectu Filij, nec Pater, & Filius respectu Spiritus Sancti. Imo hanc prioritatem expræsse negato loco citato D. Thomas; aiens per hoc nomen: *Primum*, non significari prioritatem, sed originem.

Resp. neg. antec. Ad probationem dic in Diuinis non dari prioritatem, nec naturæ, nec temporis. Non temporis, quia æqualiter sunt æternæ, imò eadem indiuisibiliter

æternitate sunt æternæ. Non naturæ; quia vna non est causa alterius; hanc prioritatem D. Thomas a Patre, respectu Filij, a Patre & Filio respectu Spiritus Sancti amolitur: non autem prioritatem originis, per quam videlicet non importetur vlla præcellentia vnius personæ supra aliam, nulla significetur inæqualitas inter ipsas.

ARTICVLVS II.

Respondetur nonnullis dubitationibus.

DVbitabis primò, an idem sit in creatis esse principium, ac esse causam. Dixi: *In creatis*; quia ex dictis apparet rationem principij reperiri in diuinis, vbi non inuenitur ratio causę. Occasionem huic dubitationi prębet Philosophus, qui 4. Metaph. text. 3. hæc habet. *Si itaquę ens, & vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quod se inuicem sequuntur: quomadmodum principum, & causa: sed nō quod vna ratione significantur*. Quibus videtur diserte affirmare Philosophus, principium, & causã ad conuertentiam dici, sicut ens & vnum: adeoq; omne principium esse causam, & omnem causam esse principium, sicut omne ens est vnum, & omne vnum est ens.

Ex alio capite idem Philosophus 5. de Generat. animal. c. 7. ait ad rationem principij pertinere; *Vt ipsum quidem causa sit multiorum, sed ipsius nulla sit superior causa*, cui si subdideris; *sed ad rationem causæ.*

non

non spectat, vt ipsius nulla sit superior causa: statim inferes *ergo aliquid requiritur ad rationem principij, quod non requiritur ad rationem causæ*: & consequenter principiũ, & causa non dicuntur ad conuertentiã Minor est manifesta, nã ignis *B* est causa ignis *C*, habens ignem *A* causam sui: & in creatis datur series infinitarum causarum sibi inuicem succedentium, vt inductione constat enumerando ab Adamo vsque ad vltimum, qui ex eiusdem stirpe nascentur.

Præterea idem Philosophus 5. metaphys. cap. 1. post enumerata varia genera principiorum; dicit: *Toties autem causæ quoque dicuntur: Omnes namq; causæ principia.* Atque aduertendum est ibidem supponere Philosophum se rationem principij adæquate suas in species diuisisse: concludit enim: *Omnibus igitur principijs commune est esse primum, vnde &c.* quod dicere non posset, nisi supponeret enumerata à se omnia principia,

Resp. ex his omnibus apparere Philosophum rationẽ principii, & causæ modo in maiori modo in minori ãplitudine accepisse. Si accipiatur nomen causæ secundum quandam restrictionem: dicetur minus; si secundum quandam amplitudinem; dicetur magis latè patere: secundum vnam acceptionem dicetur, secundum aliam non dicetur ad conuertentiam cum principio. Vbi Philosophus dicit principium, & causam ad conuertentia dici, causam accipit in maiori, vbi dicit non conuerti, causam

accipit in minori amplitudine.

Ad illud ex 5. de Gener. anim. vbi nimirum dicit de ratione principij esse, quod ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa: dic Philosophum ibi non loqui de principio vt sic, sed de aliquo principio, quod sit simpliciter, & absolutè primum: principij autem simpliciter & absolute primi non datur aliud principium; sed neque causæ simpliciter, & absolute primæ datur superior causa. Imo per hoc ipsum, quod tam principium, quàm causa sustineant rationem primi; excludunt in ea ratione, siue in illo ordine, quodlibet prius se.

Dicas: Priuatio non est causa; tamen à Philosopho, & Peripateticos communiter reponitur inter principia corporis naturalis: est enim familiare Peripateticis ponere corporis naturalis in fieri tria principia materiam, formam, & priuationem; duo in facto esse: materiam, & formam.

Resp. Philosophum 12. metaph. text. 10. etiam priuationi nomen causæ impertiri; vbi dicit: *Tres igitur causæ, & tria principia: materia, forma, & priuatio.*

Dubitabis secundò. An quæcumq; dicuntur principia, & sunt entia positiua, sortiantur etiam in rigore rationem causæ. Qui sic dubitat supponit rationem causæ non sumi rigorosè, quando tribuitur priuationi; adeoq; impropriè sumi, quando ita ample accipitur, vt conuertatur cum ratione principij. Ratio autem dubitandi est, quia

in multis, vt obseruat Suarez, vsurpamus nomen principij, in quibus non vsurpatur denominatio causæ; puta Aurora rectè dicitur principium diei, nec tamen dicitur causa diei. Item Petri habentis plures filios primogenitus recte dicitur principium filiorum: cum tamen dici nequeat causa filiorum eiusdem Petri.

Resp. principium in vtroque casu allato idem significare, ac initium. Aurora enim est initium die, & primogenitus inter filios Petri est initium sobolis, hoc est filiorum eiusdem Petri. Certum est autem initium, & quamlibit partem cuiuslibet totius esse causam intrinsecam eiusdem? & consequẽter & Aurora, cum sit prima pars diei, est causa intrinseca diei, & primogenitus Petri, cum sit pars intrinseca totius prolis, est causa intrinseca totius.

Denique satis apparet ex dictis, principium secundum totam suam latitudinem acceptum non conuerti cum causa: nam in diuinis datur ratio principij, cum non detur respectu diuinorum ratio causæ. Hinc D. Tho. ait principium communius esse quam causam; sicut causa est quid communius quam elementum, nam omnis quidem causa principium est, non autem omne principium causa; sicut & omne elementium est causa, non omnis causa elementum; quod si omne elementum est causa, & omnis causa principium manifestum est, quod omne elementum est principium. Propterea passim confusa reperies a pud Philosophum, & Pe-

ripateticos nomina elementi, & principij.

Vide autem ne nomine elementi intelligas hic ignem, aerem; aquam, & terrã, quæ tamen à vulgo quatuor elementa vocantur. Per elementa enim debes intelligere ea, quæ per inexistentiam sui constituunt quodlibet conpositum. Hoc modo litteræ, quibus quælibet vox describitur, eiusdem vocis elemẽta dicuntur. Dicit igitur D. Thomas quod omne quidem elementum est causa, intrinseca videlicet rei cuius dicitur elementum; non autem omnis causa est elementũ: quandoquidem præter causas intrinsecas, materiam puta, & formam, dantur etiam causæ extrinsecę, puta efficiens, & finalis.

Dices. Quodlibet elementum est principium: quodlibet constitutiuum intrinsecũ est elementum: ergo quodlibet constitutiuum intrinsecum est principiũ; ergo quodlibet instans constituens horam *A* est principium horę *A*: sed tam vltimum quam primum instans horę *A* constituit horam *A*: ergo tam vltimum, quam primum instans horæ *A* est principium horæ *A*. Hoc autem est ineptum ex terminis.

Resp. hoc nomen: *principium* in motu idem sonare, ac initium: tam autem vltimũ instans, quam primum, non esse initium horæ manifestum est. Ex hoc patet ad argumentum. Omne constitutiuum est elementum; sed non omne constitutiuum est initium. Porro quemadmodum hanc vocem, *amor* resoluis in sua elementa, dum resoluis in quatuor caracteres, quibus compo-

ni-

nititur: ita horam reſolutis in ſua elementa, dum reſolutis in inſtantia, quibus conſtat. Male autem vſurpas nomen principij pro quolibet inſtanti, quia ex modo loquendi, in tempore, & quolibet motu ſucceſſiuo principium accipitur pro initio; quamuis non magis primo quam vltimo inſtanti conueniat eſſe id, ex quo fit, & eſt talis motus: vno verbo dicere poſſes: quodlibet inſtans eſt principium acceptum pro initio: nego; acceptum pro intrinſeco componente; concedo.

QVÆSTIO II.

De principijs intrinſecis corporis naturalis.

ARTICVLVS I.

Definitur principium intrinſecum & examinatur hoc dictum. Ex nihilo nihil fit. &c.

DE principijs extrinſecis nihil hic ex profeſſo. Intrinſeca definit Philoſophus 1. Phyſic. textu 42. *Oportet principia neque ex alterutris eſſe, neque ex alijs, ſed ex his omnia*: hoc eſt principia intrinſeca cuiuslibet ſunt ea, quæ neque ex ſe inuicem, neque ex alijs; ſed ex quibus omnia fiunt. Definitionem hanc, ſi accipiatur vt ſonat, inſufficientem eſſe contendit Hurtadus; cum etiam ad principia extrinſeca extendatur.

Et

Et primo quidem principium extrinsecum si sit primum, oportet non esse ex alio, vt supra dictum est ex Philosopho. An autem etiam ipsi rigorose conueniat, vt alia sint ex ipso, multi Physici grammaticè certant, pugnam instituentes inter particulas *ab* & *ex*: aientes respectum rei principiatæ ad principium extrinsecum, præcipue autem ad principium efficiens non recte explicari per particulam *ex*; sed dumtaxat per particulam *ab*.

Verumtamen Hurtadus ipse litem hanc videtur dirimere, dum dicit ex Euangelio; *Qui ex Deo est, verba Dei audit*: & Iudæis perfidis & rebellantibus: *Vos ex parte Diabolo estis*. Vbi particula *ex* significat respectum ad principium extrinsecum. Et quia possent aliqui ab Euangelio ad Grammaticam appellare; ideo etiam Marcus Tullius pro particula *ex* inuocatur; qui in tertia Tusculana: *principij*, inquit, *nulla est origo; nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem ex re nulla alia nasci potest*.

Nos vero inutile putamus, hęrere tandiu in particula *ex*. Dicimus igitur principia corporis naturalis intrinseca esse, quæ neq; ex alijs, neque ex alterutris, sed ex quibus omnia, vt inexistentibus fiunt. Per hanc particulam *vt inexistentibus* totam controuersiam de particula *ex* resecamus: etiamsi enim respectus ad principium extrinsecum significari possit per ipsam: nulli tamen extrinseco conuenit esse id, ex quo inexistente aliud fiat.

Axio-

Axioma autem in titulo positum; *Ex nihilo nihil fit, & in nihilum nihil reuertitur*; consentientes de sui veritate habet Philosophum, & Veteres, cum quibus Philosophus disputauit. Facile tamen est, vt in errorem inducat incautos, vt re ipsa induxit ex veteribus non paucos. Sẽsus axiomatis non est: nihil poni in natura de nouo, quod non ex aliquo constet sibi præexistente: sed sensus est: ea, quorum Philosophus hic, & veteres principia inquirebant; necessario ex aliquo sibi præexistente constari. Inquirebant autem principia eorum omnium, quę sensu teste oriuntur, & occidunt: hoc est omnium corporum generabilium, & corruptibilium. Hoc igitur posito, fuit opinio satis communis inter veteres omnia cõponi ex atomis: hoc est corpusculis quibusdam indiuisibilibus, quæ diuersimode inter se composita, diuersas, quas videmus substantias, conflarẽt.

Hanc autem combinationem seu motum illum, per quem prædicta corpuscula combinarentur alij casui, alij Menti cuidam omnia gubernanti adscribebant. Plerique autem corpuscula huiusmodi putauerunt æterna: præter entia autem sensibilia nulla alia dari. Errabant in vtroq; nam præter sensibilia necesse est alia multa admittere: vt ostendetur in loco. & Mundus ipse, & quidquid in mundo est, temporale est, non autem ęternum.

Inter cęteros autem insignis est error Democriti, qui omnia casu fieri asserebat. Contra hunc non solum Augustinus in libris de

Ciuit. Dei; sed etiam sapientes ex gentibus, tanquam contra delirum senem inuehuntur inter quos legi potest Marcus Tullius de natura Deorum. Profectò nemo sapiês diceт Homeri Iliadem factam esse ex casuali, & fortuita congregatione omnium characterũ ex quibus constat; sed omnes in ea, admirabile Homeri ingenium recognoscunt, à quo tam eleganter, tam sapienter prædicta Ilias compacta est. Ab Homeri Iliade animum transfer ad admirabilem structurã vniuersi, & vide an in animum sapientis cadere possit hæc insana suspicio, totum videlicet hunc mundum ex atomorum concursu fortuito natum esse. Idem argumentum habes in Pictura, in Palatio, & in quolibet alio huiusmodi. His argumentis etiam Gentiles ipsi contra Atheos efficacissimę philosophãtur. Et huiusmodi argumenta longe validiora sunt quam quædam alia, quibus exiſtentiam Dei demonstrare conati sunt, qui sibi sapientiores visi sunt, quam D. Thom. Augustinus & alij huiusmodi.

Atomistes recentiores in huiusmodi erroribus non versantur: nec enim suas atomus casu componi seu congregari existimãt. Earum autem motui mentem aliquã præsidere alij aiunt, atomos ab atomis trahi, siue atomos ad atomos ferri existimant; ea fere ratione qua Magnes attrahit ferrum, & qua quælibet virtus sympatica similia similibus coniungit. Potissimum autem fundamẽtum opinionis huiusmodi sensibilia omnia ex atomis componentis est, quia *nihil ex nihilo*.

lo. Nihil autem ex nihilo fiet, ſi ſola atomorum diſpoſitio immutetur: nam eædem atomi vno modo diſpoſitę vnum; alio modo, aliud corpus conſtituent; ipſa autem diſpoſitio, etiamſi de nouo fit, & ex nihilo: non propterea ex nihilo eſt vllum corpus ſenſibile, vt eſt manifeſtum.

Hanc autem Atomiſtarum ſententiam, vt melius intelligas, placet breuiter ob oculos ponere. Non omnes vno modo de ijs philoſophantur: has enim alij aſſerunt eſſe omnes ejuſdem rationis; ſubſtantias autem ſeu corpora, quę ex ipſis conflantur differre inter ſe per diuerſitatem figuræ, ordinis, & ſitus earundem atomorum. Hoc modo ex viginti quatuor litteris Orationes, Epigrāmata, Tragędiæ, & Comediæ fiunt. Rurſus ex ijſdem omnino litteris diuerſimodè inter ſe ordinatis fiunt voces diuerſæ. Puta ex litteris vno modo ordinatis fit hæc vox: *Amor*; & ex ijſdem, ſed alio modo diſpoſitis fit: *Roma*, & ex ijſdem: *Mora*. &c. Quæ apud Humaniſtas dicuntur anagrammata pura: ita aiunt ex ijſdem omnino corpuſculis diuerſimodè ordinatis corpora fiunt, inter ſe omnino diuerſa. Hæc ſententia non ponit diuerſitatem inter elementa huius, & illius corporis naturalis. Alij non ijſdem, ſed diuerſis atomis diuerſa componunt: diuerſitatem autem atomorum conſtituunt in diuerſitate figuræ. In hac ſententia vna ſubſtantia differt ab alia; non ſicut hæc vox: *Roma* ab hac alia; *Mora*; ſed ſicut hæc: *Roma*, ab hac alia: *Deus*. Conſtant enim hę

duæ

duæ diuersis characteribus, non vero iisdem diuersimodè collocatis.

Alii præter differentiam in figura, & ordine; aliam differentiam obseruarunt, quam dicunt in situ: itaut eadem atomi eiusdem figuræ, & ordinis, diuersimodè situatę, corporum diuersitatem efficiant. Exemplum habes item in litteris Alphabeti, si enim litteram *p* hoc vel illo modo inuertas; videbis te diuersas litteras efficere, per solam diuersitatem situs eiusdē omnino characteris. Idem habes in littera *n*, quam ita inuertere potes, vt facias *u*, & in alijs huiusmodi.

Per huiusmodi atomorum congregationē & earundem disgregationem explicāt etiam recentiores generationem, & corruptionem substantiarum sensibilium. Has autem atomos plerique nihil aliud esse existimant, quam minutissimas elementorum particulas ex quibus sensibilia omnia coagmentantur. Si igitur petas ab Atomistis quid sit generari de nouo Canem? respondent nihil aliud esse, quam innumeram multitudinem atomorum tali dispositione, & ordine inter se congregari si petas quid sit destrui seu corrumpi illum eundem? nihil aliud esse quam congregationem illam dissolui, attomos ire in dispersionem gentium.

Quia vero ex mutationibus, quas ob oculos habemus, aliæ à Philosophis vocantur generationes, aliæ alterationes, & magnum inter vtrasque discrimen est: generationem ad alienatione discernuut per hoc, quod ad primam notabilis atomorum dissolutio, vel

va-

variato ad ſecundam leuis , immo & leuiſſima requiratur : puta longè alia variatio fit quando ex ligno fit ignis , quod dicitur generatio , ac quando lignum ipſum ex frigido fit calidum, aut ex humido ſic cum, quod dicitur alteratio . Porrò huiuſmodi corpuſcula Chriſtiani Atomiſtæ non ponunt æterna, ſed creata in principio, quando Deus creauit Cælum, & terram . Quamuis autem diuerſitatem atomorum non in ſola figura conſtituant, diuerſis tamen diuerſas figuras attribuunt, per quas earumdè motus , & actiuitas facilius explicetur ; puta particulis terreis cubicam , igneis piramidalē, ſeu cuſpidatam , aqueis rotundam, acreis conicam.

Mutationes igitur , quas dicimus accidentales , ita concedunt ; vt tamen accidentia realia , ſi non omnes , ſaltem prerique ex ipſis , omnino negent. Ita incaleſcere ſubiectum aliquod , nihil aliud aiunt eſſe , quam ad illud plures particulares igneas accurrere , illiq; adhæreſcere ; infrigidari vero eſt, vel coniungi cum ipſo corpuſcula aquea , vel terrea, vel ab ipſo auolare corpuſcula ignea .

ARTICVLVS II.

Oſtenditur dari aliqua accidentia.

QVia Atomiſtæ in hoc præcipuè incumbunt , vt accidentia planè excludant, oportet illa cum Peripateticis ſuſtinere . Et primo quidem motum, impulſum, diſpo-

dispositionem localem atomorum, quę omnia ab atomis distinguuntur, negare nullo modo possunt; ipsi enim per motus locales corpusculorum rerum generationes explicant: adeoq; non sunt adeo fatui, vt negent quicquam omnino de nouo poni in rerum natura.

Præterea dari accidentia intētionalia, cognitiones, volitiones, & alios huiusmodi actus distinctos tum à principio, à quo eliciuntur, tum à subiecto, in quo recipiuntur ita vnusquisq; experitur, vt non possit, nisi insipienter in dubium reuocari. Propterea controuersia reducitur ad accidentia, vt vocant, realia, seu physica, qualia sunt lux, color, calor, sapor, & alia huiusmodi; quæ ab Atomistis explicantur per atomos transmissas ad organa illorum sensuum, quæ circa huiusmodi exercentur; v.g. sentire calorem nihil aliud est, quam organum tactus titillari per corpuscula ignea: sentire frigus est titillari per opposita: puta per terrea, vel aquea: videre colorem est organum visus titillari per corpuscula immissa ab illis corporibus, quæ colorata dicuntur. Fit autem talis titillatio per tensionem, aut compressionem, rarefactionem, aut spissationem fibrarum, neruorum, aut aliorum huiusmodi concurrentium ad illos actus, quos vitales, & sensitiuos vocamus. Cum igitur ea omnia fiant tum per corpuscula immissa ab obiectis, tum per motus locales organum, constituentium potentiam sensitiuam; aiunt Atomistæ, pro commentitijs habendæ sunt

qua-

qualitates, & accidentia, quibus ſcatet tota Phyſica peripatetica. Dixi: *Tum per motus locales &c.* quia tenſiones illæ, & compreſſiones aliæq; ſenſuum affectiones habentur formaliter per motum localem.: tendi enim fibram *A.* v. g. nihil eſt aliud, quàm partem fibræ *A* ab alijs partibus eiuſdem magis remoueri, comprimi eſt motus oppoſitus, vt experientia conſtat.

Hanc Atomiſtarum ſententiam vt principij Catholicę fidei parum conſentaneam, communiter damnant Catholici peripatetici. Impugnatur autem primo ex myſterio fidei. Eſt de fide quod in venerabili Sacramento Euchariſtiæ, deſtructa ſubſtantia panis, remanēt ſpecies panis, & deſtructa ſubſtantia vini, remanent ſpecies vini; ergo dātur accidentia realia. Conſ. prob. quia per ſpecies panis intelligunt omnes Catholici colorem panis, ſaporem, grauitatem, calorē, vel frigus, humiditatem, & ſiccitatem & alia huiuſmodi. Idem dic de ſpeciebus vini. Hæc autem ſunt accidentia realia de quibus Philoſophus, & nos cum illo. Hinc iſta paſſim apud ſcriptores Catholicos confuſa reperies; *accidentia* & *ſpecies*: habent enim pro eodem remanere ſpecies, ac remanere accidentia.

Hoc argumentum eſt maximi roboris. huic tamen ſatisfacere conantur Atomiſtæ ſic. Remanere ſpecies panis in Euchariſtia nihil aliud eſt, quàm remanere apparentia panis, pane realiter non remenere: idem enim intelligunt Concilia ſub nomine ſpe-

cie-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cierum, quod sub nomine apparentiæ; cum nihil aliud velint, nisi quod Corpus Christi Domini sit in Sacramento vere, & realiter, sed sub apparentia panis; in doctrina Atomistica Christus est in Sacramento sub apparentia panis; ergo Atomistę nihil sentiunt nihil docent, huic mysterio aduersum. Minor probatur; quia Corpus Christi Domini sacramẽtatum determinat ad omnes illas sensationes, ad quas determinabat panis. Puta immittit ad potentiam visiuam tales atomos, vt determinet ad illam sensationem, quæ dicitur perceptio coloris; Ad palatum alia corpuscula immittit, quæ determinant ad gustationem, &c. Dum igitur ita decipiuntur omnes sensus, circa Sacramentum Eucharistiæ, vt inducant, quantum est ex se, ad iudicium, quod sit panis; recte dicitur corpus Christi Domini latere sub speciebus panis. Idem dic proportionaliter de speciebus vini. Quemadmodum autẽ loquũtur de speciebus, sic etiã loquũtur de accidentibus, si per nomẽ accidẽtis vrgentur.

Hęc tamen responsio Atomistarum est insufficiens, eorum principijs aperte inimica. Nam substantia panis apud ipsos nihil aliud est, quam prædicta corpuscula congregata, quæ, dum immittuntur ad sensus, sui sensationem efficiunt: si igitur remaneant in Eucharistia corpuscula, quæ ita afficiant sensum; remanent in Eucharistia ea, ex quibus constat panis, & cũ panis nihil sit, præter ea corpuscula, ex quibus constat; remanet in Eucharistia vere, & substantialiter panis.

Duo

Duo reponere poſſunt Atomiſtæ, alterum falſum, alterum ineptum. Primum eſt ſi dicant in qualibet ſubſtantia præter atomos, quibus conſtat, dari alias atomos, quibus ſenſum immediatè afficiat. ſecundum eſt Chriſtum Dominum in Euchariſtia decipere omnes ſenſus, ſupplendo defectum atamorum, quæ huiuſmodi ſenſationes efficerent. Hoc ſecundum eſt omninò ineptum. Ad quid enim hęc figmenta, niſi vt Atomiſtæ poſitum tueantur? præterea falſum eſſet quod aiunt tum Concilia: tum Patres; remanere videlicet ſpecies, & accidentia panis: non enim iudicamus falſum, dum iudicamus remanere in Euchariſtia colorem, ſaporem, grauitatem panis: ſed ſolū quando iudicamus ex illis accidentibus in Euchariſtia exiſtere panem. Primum autem, quod ſcilicet præter atomos, quibus conſtat panis, dentur aliæ atomi quibus ſentimus panem, & iſtę remaneant, pereuntibus alijs, in sacramento: eſt falſum, & princip js Atomiſtarum repugnans: nam omnes atomi, quomodocunque congregatæ, conſtituunt ſubſtantiam, & conſequenter panis immixtus huiuſmodi atomis, eſſet ſubſtantia immixta alteri ſubſtantiæ, quod eſt ineptum. Adde, quod fingere pręter atomos componentes ſubſtantiam, alias atomos ipſam qualificantes, eſt reijcere nomen qualitatis, rem retinere, cum minori probalitate.

Inſuper si ea, quæ immittuntur ad ſenſum ſunt corpuſcula; per motum localem immittuntur ad ſenſum. Eſt autem euidens quæ-

cun-

cunque mouentur motu locali successiuè moueri: rursus manifestum est species emissas ab obiectis non successiuè, sed instantaneè ad oculum ferri: igitur manifestum est, species, quæ emittuntur ad sensum ab obiectis, non esse corpuscula. Minor experiētia patet, qua constat obiecta remota, simul cum proprioribus, visu attingi. Hinc dubitatur an sonus propagetur per species, quia videlicet non instantaneè venit ad aurem. Habes in hac re familiare experimentum. Si sis in aliqua distantia à fera, quam ferit venator, & etiam ab ipso venatore; videbis prius feram occisam, quā audias ictum sclopeti. Imo prius videbis ignem erumpentem in ipso sclopeto, quam ictum exaudias. Ex quo apparet aliter ferri ad visum obiectum visus, quam ad aurem obiectum auditus.

Probatur secundo dari accidentia realia ex diffusione lucis, quam videmus, quamq; impossibile est saluari per emissionem corpusculorum. Petere enim quod à sole, vel quolibet alio corpore lucido instantaneè emittantur corpuscula lucida, totum emisspherium replentia; magna, inquit Philosophus, hoc est, ridicula postulatio est: quantalibet enim velocitate moueantur, successiuè mouentur. In ijs autem, quę mouentur velocissimè, si ad magnam distantiam moueātur semper per sensum successio depręhēditur. Apparet hoc in motu Firmamenti, & sydcrum, quę ad motum firmamenti mouentur. In sole, &c. Igitur si prædicta corpuscula propagantur per motum localem, est physice

sice

ſic e impoſſibile in huiſmodi motu non deprȩhendi ſucceſſiuitatem.

Præterea corpuſcula lucida ſunt de natura ignis; eſt autem contra naturam ignis deorſum moueri, niſi ab extrinſeco mouente moueatur. Quomodo igitur tanta celeritate per immenſum ſpatium deorſum cadunt; vt non ſolum velociſſimè ſed inſtantanee moueri videantur?

Denique lucem inſtantanee diffundi, in candela patet, qua accenſa ſtatim medium illuminatur: qua extincta ſtatim obſcuratur: numquam enim explicabit Atomiſta quo tam citò abeant infinita illa corpuſcula lucida ad extinctionem lucernæ.

Sunt qui putent ſe aliquid boni inuieniſſe: dum excogitarunt corpuſcula lucida eſſe ſemper, & per omne medium diaphanū diſperſa, ſed non vltimo actuata: actuari autē ad præſentiam luminoſi. Noctu v. g. totus aer plenus eſt corpuſculis lucidis; ſed apparente ſole illa actuantur, & conſtituunt aerē lucidum. Hoc pacto probabile eſt colorata etiam noctu diffundere vndequaq; ſpecies ſui, ſecies autem illas mouere Senſum viſus dumtaxat, quādo, lumine ſuperuenięnte, vltimo ad id præſtandum actuantur.

Hæc tamen ſpeculatio vel nihil dicit, vel recurrit ad doctrinā peripateticam; ſi enim ad præſentiā luminoſi prædicta corpuſcula actuantur; vel actuantur per miſſionem aliorū corpuſculorum, & idem dic de iſtis quod de illis: vel per productionem qualitatis à luminoſo diffuſæ per totum medium:

& tunc admittitur qualitas, quam petunt Peripatetici, solumq; supperadduntur corpuscula, quod non facit ad rem: nec enim Peripateticus negat corpuscula; seu minimas quasdam particulas corporum vndecũque dispergi; negat solum per huiusmodi corpuscula saluari mutationes tum substantiales, tum accidentales rerum naturalium.

ARTICVLVS III.

Præter dispositionem localem Atomorum requiritur alia forma in toto naturali.

CIrca ea, quæ articulo superiori explanata sunt, desiderare posset Auditor aliquid vlterius. Dictum est enim Atomistas explicare sensationes, puta visiones, auditiones &c. per meram tẽsionem, compressionem, aut aliquem alium huiusmodi motum localem partium, constituentiũ organum sensus, determinatarum ad motus huiusmodi à corpusculis, quibus feriuntur. Hoc autem non videtur reprobatum, quamuis à Schola peripatetica reprobetur. Dicendum est hoc quidem reprobatum iri, sed in libris de Anima, vbi ostendetur visionem auditionem & alios actus vitales non saluari per prędictos motus, qui etiam in carentibus anima fiunt; cum tamen, quę anima carent, nec audiant, nec videant. Interim scopus præsentis Articuli est ostendere, præter atomos prædictas, requiri in quodlibet corpore naturali aliquid aliud, quod

quod à Peripateticis dicitur forma totius.

Probatur autem hoc primo ex differentia inter totum naturale, & totum artificiale. Nam diuerſi effectus, qui ab vtroque procedunt, notabile inter vtrunq; diſcrimẽ manifeſtant. Quæcunq; atomorum variatio fiat in artefactis; hoc eſt quomodocunque varietur localis diſpoſitio primò componentium artefacta; numquam hæc in priſtinum ſtatum ſeſe reſtituunt, Fac enim, vel leuiſſime decruſtari hunc parietem; per totam æternitatem modicum illud cruſtæ non reparabit in ſe paries; ſed ſi vis recruſtari, accerſendus eſt ab extrinſeco recruſtator. Secus accidit in naturalibus; conſtat enim viuentia labefactata ſuas ab intrinſeco labes reparare. Quod indicio eſt, dari in toto aliquod principio conſulens bono totius.

Explicatur hęc noſtra ratio progrediẽdo per plures ſpecies ſubſtantię naturalis. Certum eſt primo in homine rationem, per, quã illud totum eſt, ſaluari non poſſe per meram diſpoſitionem localem atomorum, ſeu corpuſculorum, ita vt homo à ſtatua hominis ſolum differat per hoc quod in ſtatua ſolum extima corpuſcula recte collocentur, interiora autem inepte ad rationẽ cõpoſiti humani; cum in homine tam intima quã extima aptiſſime inter ſe compingantur ad hoc vt ſint principium humanarũ operationum. Hoc inquam certum eſt in homine, & etiã ab Atomiſtis vltro conceſſum, Ab homine gradum faciamus ad Brutum. Sine aliquo principio continente omnes partes com-

positi equini, & ordinante illas in bonũ totius, saluari non potest compositum equiuũ. Hoc autẽ principim est illud ipsum, quod Peripatetici vocant formam substantialem prædicti compositi. Quod autem principiũ huiusmodi debeat admitti in equo; probatur primo à pari, quia videmus equũ, canẽ, & alia huiusmodi in operationibus proprijs vitæ sensitiuæ eodem planè modo se habere, ac se habet homo; Nam equus gustat, tãgit &c. allicitur ab obiectis sibi proficuis, puta ad hordeo, & palea; terretur à sibi noxijs puta à saxo, vel baculo, habet species memoratiuas, sicut homo &c. ergo quemadmodum in homine ponitur principiũ aliquod substantiale, &c. ita etiã ponendũ est in bruto principium, inquam, ordinatiuũ operationum in bonũ totius. Omnes enim operationes huiusmodi non habere aliud sui principium, quã meram vbicationem, seu dispositionem localem atomorum, ex se indifferentium, vt constituant vel viuens, vel non viuens, est incredibile sapienti. Hoc enim est, assignare pro differentia adæquata, & totali inter viuens, & non viuens, puram dispositionem localem, ex quo alia etiam ebsurda inferemus inferius. Interim.

Confirmatur hoc idẽ experientia. Constat enim Canem, Equum, & alia huiusmodi componi ex multis organis, & partibus ethærogenis; hoc est dissimilibus, quæ omnes conspirent in bonum totius. Constat insuper, quod si illa organa discordent inter se, & aliquid deperdant requisitum ad opera-

rationes proprias animalis, vel aliquid recipiant noxiũ eidem animali, datur aliquid in animali remouens ab ipſo id quod eſt noxiũ & diſtribuens in ipſo ſecundũ eiuſdẽ indigentiam id, quod eſt ipſi proficuum. Quomodo autẽ hoc fiat facillimè explicant Peripatetici ponentes in quolibet toto ſubſtantiali formam quandam, quæ qualitates, & accidentia toti conſentanea vel conſeruet, vel producat, & qualitates noxias, quantum poteſt, ab eodem repellat.

Ab homine, & Bruto deſcendendum eſt vel ſi vis aſcendendũ ad Arbores, quæ etiam ipſæ in multis, hoc eſt in omnibus pertinentibus ad vitam vegetatiuam aſſimilantur animalibus. *A* Plantis ad alia mixta, à mixtis veniendum ad Elementa. Et quidem pro elementis, in quibus Peripatetici compoſitionem agnoſcunt ex materia & forma, res appares ſatis manifeſte in aqua; certum eſt enim dari in aqua principium aliquod, per quod reducitur ad frigus ſibi debitum, ſi quando ab aliquo agente extrinſeco calefiat; hoc autem principiũ nequit melius aſſignari, quam dicendo illud eſſe formã ſubſtantialem totius, ergo &c. Maior experientia conſtat; nam aqua calefacta in lebete ab igne ſuppoſitio, ſi remoto igne, ſibi relinquatur, ipſa paulatĩ reducit ſe ad priſtinũ frigus; nomine autẽ formæ ſubſtantialis nihil aliud intelligunt Peripatetici, niſi id; quod in toto eſt veluti radix accidentiũ & qualitatum, quæ debentur toti: cũ igitur aquæ debeatur frigus, dum videmus hanc ſi-

ne adminiculo agentis extrinseci ad frigus suũ reuerti, cõgruẽter arguimus dari in ipsa principium extrinsecum, exclusiuũ caloris & frigoris recuperatiuũ. Hoc idem apparet in plumbo, & quodlibet alio metallo liquefacto, quod habet vim reducẽdi se & ad frigus, & ad sodalitatem debitam sue naturæ.

Dices primo talem reductionem ad frigus tribui posse agenti extrinseco; puta aeri circumfuso, refundenti in aquam corpuscula frigida. Sed contra est primo, quia & aqua & prædicta metalla magis frigescunt, quam aer circumfusus: aer autem nequit magis frigefacere, quam ipse frigescat. Secundo corpuscula frigida sunt secundum Aduersarior substantialiter aqua, vel terra ergò aer, refundendo talia corpuscula in lebetem, nouam aquam refundit: quod quis credat? Tertio huiusmodi responsio pugnat contra principia Atomistarum. Nam manifestum est in aqua bulliente, & p'umbo liquefacto plus esse caloris, quam frigoris, & consequenter plura esse corpuscula calida, quam frigida: cum itaque secundum ipsos simile accurrat ad simile, congruentius dicerent corpuscula calida, quæ in aere circumfuso circumuolitant, ad sua similia accurrere; adeoq; aquam semel calidam semper magis magisq; incalescere. Hoc est maxime secundum ipsorum principia, sed contra manifestam experientiam, Adde, quod corpuscula calida sunt omnium actiuissima, & omnium, vt ita dicam, attractiuissima suorum similium: ita vt vel vnica scintilla

ex

ex viſceribus pulueris tormentarij, vaſtiſſimum trahat incendium, hoc eſt infinitam ſcintillarum antea deliteſcentium multitudinem.

Dices ſecundo in aqua calefacta, in plumbo liquefacto, &c. remanere quaſdam particulas, ſiue quædam corpuſcula frigida, à quibus calida, quæ ab igne intruſa fuerant, expelluntur, & ſimul ſimilia reuocātur, quę ad contrariorum introductionem fuerant diſſipata.

Sed contra eſt. Si Aduerſarius manum immergat in plumbum liquefactum; difficile inueniet corpuſcula illa refrigerantia; idem dic, ſi hauriat. Deſipientis eſt negare in tali maſſa plura eſſe, & quidem longe plura corpuſcula calida, quam frigida. Cur igitur calida expelluntur à frigidis, & non è conuerſo. Ex hoc eodem ſequitur in aqua bulliente plus eſſe ignis, quam aquæ; & alia huiuſmodi. Sapienter igitur Peripatetici in aqua, alijſque ſubſtantijs ſenſibilibus ponunt principium quoddam intrinſecum, quod ſit radix proprietatum debitatum ſubſtantię. Hoc principium non oculis patet, ſed intellectui.

✤

QVÆSTIO III.

De compositione Corporis naturalis.

ARTICVLVS I.

Proponitur sententia Peripatetica, & probatur.

ATomistarum Argumentis satisfaciemus post assertam veritatem peripateticam. Interim ad intelligentiam dicendorum, distinguere debes in eodem composito duplex genus partium. Aliæ enim dicuntur partes integrantes, aliæ essentiales, Integrantes sunt, quarum si aliquam abstuleris, non illico rem destruis, secundum suũ conceptum quidditatiuũ. Secus in essentialibus accidit, quarum altera ablata, totũ destruitur secundum conceptum quidditatiuum ipsius. Exemplum habes in homine, à quo si manu, vel auriculam amputaueris, non propterea non remanet substantia ex corpore, & anima rationali constans: at si vel animam, vel corpus abstuleris: hoc est si animã à corpore separaueris, non remanet homo in rerũ natura. Auris, brachiũ, nasus, & alia huiusmodi, dicuntur partes hominis integrantes; corpus & anima dicuntur partes essentiales.

Vt autem essentialem corporis naturalis compositionem inuestiget Philosophus: supponit cum antiquis principium illud:

Ex

Ex nihilo nihil fit, & in nihilũ nihil reuertitur: in omni igitur generatione præſupponitur aliquid in rerum natura, ex quo illud fiat, quod de nouo fit. Puta quando gignitur ignis, ille non fit ex nihilo, ſed ex aliqua materia, in quam per virtutem & actionem ignis applicati, introducitur ratio ignis.

Rurſus alia mutatio eſt ea, per quam in combuſtione ligni ex non igne fit ignis, ab illa, per quam lignum ex non albo fit albũ, ex non calido calidum. Quando enim ex nõ calido fit calidum per acquiſitionẽ caloris, non deſtruitur in eſſe ligni; ſed remanet ſimul & lignum, calidum. At per acquiſitionem illius rationis, ſeu formæ, quæ conſtituit ignem, corrumpitur in eſſe ligni, nec eſt ſimul & lignum, & ignis. Hæc dicitur mutatio ſubſtantialis, per quam nimirũ ex vna ſubſtantia fit alia; illa dicitur mutatio accidentalis, per quam vna eademque ſubſtantia, à priuatione alicuius accidẽtis, trãſit ad habitum illius eiuſdem.

Quemadmodum autem in mutatione accidentali, quæ etiam dicitur alteratio, ſubiectum, puta lignum, tranſit à priuatione ad habitum formæ accidantalis: ita etiam in mutatione ſubſtantiali, quæ etiam dicitur generatio, debet dari aliquod ſubiectum, quod à priuatione formæ ſubſtantialis tranſeat ad habitum eiuſdem. Quando ex non albo fit album, aliquod ſubiectum tranſit à non albedine ad albedinem; quando ex non igne fit ignis, aliquod ſubiectum

transit à non ratione ignis ad rationē ignis. Hoc autem quod transit ex non igne in ignem, seu potius hoc subiectum, quod ex non habente formam ignis fit habens formam ignis; non est lignum ipsum: lignum enim non manet sub forma ignis, quandoquidem per productionem ignis lignum destruitur: igitur illud idem quod in ligno sustinebat formam ligni, in igne sustinet formam ignis, vt patebit inferius.

Naturalem hanc corporis sensibilis compositionem frequentissime declarat Philosophus per mutationem artificialē. Ars enim imitatur naturam. Quando ex marmore fit statua Alexandri; illud idem marmor, quod per actionem statuarij recipit in se figurā, & similitudinem Alexandri, transit à priuatione talis figuræ ad hanc eandem Figurā: adeoq; & sub priuatione, quæ est terminus à quo, & sub figura, quæ est terminus ad quē idem omninò subiectum reperitur. Hoc autem subiectū, ante talem mutationem, erat statua Alexandri solum in potentia, & per talem mutationem euadit statua Alexandri in actu. Idem proportionaliter contingit in qualibet mutatione substantiali; est enim de conceptu mutationis esse transitum non habentis, nisi in potentia, formam, habens formam in actu: puta in mutatione ex non igne in ignem, aliquid transit à non forma ignis ad formam. Id autem quod in instanti *A* caret forma ignis cum aptitudine ad illā recipiendam; est illud idem subiectum quod in instanti *B* illam recipit, & illa infor-

formatur; Propterea peripaterici communiter aiunt tria eſſe principia corporis naturalis in fieri; materiam ſcilicet formam, & priuationem, duo autem in facto eſſe: materiam, ſcilicet, & formam.

Tria ponuntur in fieri, quia fieri aliquam ſubſtantiam, vt de facto fit, eſt ſubiectum acquirere aliquam formam ſubſtantialem, quam immediatè antea non haberet: hoc autem in ſuo formali conceptu intrinſeco importat materiam, formam, & priuationē. Nam ſubiectum tranſire à non forma ad formam, ſiue à priuatione ad habitum: dicit ſubiectum ſub vtroque termino, & ab vno tranſiens ad alterum: hoc modo corporis in fieri prędicta tria principia declarantur. Si enim intelligas ſolum materiam ſimul, & formam; intelligis quidem compoſitum ſed non intelligis fieri; hinc eſt, quod rei in facto eſſe duo tantum principia ſunt, materia ſcilicet, & forma, quæ duo remanent quandiu manet res ipſa.

Dari autem materiam primam efficaciter probat Philoſophus hoc pacto. Datur tranſmutationes ſubſtantiales; ergo datur materia prima, ſeu primum ſubiectum talium tranſmutationum. Antec. experientia conſtat. Elementa in ſe inuicem tranſmutantur aqua in aerem, aer in ignem, &c. & ex quolibet per mutationes, vel medietas, vel immediatas, fit quodliber. Conſtat hoc in nutritione animalis, per quam cibus in Chilum, Chilus in ſanguinem, & tandem ſanguis in ſubſtantiam aliti tranſmutatur, &

fit pars animalis, Palea, lignũ, stuppa, & cętera mutantur in ignem : & negare huiusmodi transmutationes est apostatare à sensibus. Probatur iam consequentia, quia si in huiusmodi mutationibus non datur cõmune subiectum, substans tam formæ, quæ expellitur, quam formæ, quæ de nouo inducitur; substantia, quæ corrumpitur, non potest dici transmutari in eam, quæ gignitur; nec ea, quæ gignitur, generari ex ea, quæ corrumpitur. Et consequenter non erit mutatio vnius in aliud sed reductio vnius ad nihilum, & alterius productio ex nihilo. contra assumptum. *Ex nihilo nihil fit, & in nihilum nihil reuertitur.*

Explicatur hoc idem, quia nisi detur subiectum commune, in igne nihil est, quod antea esset in palea; ergo ignis est secundum se totum adæquatè ex nihilo. Item si in corruptione paleæ nihil remanet, quod antea esset in palea, manifestum est paleam abire in nihilum.

Promouetur hæc eadem ratio. Si de substantia, quæ corrumpitur nihil remanet in ea, quæ gignitur; non est cur agens neturale faciat ignem potius ex ligno, quam ex lapide, immò quam ex nihilo. Hoc autem est manifestè absurdũ. Sequella probatur, quia in ligno nihil concurit ad productionem ignis, nec in ligno quicquam est, ex quo conffetur ignis. non igitur magis concurit lignum, quam lapis. Cur igitur ax ligno facilius, quam ex lapide ignis generet ignem, Respondet Peripateticus; quia ignis facilius

lius expellit à ſubiecto cõmuni formam ſigni, quam formam lapidis: ratio huius eſt quia quamuis in neutro caſu materia ſecundum ſe repugnet, aut expulſioni veteris formæ, aut introductioni nouæ, cũ æqualiter ſe habeat ad omnes formas; tamen accidẽtia, quæ concomitantur in materia formam ligni, conſtituunt illam magis diſpoſitam ad formam ignis, quam accidentia, quæ in eadem materia concomitantur formam lapidis: adeoq; ſicut ex ligno ſicco facilius, quam ex viridi, facimus ignẽ; ita proportionaliter ex ligno facilius, quam ex lapide, aut aliqua alia ſubſtantia minus diſpoſita ad formã ignis. Item cur potius ex ligno, aut qualibet alia ſubſtantia, ignis generat ignẽ, quam ex nihilo: niſi quia in qualibet ſubſtantia ſenſibili datur materia, quæ adiuuet agens, vel ſubſtentando ipſius actionem & recipiendo in ſe forma, quæ de nouo producitur, vel aliqua alia ratione cooperando, quod præſtari nequit à nihilo.

Probatur 2. eadem Concluſio. Anima rationalis dicitur creari à Deo, & ſuperare vires, & actiuitatem cuiuslibet alterius agentis, & tamen prærequirit ſubiectũ, in quo recipiatur, & in ſubiecto diſpoſitiones quaſdam præuias, quibus ſubiectum ſit recipiendæ formæ idoneum. Hoc Aduerſarij concedunt: loquimur enim hic cũ Chriſtianis: nequeunt igitur ijdem aſſerere agẽs naturale non prærequirere vllum ſubiectũ nec vllas diſpoſitiones in ſubiacto ad productionem nouæ ſubſtantiæ; alioquin illã

pro-

produceret ex nihilo modo quodam excellentiori, quam anima rationali producatur à Deo. Probatur hoc, quia terminus productus ab agente naturali esset adæquata, & secundum se tota substantia; adeoq; terminus, qui ponitur in rerum natura ab agente naturali in nullo subiecto recipitur: substantia enim adæquata non est subiecto.

Probatur 3. experientia. In multis mutationibus substantialibus est euidens substantiam, quæ corrumpitur, non perire secundum se totam, ita vt nihil de ipsa remaneat: ergo ita contingit in omnibus. Conseq. patet: quia natura pariformiter operatur in omnibus, & ab iis, quæ patent, arguere debemus ad ea quæ latent. Antec. autem probatur in morte cuislibet viuentis. Homo mutatur per mortem in cadauer: idem dic de Bruto, & Planta: certum est autem & euidens remanere aliquid & de substantia hominis, & de substantia Bruti, & de substantia Plantæ. Aduersarius nihil hic sapienter negabit. Non negabit hominē mori, aut brutum, aut plantam; si autem neget quicqnam remanere ex ipsis; non inueniet qui ipsi credat. Hoc autem, quod remanet, est illud ipsum, quod cum forma plantæ faciebat plantam: cum forma bruti faciebat brutum, & iam cum forma cadaueris facit cadauer. Propterea vocatur subiectum commune.

Hoc autem subiectum esse primū subiectum, seu materiam primē facile probabis. Nam, vel supponit aliquod aliud ante se, vel

non;

non; si non supponit; eo ipso est primum: si supponit; de hoc eode quæritur vnde sit, & an sit primum. Si est ex aliquod alio: illud aliud est primum, si non ex alio: ipsum primum erit, adeoq; manifestum est in quolibet naturali composito dari primum subiectum: cum repugnet numquam deueniri ad vnum, vltra quod non sit aliud inquirendum.

Iam vero prçter illud subiectum commune, & indifferens, quod promiscue prium, & vltimum nuncupatur? dari aliquid aliud per quod quælibet substantia physica sit hæc potius, quam illa secundum speciem, manifeste apparet. Implicat enim hanc, & illam substantiam constitui in hac, vel illa specie determinatè per id præcise, quod secundum se est indifferens ad hanc, vel illam, ex omnibus speciebus substantiæ sensibilis. Planta igitur & lapis, lingnum & ignis: equus & canis præter id, quod est vtriusq; comune: debent habere aliquid, per quod inter se differant, & constituantur substantiæ dissimiles substantialiter. Hoc autem est id, quod dicitur forma. Habitis vero materia & forma simul, habes totam substantiam naturalem. Hoc idem clarissimè explicatur à Philosopho per artificialia: Idem æs est indifferens vt sit phiala, vel vrceus: adeoque non sunt diuersa phiala, & vrceus per ipsum çs: sunt autem diuersa per hoc, quod æs in vno habeat formam hanc: in alio illam aliam.

Denique sicut euidens est, quod habitis materia & forma simul: habes rem; ita euidens est te non habere per hæc prçcise rem in

fieri

fieri, seu primo poni rem: rem enim primo poni in natura, est ita poni, vt immediate eam antea non esset. Propterea, vt dicatur res fieri, oport vt subiectum à priuatione formę transeat ad habitum eiusdem, & hoc est dari tria principia corporis naturalis in fieri: materiam videlicet, forma, priuationem. Materia est subiectũ transiens ab vno extremo ad aliud; transit enim à priuatione formæ ad formam; hinc in illo transitu priuatio dicitur terminus à quo: forma vero terminus ad quem. Ita compositionem corporis naturalis explicauit Philosophus; Philosophum aute sequuti sunt quotquot inter Philosophos sapiẽtiæ nomine claruerunt, vt sunt D. Thomas, Scotus, & alij infiniti.

Pro hac eadem sententiam afferunt alia argumenta. Præcipue autem, quod quando vnum gignitur ex alio apparent in genito quædam, quæ præerant in corrupto. Puta vermes; qui gignuntur ex caulibus, retint colorem caulium, qui ex floribus, vel flauis, rubri etiam sunt, vel flaui. Constat etiam ignem, seu flammam ex diuersis lignis diuersi coloris esse; puta quæ ex ramis oliuæ, alterius coloris est, quam quæ ex vite, vel quercu. Hinc inferunt accidentia huiusmodi, prædictos videlicet colores, transire ab vna substantia in aliam, adeoque & subiectum talium colorum: accidentia enim ab vna in aliam rem transmigere non possunt, nisi per transmigrationẽ subiecti, cui inhærent. Subiectum autem hoc est materia prima. Eatur igitur materia prima commu-

nis.

nis vtriq; compoſito, ſeu vtrique corpori, & ei videlicet, quod fit; & ei, quod deſtruitur. Hoc argumentum eſt bonum, ſed eludi facile, propter diuerſitatem opinionum in ipſamet Schola peripatetica circa ſubiectũ accidentium, & circa poſſibilitatem, vel impoſſibilitatem tranſitus accidentis de ſubiecto in ſubiectum. Quæ quia hic pro dignitate tractari nequeuut, vtpote pertinentia ad libros de ortu & interitu, ideo ſolum obiter indicaſſet ſufficiat.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus contra numerum Principiorum.

OBiicitur 1. Ad habendum adæquate compoſitum non ſufficit habere materiã & formam; ſed inſuper requiritur inter vtramq; vnio, per quam conſtituant vnum. Item requiritur ſubſiſtentia, per quã tale compoſitum ſit in genere entis vltimo cõpleti. Item impoſſibile eſt eſſe tale compoſitum, quin duret, hoc eſt quin aliquando ſit: quin vbicetur, hoc eſt quin alicubi ſit: ergo & vnio, & ſubſiſttẽntia, & duratio, & vbicatio ſunt alia principia rai in facto eſſe.

Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Vt autem intelligas quid obiiciat Aduerſarius; ſcias oportet nomine dorationis intelligi accidẽs quoddam modale, per quod formaliter res eſt in aliquo determinato tempore: nomine vbicationi, aliquid, per quod res eſt in aliquo

quo loco: nomine subsistentię rationem aliquam, per quam ens aliquod constituatur in genere entis vltimo terminati seu completi. His positis de vnione non esse principium: sed nexum, seu vinculum, quo materia, & forma simul principiant, & constituunt intrinsece totum; quod ideo dicitur constare ex materia, & forma vnitis: subsistentiam non esse principium, vel quia præsupponit totum compositum naturale, cui superuenit: quæruntur autem hic principia corporis naturalis; vel quia ratio subsistentiæ habetur per hoc præcise, quod materia & forma vnitim existant, & nulli alteri vniantur. Duratio, vbicatio, & alia huiusmodi sunt mera accidentia, quæ non ingrediuntur constitutionem substantiæ physicæ, cuius adæquata quidditas præscindendo ab his omnibus, recte intelligitur, & habetur.

Obijcitur 2. Materia constat ex partibus ipsam intrinsece componentibus. Idem dic de forma materiali, puta de forma ignis, ligni, & cæteris huiusmodi: ergo & materia, & forma fiunt ex alijs: ergo non sunt principia. Hæc vltima conseq. probatur, quia de ratio principiorum est, quod non fiant ex alijs.

Resp. dist. ant. materia, & forma materialis constant ex partibus integralibus: omitto ant. ex partibus essentialibus; nego ant. & eode modo distincto primo consequenti; nega vltimam consequentiam. Dictum est supra nos agere hic de principijs essentialibus. Quamuis autem tam materia, quam

quã forma materialis vt pote diuiſibiles in plures partes, conſtet ex pluribus partibus; tamen vna pars materiæ reſpectu alterius non ſe habet, ſicut actus ad potentiam: vt contingit in compoſito ex materia, & forma: quarum hæc quidem actus, illa autem potentia. Nomine formæ materialis intellige quamlibet forma cuiuslibet ſubſtantiæ ſenſibilis, vna Anima rationali excepta.

Dices: etiam materia, & quælibet forma conſtat partibus eſſentialibus: ergo nulla reſponſio. Probatur ant. quia & materia, & quælibet forma eſt definibilis per genus, & differentiã: genus & differentia ſunt partes eſſentiales: ergo &c.

Reſp. neg. ant. Cuius probatio probat etiam formas ſpirituales, & quãlibet rem, quamuis ſimpliciſſimam, conſtare partibus Genus, & differentia non ſunt partes phyſicæ, vt vidimus in Logica; ſed partes ſeu potius gradus metaphyſici, de quibus hic nihil dicimus.

Obiic. 3. Priuatio eſt principium corporis naturalis in fieri: ergo dantur quatuor principia corporis naturalis in fieri. Conſ. prob. quia ſi priuatio eſt principium, etiam forma antecedens eſt principium: ſi forma antecedens eſt principium, dantur quatuor priucipia: ergo ſi priuatio eſt principium, dantur quatuor principia. Quando dicimus *forma antecedens*: intellige formam, quę expellitur per introductionem nouæ. Probatur iam maior, quia materia in mutatione

ne substantiali tam transit à forma veteri quam deponit, quam à priuatione formæ, ad nouam formam v. g. quando ex palea fit ignis, materia tam transit à forma paleæ, quam à priuationem formæ ignis, ad formã ignis. Idem contingit in qualibet aliam transmutatione. Cum enim materia prima nũquam existat spoliata omni forma substantiali; numquam transit à pura, & præcisa priuatione formæ ad formam; sed insuper ab vna forma transit ad aliã, & consequenter addendum est quartum principium, forma videlicet antec.

Res. conc. ant. neg. cons. Ad probationem varij varie. Sunt qui dicant formam, quæ expellitur includi intertio principio, videlicet in priuatione; ratio est, quia priuatio non est præcisa carentia formæ in subiecto; sed carentia cum aptitudine ad formam, per formam autem antecedentem, aptatur subiectum formæ subsequenti, puta per formam ligni, aut palea, formæ ignis. Hæc eadem doctrinam ponit sub nomin priuationis omnia accidentia, per quæ subiectũ disponitur ad nouam formam. Hoc posito non dantur quatuor principia, sed carentia formæ cum omnibus, quomodolibet constituẽtibus aptitudinem ad ipsam, habent rationem termini à quo, seu priuationis.

Alia rep. est neg. mai. Ad probationẽ omitte ant. quod videlicet subiectum tam transeat à forma veteri ad nouam, quam à priuatione ad formam; & nega cons. quod videlicet tam forma vetus, quam priuatio sit

ſit principium. Ratio diſparitatis eſt, quia tranſitus ille, in quantũ mutatio eſt dicit per ſe priuationem formæ, vt terminum à quo: formam autẽ veterem ſolum per accidens. Mutari materiam conſiſtit in hoc, quod ex non habente formaẽ fiat habens forma. Hoc idem exemplificat Philoſophus inijs mutationibus, in quibus ſubiectum non tranſit à forma ad formam, ſed præciſe à non forma ad formam: quæ tamen sũt veræ, & propriæ mutationes. Putam cum homo ex immuſico fit muſicus, ex immathematico mathematicus; non tranſit à forma ad formam, quanuis mutetur; neque enim aut immuſica. aut immathematica formæ ſunt, ſed carentiæ formarum. Idem contingit quando aer ex tenebroſo fit lucidus.

Dices: niſi materia tranſiret ab vna forma ad aliam formam, talis tranſitus, ſeu talis mutatio non eſſet naturalis: g. ad conceptum corporis naturalis in fieri per mutationem naturalem requiritur tranſitus ab vna formam ad aliam formam. Cum igitur hic ſermo ſit non de mutatione vt ſic, non de corpore naturali in fieri quomodocunq; ſed de corpore naturali in fieri per mutationem naturalẽ; debet in ipſius conceptu includi tam forma, à quam tranſit ſubiectum, quam ipſamet priuatio: conſequenter niſi forma vetus includatur in priuatione, erunt quatuor peincipia corporis naturalis in fieri.

Confirmat hoc argumentũ Fonſeca; quia: agens, inquit, naturale agere nequit in mamateriam nudam; prærequirit enim in ipſa

diſ-

dispositiones quasdam. Hinc si igni. v. g. appromixaretur materia spoliata omni forma, non posset ex ipsa educere formam ignis: g. ad hoc vt materia mutetur per agens naturale ex nō ingne in ignem, mutari debet hæc substantia in illam substantiam. Immo ex communi modo loquendi non dicitur mutari materia sed ipsamet substantia.

Resp. 1. fortasse falsum esse id, quod supponitur à Fonseca; quod videlicet ignis non induceret in materiam nudam, & omni accidente spoliatam formam ignis. Quamuis enim verum sit formam ignis non induci, nisi post præuias dispotiones: hoc non facit ad rem, quasi vero ignis ipse nequiret in eandem materiā inducere prius dispositiones, & postea formam ipsam, sicut de facto facit, cū ex ligno facit ignem. In huiusmodi autem casu vere haberes ignem in fieri, quamuis materia non transiret à forma ad formam sed præcise à priuatione ad formam: & quidem rem in fieri naturaliter quamuis enim præsuppositio ipsa, materiæ carentis omni forma, sit præsuppositio alicuius miraculi, tamen id quod fite per actionem ignis adplicati ad talem materiam, naturaliter fit.

Pręterea est discrimen inter priuationem, & formam antecedentem satis notabile, quoad punctum præsens. Fieri ignem de nouo determinate dicit priuationem formæ ignis, à qua transeat subiectum; non autem determinate dicit formam paleę; aut formā ligni; quamuis igitur æque necessarium sit materiæ transire ab aliqua forma, ac transire

ſire à priuatione: tamen quia nulla determinat forma, determinate autem priuatio formæ inducendæ requiritur: rectè priuatio, ſecus forma antecedens ſortitur rationem principij. Aſſignat enim hic Phyſicus pro principij ea, quæ determinate requiruntur ad conceptum rei in fieri.

Denique conceptũ mutationis, per quam res fiat de nouo, habes pręciſe per hoc, quod intelligas tranſire materiam à priuatione ad forma; quamuis enim, ſi forma antecedentem excluderes, fortaſſe non conſideres rem in fieri modo naturali: tamen dum præſcindis, non concipis rem fieri aliter, quam modo naturali. Hic igitur conceptus *materia tranſiens à priuatione formę ad formam*, eſt adæquatus rei naturalis in fieri; quamuis præſcindat an ſimul cum tali priuatione in eadem materia exiſteret, vel non exiſtere forma poſitiua incompoſſibilis cũ ſubſequente. Ex his omnibus habes formã antecedentem impertinenter ſe habere ad rationem principij.

Obij 4. Non eſt potior ratio cur priuatio antecedens formæ nouæ ponatur pro principio, quam priuatio ſubſequens formę deſtructæ: g. vel vtraq; poni debet, vel neutra. Antec. probatur: quia tam neceſſe eſt neceſſitate naturali per mutationem prædictam deſtrui formã veterẽ, ipſiuſque priuationem ſuccedere: quam poni forma nouam, & ipſius priuationem expelli; ergo vtraque priuatio pertinet ad conceptum rei in fieri. Exemplo res patet: quando ex ſtup-

pa

pa fit ignis, per aduentum formæ ignis tam ponitur in materia priuatio formæ stuppæ, quam excluditur ab eadem priuatio formæ ignis. Quemadmodum igitur priuatio formæ ignis habet rationem termini à quo, priuatio formę stuppę habebit rationem termini ad quem: ad hanc enim ab illa fit transitus.

Resp. neg. ant. Priuatio formæ de nouo productæ est de conceptu intrinseco & essentiali rei in fieri, secus priuatio formæ destructæ: quamuis realiter vtraq; priuatio sit naturaliter necessaria cum res de nouo fit. Concipe materiam transire à non forma ad formam substantialem; habes rem fieri per mutationem substantialem. Hic autem nihil attingis formaliter de priuatione formæ distructæ, quamuis hanc inferas consequenter: alud autem est id, quod pertinet ad conceptũ rei in fieri per medũ constitutiui, aliud, quod pertinet ad eundẽ: per modum legitimi consequentis. Esse autem de conceptu formali rei in fieri priuationem formæ, quæ ponitur, est euidens: nã primo esse est ita esse, vt immediate ante non esset. Præterea si priuatio formæ destructæ, quia est in materia, ponenda esset pro principio deberent poni principia infinita: neq; enim est in illa materia simul cum forma ignis sola priuatio formæ stuppæ, sed insuper priuatio omnium formarum, quarum est capas materia, impossibilium cum forma ignis. Adde, quod natura in operando bene habet pro termino à quo priuationẽ formæ

mæ acquirendæ; priuationem vero formæ deſtructæ habere nequit, neq; pro termino à quo, quia ſtat cum forma producta, neque pro termino ad quem, quia non tendit ad nō ens; ſolum autem per accidens ad terminum à natura intentum conſequitur aliquod non ens, propter incompoſſibilitatem vnius cum alio. Hoc D. Thomas ex Philoſopho paſſim, & fuſe explicat oſtendens actionem ignis tendere ad alium ignem ex intentione naturæ primaria: ponere autem ſimul priuationem formæ, quam deſtruit eſt præter intentionem primariam, & ſolum propter incompoſſibilitatem vnius formæ cum alia.

Obij. 5. Si Deus in eodem inſtanti crearet ſimul materiam cum forma, vt poteſt, & vt fecit in prima creatione rerum; tunc non præcederet priuatio formæ ignis: & tamen vere fieret ignis de nouo: g. falſum eſt, quod fieri ignem de nouo includat eſſentialiter antecedentem priuationem formæ ignis. Quod fieret ignis de nouo, eſt euidens: quod non pręcederet priuatio formæ ignis oſtenditur, quia priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto; ſed in caſu poſito non præceſſit ſubiectum aptum: ergo in caſu poſito non præceſſit priuatio.

Reſp. ſermonem hic eſſe de conceptu rei naturalis in fieri, vt de facto fit, non autem vt fieri poteſt à Deo, & vt facta eſt in creatione mundi. Deus enim non produxit per mutationem ſubſtantialem prima corpora naturalia, quæ creauit. Etiam tamen in tali caſu non eſſe rei præceſſit rem. Aiunt autem

aliqui casum proponi posse dupliciter; primo ita vt in illo eodem instanti, in quo creat materiam, creet simul & formā, hoc est formam producat independenter à concursu materiæ. Secundò ita vt inillo eodem instanti, in quo erat materiam, educat formam de potentia materiæ, seu producat formam concurrente materia, per modū causæ passiuæ. Si res accidat primo modo: materia non habet vllam prioritatem respectu formæ: non temporis, quia in eodem instanti producitur; non naturæ: quia forma fit independenter ab ipsa. Quod si accidat secundo modo; materia non habet quidem prioritatem temporis respectu formæ, quia simul tempore producuntur: habet tamen prioritatem naturæ, quia forma producitur dependenter ab ipsa. Primo modo, inquiunt, non præcidit priuatio, secundo præcidit, sicut præcedit materia.

Hac doctrina non subsistit; quia nequit dari in eodem instanti priuatio formæ, & forma, cum igitur in illo eodem instanti, in quo primo est materia, sit etiam forma: euidens est in illo eodem instanti non dari priuationem ipsius. Decipiuntur autem, qui sic philosophātur in hoc, quod putent idem esse, quod materia non habeat in priori formam, ac quod habeat in priori priuationem formæ: cum tamen hæc duo tam distent, quam distat non includere formām, & formam excludere; primum dicit præcisionem, secundum negat id à quo purè præscinditur. Ad argumetum in forma conc,

antec.

antec. dist. conseq. ignem fieri de nouo, vt de facto fit non includit priuationem ; nego ; vt fieri potest, & vt fortasse primo factus est à Deo: omitto conseq. est autem sermo de rebus in fieri, vt fiunt; videlicet per transmutationem vnius substantiæ in aliam.

Obiic. 6. De conceptu intrinseco rei in fieri est etiam agens: ergo debet poni pro quarto principio. Antec. probatur, quia implicat aliquid fieri, nullo agente fieri: ergo, &c.

Resp. neg. ant. fieri ignem per mutationem substantialem est subiectum transire à priuatione formæ ignis ad formam; siue hoc fiat aliquo agente extrinsecus mouente subiectum, siue non; semper fit ignis. Verum est hunc transitum non posse fieri, nisi aliquo extrinsecus mouente: sed hoc mouens extrinsecum non est quod intrinsecum rei in fieri vt tali. Concedimus autem etiam agens esse principium rei, quæ fit, sed extrinsecum.

ARTICVLVS III.

Satisfit alijs obiectionibus.

PRecedenti articulo dictum est ab aduersarijs contra numerum principiorum; præsenti articulo dicetur contra principia, quæ ipsi statuimus, rei naturalis:

Obijciunt igitur. Principia ex Philosopho debent esse contraria: materia, forma non sunt contraria: g. non sunt principia.

Maior constat tum ex 1. Phys. tex. 48. tum alijs locis, in quibus ait Philos. omnes veteres, qui rationabiliter philosophati sunt, veritate cogente in hoc conuenisse, quod contraria quodammodo principia esse putarent. Hinc alij dixerunt principia rerum omnium esse humidum, & siccum: alij esse vacuum, & plenum, alij quorum Princeps Empedocles, esse litem & amicitiam: naturalia, vt puto, ethicis, & politicis metientes, in quibus amor & odium omnia moderantur. Minor autem est certa, actus enim, & potentia, qualia sunt forma, & materia contrarietatem non habent.

Resp. adeò falsum esse omnia principia in doctrina Philosophi debere esse cōtraria, vt doceat passim, præcipue autem 12. Metaphys. materiam esse subiectū contrarietatis: hoc est priuationis, & formæ: materia enim modo est sub priuatione, modo sub forma, & consequenter cum neutro contrarietatem habet. Contrarietas igitur est inter aliqua, videlicet inter priuationem, & formam. Ex quo patet esse cōtrarietatem inter ens, & non ens: non autem inter ens, & ens.

Dices. Ex Philosopho album fit ex non albo, & non ex omni non albo, sed vel ex nigro, vel ex medijs: puta flauo, vel cæruleo, vel alijs huiusmodi: ergo secundum Philosophum non sufficit contrarietas, seu oppositio priuatiua, qualis est inter non album, & album, sed requiritur positiua, qualis est inter nigrum, & album.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Sensus Philosophi

ſophi eſt, non quodlibet non album poſſe fieri album: ſunt enim non alba incapacia & albedinis, & cuiuslibet alterius coloris, puta Angelus, quamuis ſit non albus, nequit fieri albus, aut quomodolibet coloratus. Proptereà non ſufficit ſubiectum eſſe nō album, ſed oportet eſſe ſubiectum colorabile adeoq; alicuius coloris: cū omne colorabile alicuius coloris ſit, & ideo per rationē colorati explicat Philoſ. rationem colorabilis.

Obijc inſuper: forma fit ex materia, & ex priuatione: ergo formæ non conuenit definitio principii. Conſeq. probatur; quia in definitione principiorum dicitur, quod non fiunt ex alijs, neque ex alterutris. Ant. autem probatur, quia forma plantæ, vel ignis non eſt ex nihilo, ſed ex ſubiecto: eſt autem etiam ex priuatione tamquam ex termino à quo.

Reſp. diſt. antec. forma eſt ex materia, & priuatione tāquam ex partibus ipſam componentibus: nego; tanquam ex ſubiecto, & termino à quo: conc. ant. & nego conſeq. Verum eſt principia non fieri ex alterutris, accipiendo legitimè particulam *ex*, videlicet, prout denotat habitudinem partis componentis. Aliud enim eſt priuationem, materiam, & formam componere intrinſecè hoc totum, quod eſt rem fieri, aliud priuationem, & materiam componere formam, ſeu formam conſtare ex materia, & priuatione. Hoc ſecundum eſt falſum, primum eſt verum.

Hinc rectè docet Philoſophus principia,

quia contraria sunt, non fieri est alterutris; quia prima, non ex alijs, quia principia, ex his omnia; quia contraria, non fiunt ex alterutris, tanquam ex partibus componentibus: nam, vt obseruat Plato in Phædone, quamuis vnum contrarium ex alio contrario fiat, tanquam ex termino a quo: imo vnumquodque ex suo contrario fiat: viuens ex non viuente, & ex viuenti non viuens: vnum tamen contrarium non constat intrinsecè ex suo contrario, puta viuens non constat ex non viuente; nec è conuerso.

Obijc. vltimo. Priuatio vel principiat quando est, vel quando non est: neutrum dici potest; g. non est principium. Maior est indubitata: est enim disiunctiua inter contradictoria. Minor probatur, quia si dicas principiare quando est! contra est: nam quando est priuatio corpus naturale non principiatur ergò priuatio non principiat quando est. Patet hæc conseq; implicat enim in terminis corpus naturale principiari, quando non principiatur. Si autem dicas priuationem principiare quando non est: etiam contra est; quia implicat non esse, & principiare: ipsum enim exercitum principiandi, seu actus secundus principiandi supponit esse. Adeo, quod quando non est priuatio est forma tali priuationi opposita: adeoq; simul principiarent priuatio, & forma; consequenter simul essent.

Resp. conc. mai. neg. min. Dico autem priuationem principiare quando est. Ratio est, quia rem fieri, vt fit, est subiectum tran.

sire

sire à non forma ad formam; adeoque in instanti *A* esse sub non forma, & instanti *B*, esse sub forma; & consequenter hoc totum quod est rem fieri, componitur ex priuatione, tanquam ex termino à quo, ex forma tamquam ex termino ad quem, ex materia ab vno ad alterum terminum transeunte. Materia vtrique termino coexistit, termini autem non sibi coexistunt; & consequenter hoc totum numquam est simul, sed successiue per partes: instanti *A* materia est cum priuatione: instanti *B* est cum forma, adeoque in tempore constante ex *A*, & datur totum fieri. Hinc quando datur priuatio, non datur fieri secundum se totum: datur tamen secundum partem sui: adeoq; verum est, quod quando est priuatio, non datur principatum secundum se totum; falsum quod non detur secundum aliquid sui.

ARTICVLVS IV.

Sustinetur materia prima.

NEcessitatē materiæ primæ ex hoc potissimum capite demonstrat Philosophus, quod ex nihilo nihil fit, posse autem hoc principium stare sine materia prima probare conantur hostes materiæ primæ. Eius igitur existentiam impugnant.

Primo. Si in generatione nouæ substantiæ substantia vetus ita petit, vt nihil de ipsa remaneat, non requiritur commune subiectum: potest res ita contingere, simul

esse verum: *Ex nihilo nihil fit*, g. ad veritatem huius principij non datur necessitas materiæ primæ. Maior est euidens; Minor probatur: si supponatur in natura hæc lex, vt nullum agens quicquam de nouo producat, nisi aliud destruendo, cuius in locum succedat id, quod de nouo producitur; non requiritur subiectum commune, & vnaquęque res ex alia fiet; ergo &c.

Resp. conc. mai. neg. min. ad probationē dic huiusmodi legem esse adeò ineptam, vt tribui nequeat naturæ. Destruere vnū, & in locum illius inducere aliud, non est producere, seu facere vnum ex alio. Non facit Statuarius ex cathedra scamnum, si nihil fit in scamno, quod antea esset in cathedra; nec ex Cane Leporem, nisi illud idem marmor, quod erat in Cane, & materia Canis maneat in Lepore, & materia leporis. Quemadmodum autem in arte, vnum artefactum fit ex alio, stante sub vtriusque forma eadem materia artis, sic etiam in natura vnum ex alio fit, stante sub vtraque forma eadem materia. Materia naturæ dicitur materia prima, quia non habet formam, nisi quam recipit à natura, materia artis est materia secunda, quia ante formam inductam ab arte est alia forma; siue quia ars agit in substantiam completam, & ideo facit vnum per accidens; natura agit, & inducit formam in substātiam incompletam, & facit vnum per se. Ars non facit substantiam, sed supponit; natura non supponit, sed facit. Ars supponit opus naturæ, circa quod ope-

operatur, natura nullius alterius opus supponit: materia enim prima non dicitur opus, sed pars operis; quamuis actio creatiua terminari possit ad solam materiam, adeoque materia dici possit opus Dei.

Obijc 2. Potest remanere aliquid commune corrupto, & genito, quod non sit materia prima, g. ex necessitate alicuius, quod sit vtrique commune, non probatur necessitas materiæ primæ. Antec. prob. quia si ponas accidentia communia, & paleæ, quæ destruitur, & igni, qui gignitur, habes aliquid commune vtrique substantiæ, & tamen non habes materiam primam, ergo sine materia prima habes aliquid commune vtrique substantiæ.

Resp. vnã substantiam nõ fieri ex alia per hoc, quod habeat aliqua accidentia, quæ essent in alia, substaatia enim non constituitur per accedentia. Præterea ex hac ipsa cõmuniter accidentium, si detur, probabimus alibi communitatẽ subiecti, cum accedentia non sint sine subiecto, nec transeant de subiecto in subiectum. Denique mutatio vnius substantiæ in aliã, nihil remanente vtrique communi, præter accidentia, vocatur transubstantiatio, quæ non fit, nisi in venerabili Sacramento Eucharistiæ, in quo destructa substantia panis & vini, ponitur substantia corporis, & sanguinis Christi Domini. Hanc mutationem, vt omninò singularem, & ab ijs alienã, quæ per naturam fiunt, singulari, & nouo nomine Concilia, & Patris transubstantiationem appellant.

Ex his patet ad argumentum. Non sufficit vtriusq; substantæ aliquid esse commune, sed requiritur, vt aliud aliquid sit substantiale.

Obiic. 3. Neq; hoc principium: *Ex nihilo nihil fit*, saluari potest in sententia peripatetica: ergò quoad hoc minus valet doctrina Aristotelis, quam alia. Antec. prob. quia etiam in sententia peripatetica forma fit ex nihilo; cum tamen in substantia sit pars precipua: ergò, &c. Probatur hoc secundum antec. quia formam fieri ex materia nihil aliud est, quam formam, quæ antea nihil erat in materia produci. Si enim ãtea nihil erat, manifestum est, quod ex nihilo fit: fieri enim in materia non tollit fieri ex nihilo, sicut non tollit fieri ex nihilo, si Angelus fiat in hac Schola.

Hoc argumentum est Achilles Atomistarum. Et quia multipliciter, & discorditer soluitur à peripateticis: non enim vno omnes modo explicant quid sit fieri ex materia: ideo opinantur non solui: Alii enim sic aiunt. Formam educit de potentia materiæ nihil aliud est, quam materiam, quæ potentia erat lignum, & ignis, vel quodlibet aliud huiusmodi, virtute agentis naturalis fieri lignum, aut ignem, aut quidlibet aliud huiusmodi. Hæc explicatio maximè consonat iis omnibus, qui negant materiam per seipsam formaliter esse, existimantes hanc habere esse formaliter per quamlibet formam, à qua informetur. Sed quærunt Atomistę quid hoc, ipsum significet: nam quomodo marmor,

quod potentia est Constantinus, fiat actu Constantinus facile intelligitur: per hoc enim ipsum, quod Berninus hinc inde decidat hoc, vel illo modo particulas marmoris: marmo è marmore rudi in Constantinum euadit. Quomodo autem lignum euadat in ignem; aut potius quomodo materia prima euadat in ignem, aut lignum, aut quamlibet aliam substantiam non est facile intelligi: facile autem intelliges, si de operibus naturæ ita philosopheris, sicut vides contingere in operibus artis. Quodã opera artis fiunt per decisione partis à parte, sicut accidit in Sculptoria: Marmor enim euadit quælibet Statua per hoc, quod Statuarius particulas ab ipso hoc vel illo modo decidat. Secus accidit in pictoria: Pictor enim quamlibet imaginem facit, non per dicisionem partis à parte, sed per iuxta positionem partis ad partem, coloris videlicet ad colorem, propterea doctrinam Atomisticã etiam rudes facile intelligunt, qua eodem modo putant operari naturam, quo vident operari artifices, etiam operum rudiorum. Quemadmodũ enim artifex nihil ponit de nouo, nisi dispositionem partium componentium artefactum: ita putant naturam nihil ponere de nouo, præter dispositionem partium componentium ens naturale.

Dicunt alij formas ipsas latilare in materia prima, & virtute agentis naturalis suis è latebri euocari. Hoc etiam si metaphoricè dicatur, nihil dicitur: si propriè, absurde dicitur. Si enim ante actionem agentis

sint in rerum natura, idque vnum obtinet agens naturale, vt appareant: vere & realiter hoc habetur, vt appareat quod latebat, non autem vt fiat, quod non erat; & consequenter non fit vnum ex alio; cum tamen vnum ex alio fieri omnes admittant.

Dicendum est igitur Atomistas crassam æquiuocationem pati in argumento proposito. Dictum est iam supra quisnam esset sensus huius proloquij: *Ex nihilo nihil fit*. Philosophus, & veteres loquuntur de ipsis substantijs, seu corporibus, quæ oriuntur, & occidunt: & in hoc conueniunt, nullum corpus fieri de nouo, quod non ex aliquo sibi præexistente constet: ly *Ex aliquo*, intelligunt Atomistæ ex aliquo corpore; Peripatetici, non ex aliquo corpore, sed ex aliqua re communi corpori, quod fit, & corpori ex quo fit. Vtriq; autem rectè saluant hoc principium: *Ex nihilo nihil fit*. Hoc autem, quod vtrique corpori commune est, vocant materiam primam, quæ cum prima forma, pristinum: cum noua, nouum corpus constituit.

Quod si formam solam consideremus, illamq; dicamus fieri, certum est illam antea non fuisse, adeoq; fieri ex nihilo sui: sicut etiam dispositio illa localis, quã vnicè ponunt Atomistæ pro forma, quam dicimus, substantiali, antea non erat, & fit ex nihilo sui. Quemadmodum autem ineptè vrgẽtur Atomistæ hoc argumento, quod videlicet ipsa localis dispositio, & alia huiusmodi fiant ex nihilo, adeoque non saluatur apud

ipsos

ipsos hoc principium: *Ex nihilo nihil fit*; ita ineptissimè vrgemur ab ipsis contra idem principium, ex eo quod ipsamet forma, vt dicimus, substantialis ex nihilo fiat. Solum igitur in hoc differimus, quod ipsi putent naturam nihil operari posse, nisi per motum localem, nos aliquid aliud posse dicamus. In hoc autem euidens est ipsos nimis crasse philosophari.

Quid sit autem fieri ex nihilo sui, quod concedimus formę, & concedunt suę dispositioni locali Atomistæ facile explicatur; nihil enim aliud est, quam formam, quę antea non erat, modo esse; quid autem sit non esse ex nihilo subiecti, sed esse ex subiecto seu fieri ex subiecto, non adeo facile explicatur. Explicatio autem pertinet ad tractatum de Causis, vbi ostendetur causalitas materiæ primæ in formas, quæ propterea dicuntur materiales. Interea, educi formam de potentia subiecti non est fieri in subiecto; nam etiam anima rationalis fit in corpore, nec tamen de potentia corporis educitur, cùm creetur; nec est formas ante latentes tãdem apparere, cum hoc non sit fieri, sed mõstrari: fieri igitur, seu educi ex subiecto dicit verum, & realem concursum materiæ primæ in formam, quem suo loco dicemus. Ad argumentum in forma; patet ex dictis. Nam vel fieri dicitur de substantia, seu de corpore, & tunc manifestum est non fieri ex nihilo, cum intrinsecè constet ex aliquo substantiali, quod inesset corpori, ex quo fit. Vel fieri intelligitur de forma; & tunc illa quidem

dem fit ex nihilo sui, non autem ex nihilo subiecti: sicut & dispositio, & motus, per quē dispositio atomorū habetur. Concurrit autē subiectū non per modū diuersimodè dispositi in partibus suis secundum locum, sed alio genere concursus, per quem ponitur in rerum natura plus aliquid de nouo, quam localis dispositio partiū. Peripatetici enim pro certo habent naturam plus aliquid posse, quam localiter mouere corpora; cum nihil amplius illi concedant.

ARTICVLVS V.

Satisfit obiectionibus contra formam substantialem.

ARguunt Atomistę posse corpuscula per diuersam dispositionem facere diuersa corpora ex eo, quod ex litteris alphabeticis diuersimodè collocatis habeantur diuersissima opera. Puta opera Platonis differunt ab operibus Aristotelis, & sic de alijs; cum tamen viginti quatuor characteres omnibus sufficiant. Idem videre est in opere musæo, constante ex lapillis hoc, & illo modo dispositis. In opere artis pictoriæ, in qua vnū artefactum ab alio non differt, nisi secundū diuersam collocationem eorundem colorū. præterea neq; hoc requiritur, vt eadem omnino corpuscula nec plura, nec pauciora sint in vno corpore, quæ in alio: dummodo nulla de nouo fiant; nihilque natura noui efficiat, nisi congregare dum gignit, disgre-

gregare dum destruit, corpuscula initio mundi abundanter creata à Deo. Sic igitur arguunt. Ex litteris alphabeticis siue ijsdem variè collocatis, siue partim ijsdem, partim diuersis fient diuersæ voces, & diuersa epigrammata, &c. ergo ex ijsdem atomis varie collocatis, vel partim ijsdem, & partim diuersis fient diuersa corpora naturalia.

Resp. conc. ant. neg. cons. Inter corpus, & corpus est diuersitas secundum substantiam; inter carmen, & carmen, est diuersitas secundum accidens. Quod autem ad illud esse substantiale, quod tribuimus formæ, nō sufficiat dispositio localis, siue earundem, siue diuersarum atomorum; ostensum est supra ex eo, quod in quolibet toto, quod est à natura, reperiatur principiū quoddam conseruatiuum, & recuperatiuum earum qualitatum, quæ ipsi debentur. Si in carmine Vigiliano vel Homerico vel vnum characterem loco dimoueris, numquā se in suum locum restituet, secus si alteraueris corpus naturale. Et hæc disparitas est physicè euidens; facitq; physice euidens, corpus naturale suos motus habere ab intrinseco; artefactis autem omnia ab extrinseco adesse. Hinc apparet necessitas ponendi vltra dispositionem atomorum aliquid aliud, quod sit principium prædictorum motuum; vnde si diceret Atomista etiam inter hanc, & illā vocem dari diuersitatem substantialem, eo quod sit æque notabilis, ac diuersitas quæ est inter ignem, & paleam; permitte illi, vt diuersitatem suam vocet vt voluerit: tene

au-

autē quod negare nequit,nisi desipiat, dari in corpore naturali principiū aliquod, per quod ad intrinseco hoc, & illud præstet. hoc principium non dari vllo artefacto. Hoc principium vocatur forma substantialis, quod quia in diuersis diuersum est, ideo corpus à corpore substantialiter differt.

Immò, vt obseruat Philosophus, motus, qui artefactis inest ab intrinseco, inest illis non secundum formam, sed secundū materiā. Puta si statua marmorea sibi relinquatur, non mouebitur secundum formam quā habet ab arte, motu videlicet progressiuo, qui est proprius pedatorum, sed deorsum rouet, qui motus est secūdum naturam marmoris. Mareria autem artis est substantia completa adeoque constans ex materia, & forma substantiali; vnde motus, qui artefactis inest ab intrinseco, inest illis à forma naturæ, non à forma artis: Et propterea quandoq; artefacta corrumpuntur, quia eo tendunt secundum formam naturæ, quo ferri nequeunt sine præiudicio formę artis.

Obijc. 2. vnumquodq; componitur ex his in quæ resoluitur; sed omne corpus sensibile resoluitur in corpuscula; ergo omne corpus sensibile componitur ex corpusculis. Maior est indubitata. Domus resoluitur in cæmenta, lapides, & ligna: componitur ex cæmentis, lapidibus, & lignis. Vox polysillaba resoluitur in syllabas, syllabæ in litteras: vox ex syllabis, syllabæ ex litteris constant, Homo resoluitur in corpus, & animam: ex corpore & anima homo consla-

tur.

tur. Est igitur vniuersaliter verū ex eo cōponi quodlibet, in quod resoluitur, seu in id, quod ipsius dissolutioni super est.

Min. autem probatur; quia corpus sensibile vel est simplex, vt sunt elementa: ignis aer, &c. vel est mixtum, vt sunt metalla, lapides, ligna, plantæ, animalia. Si est simplex, resoluitur in multas particulas eiusdem rationis. Ita quælibet, vel minima moles aquæ in multas guttulas; quælibet moles ignis in multas scintillas. Si vero sit mixtum; in quatuor elementa resoluitur; nam ex qualibet planta, & ex quodlibet mixto extrahuntur terra & aqua &c.

Resp. 1. quod qui totum daret Aduersarijs, nihil daret. Hoc autem argumentum non magis probat non dari formā supstantialem in toto, quam non dari formam artificialem in domo. Verum est constare vnūquodq; ex ijs, in quæ resoluitur; falsum est ex ijs dumtaxat. Domus ipsa constat ex cæmentis, lapidibus, & lignis, quæ ipsius dissolutioni supersunt; sed insuper forma artificiali, quæ non superest dissolutioni domus Constent igitur planta, & pecus, & aduersarius ipse, si velit, corpusculis, quæ remanent post eius interitum; dummodo insuper in suo esse includat formam non artis, sed naturæ, quæ in pecude quidem interit, in aduersario non interit.

Resp. 2. interrogando quid intelligat Aduersarius per corpuscula. Si enim nihil aliud intelligat, quam tenuissimas quasdam particulas huius, vel illius rationis, manife-

stum

stum est vnumquodcunq; corpus in corpuscula abire. At controuersia non est circa hoc punctum inter Atomistas, & Peripateticos; illi enim negant poni in rerum natura quicquam de nouo, præter dispositionem localem atomorum præexistentium. hi affirmant aliquid poni, pro certo habentes naturam aliquid plus facere, quam mouere, & disponere localiter corpora.

Prætereà circa hæc ipsa corpuscula, seu minutissimas particulas corporum dissentiunt à Peripateticis Atomistæ; dum aiunt ea esse ingenerabilia, & incorruptibilia: cuius positionis falsitatem demonstrat Philosophus ex transmutatione, qua in se inuicem aqua in aerem, aer in aquam, & quodlibet in quodlibet transmutantur: vnde hæc ipsa corpuscula constant ex materia, & forma: vt ostendetur in libris elementorum. Ad argumentum in forma distingue; vnũquodque componitur ex his &c. solum: nego: ex his, & aliquo alio: omitto. Veritas huius distinctionis est ob oculos in omnibus artefactis.

Obijcitur 2. In quolibet corpore naturali debent admitti multi spiritus, quibus abeũtibus destruitur corpus naturale: g. corpus naturale componitur ex illis sine vlla alia forma substantiali. Cons. prob. quia posito quod huiusmodi spiritus dentur in corpore animali, & ex defectu ipsorum corpus corrumpatur: sine fundamento ponitur forma substantialis distincta ab ipsis, vel à coordinatione, seu dispositione locali ipsorum

rum. Ant. patet experientia. Si vinum sine operculo diu reliqueris, è vino fiet aceptum non alia de causa nisi quia ex vino effluent multi spiritus, quos etiam oculis vsurpamus, dum efflunt. Idem dic de multis alijs liquoribus, de pulueribus, vnguentis, & alij huiusmodi, quæ propterea maxima cura asseruari debent. Constat hoc etiam in animalibus, & inter cætera in homine: nã stomachus, vt docet Aristoteles, ideo est debilior estate quam hieme, & hieme calidior quam æstate: quam hieme ob frigus aeris circumfusum pori coarctantur, & continent intra stomachum spiritus igneos: ęstate vero a circumfuso calore aeris pori dilatantur, & per apertos poros prædicti spiritus facilè effluunt. Vnde oritur debilitas stomachi, quę aliquando tanta est, vt animal intereat.

Respon. non esse dubium dari prædictos spiritus, & ex ijs pendere vitam animalis: debet tamen, præter illos, admitti forma substãtialis, quæ indiget huiusmodi spiritibus, quibus vtitur ad operationes vitæ, tam vegetantis in vegetabilibus, quam sentientis in sensitiuis. Immò isti spiritus habẽti spiritum probant existentiam formæ. Constat enim elaborari de nouo, & ab aliquo principio intrinseco spiritus huiusmodi, quibus animalis infirmitati subueniatur. Quemadmodum autem requiruntur ad conseruationem animalis, ita proportionaliter ad conseruationem aliorum, quibus ait Aduersarius eos reperiri. In animalibus spiritus huiusmodi non sunt pars animalis: probabile

bile est in vino, alijsque liquoribus, aut vnguentis habere rationem partis; vnguenta enim, & alia huiusmodi sũt mixta imperfecta. non habentia vnam formam, secus animalia. Vocantur mixta imperfecta aggregata ex multis corporibus tritis, & contritis inter se sicut accidit in Tiriaca & alijs.

Ad id quod dicitur: stantibus huiusmodi spiritibus stat animal; dificientibus Animal deficit; respende cum distinc. stantibus stat, his deficientibus deficit formaliter per huiusmodi defectum, nega; dificit consequenter: concede. Deficiente quolibet ad vitam necessario, deficit vita; si hoc necessarium est constitutiuum viuentis, per defectum ipsius formaliter deficit viuens: si non est constitutiuum, sed aliquid, quo indiget viuens, ipso deficiente, consequenter deficit viuens.

Obijc. vltimo; ordo, qui est inter partes vniuersi, recte saluatur sine forma totali vniuersi; g. pariter in quodlibet toto; puta in leone, in cane &c. saluari potest ordo totius sine forma totius. Antec. prob. quia ordo vniuersi non inest illi à principio intrinseco, ordinante singula in bonũ totius, sed ab extrinseco, videlicet à Deo, qui omnia facit in pondere, numero, & mensura.

Resp. conc. antec. & probatione eiusdem neg. cons. Disparitas est, quia vniuersũ est aggregatum per accidens, siue vnum per accidens. Leo verò; & quodlibet aliud huiusmodi est vnum per se. In vno autem per se rectè ponitur principiũ intrinsecum, ordina-

na-

natiuum partium in bonum totius: secus in vno per accidens, cōstare ex innumerabilibus vnis, seu entibus per se. Fuere qui dicerent mundum esse vastum quoddā, & immensum animal. Fuere qui dicerent hominem ab anima regi, sicut nauis regitur à nauta, Equus à sessore. Suo loco ostendemus mundnm regi à Deo, vt regitur nauis à nauta: hominem vero, ab anima, non tanquam à forma assistēte, sed tamquam ab informante corpus esse hominem, etiam patebit in loco.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Clauditur prima disputatio.

AD conclusionem cæpti operis in hac disputatione aduerte sententiam peripateticam duas aduersum se opiniones habere extremè oppositas. Altera ex prædictis opinionibus est Atomistarum nihil de nouo fieri aientium, præter dispositionem atomorum secundum locum. Contra hos ex professo Physicas peripateticus; ostendens aliquid aliud naturam posse, quam mouere localiter. Porro si per solum motum localē atomorum præexistentium omnia fierēt, nō apparet cur Dæmones nequeant suscitare canes, & Elephantes, & in natura reuocare corrupta: immo cur nequeant homines suscitare, cum tamen hoc agere sit opus diuinę virtutes. Nam quemadmodum Peripateticus ait materiam ita dispositam petere cona-

naturaliter à Deo informari anima rationali; ita talis dispositio talium atomorum idem petit secundum Atomistas: cum igitur nihil sit facilius Dæmoni, quam huiusmodi corpuscula congregare: non videtur difficile, quod homines ad vitam reuocet.

Aduertendum est insuper Atomistas, vt opinionis suæ inuidiam leuent, didicisse 'oqui cum Peripateticis, & appellare formã substantialem in toto: sed dum vocant substantialem, non id intelligunt quod Peripatetici: tribuunt autem hoc nomen prædictę coordinationi atomorum, & propterea formam substantialem negant esse formã absolutam; intelligentes sub nomine formę substantialis formam infini generis inter accidentales, videlicet formam modalem.

Altera sententia est non Atomistarũ, sed Annihilantium, & viciſſim ex nihilo omnia facientium. Contra hos non disputat Physicus; cum repugnent euidentiæ sensuum, cui innititur hoc principium? *ex nihilo nihil fit, & in nihilum nihil reuertitur*, adeoque inter veteres nemo de veritate huius principij dubitasse videtur; cum omnes transmutationem rei in rem oculis vsurparent. Generationem vnius esse corruptionem alterius, & è conuerso, ostenditur in libris de ortu, & interitu, hic vero supponitur.

Aduertendum est insuper productionem, per quam fit corpus naturale, esse generationem, mutationem, & conuersionem. Est generatio, quia aliqua substantia de nouo producitur, itaut vel forma educatur de

po-

potentia subiecti, cui vnitur; vel vnio ipsa, qua forma communicatur subiecto, ex subiecto ipso vel ex subiecto simul, & forma educatur. Est mutatio, quia productionem corporis naturalis materia mutatur substantialiter: hoc est, è non habente vnā formam substantialem fit illam habens: siue quia à priuatione formæ transit ad formam. Est conuersio, quia vna substantia in aliam conuertitur: puta lignum in ignem.

Quamuis autem istæ tres rationes generationis, mutationis, & conuersionis in vnum eundemq; motum re ipsa conueniant; sunt tamen non solum ratione, sed re inter se separabile: potest dari generatio, quæ non sit neque mutatio, neq; conuersio: puta si Deus in instanti *A* creet materiam primam proximam igni, & vltimo dispositam ad formā ignis: tunc generabitur ignis, nec fiet physica mutatio, cum materia non præsupponatur physicè trāsiens à priuatione ad formam nec erit conuersio, cum per huiusmodi productionē nulla substantia conuertatur in aliam, vt patet.

Potest dari mutatio, quę non sit conuersio, puta si in instāti *A* materia sit sine omni forma substantiali, & in instanti *B* formam substantialem acquirat. Item erit mutatio, & non conuerso, si materia simul retineat veterem formam, & aliam nouam acquirat. Dari etiam potest mutatio, que non sit generatio: si nimirum materia spolietur omni forma substantiali: tam enim mutatur si à

forma transeat ad priuationem, quam si à priuatione ad formam. Deniq; dari potest conuersio, quæ neq; sit generatio, neq; mutatio; videlicet si vna substantia adæquate secundum se totam destruatur, & alia adę-quate secundum se totam succedat sine vllo subiecto communi. Ita contingit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ, in quo ex substantia panis, & vini nihil omninò remanet, adeoque in quo nihil est substantiale commune substantiæ, quæ destruitur, & substantię, quæ de nouo ponitur sub accidentibus. Dixi: *quæ de nouo ponitur*, quia corpus Christi in Sacramento non producitur de nouo, sed de nouo ponitur, vbi non erat. Ex quibus apparet nos loqui hic de eo, quod accidit, aut accidere potest per potentiam Dei absolutam.

Triplicis huiusce rationis in vno eodemque motu realiter identificatæ oportuit hic meminisse ad perfectiorem intelligentiam eorum quæ dicta sunt, dicentur inferius. Nam in generatione corporis naturalis, quę & conuersio, & mutatio est, non ex conceptu conuersionis, sed ex conceptu mutationis tria esse principia demonstrat Philosophus: cum enim conuersio sit non materiæ in totum, quia non materię in ignem, sed totius in totum, puta ligni in ignem; sub conceptu conuersionis non solam priuationem formæ ligni, sed insuper formam ligni, aut qualibet aliam, à qua transitus fiat, pro principio assignasset. Scut enim de conceptu generationis, qua mutatio est, dici-

mus

mus esse vt materia à priuatione formæ transeat ad formam; ita de conceptu eiusdem, qua conuersio est, erit forma vetus, à qua materia transitad nouam. Hinc est quod aiunt conuersionem dicere tam terminum à quo, quam terminum ad quem positiuum, quia est transitus ab vna forma ad aliam, cum mutatio generatiua dicat solum alterum ex terminis positiuum, videlicet illum, ad quem fit transitus.

Quod autem de principijs intrinsecis corporis naturalis in fieri, non sub conceptu conuersionis, sed suq conceptu mutationis Philosophus ic inquisierit; facilè arguitur ex eo, quod ipse cum veteribus hic assumit, videlicet; *ex nihilo nihil fit*, cuius sensus est omne corpus naturale ex aliquo sibi præexistente intrinsecè constitui. An vero, id, ex quo sibi præexistete fit corpus, esset coniunctum alicui alteri, an non, nihil refert ad hoc, vt id, quod ex ipso fit, verè non ex nihilo fiat. Præterea quamuis re ipsa nunquā fiat ignis nisi cum destructione ligni, vel alicuius alterius substantiæ: iuxtà illud: *Generatio vnius est corruptio alterius*: tamen destrutio ligni est omninò per accidens ad conceptum generationis ignis: si enim nihil aliud fiere in materia, quam acquisitio formæ ignis; per hoc formaliter haberetur conceptus adæquatus generationi ignis per mutationem substantialem. An autem intruductio formæ ignis in materiam fit, vel formaliter, vel consequenter, vel concomitanter, vel quodlibet alio modo

destructio formæ ligni: hoc est an, & quomodo, & quæ formæ substantiales sint in eodem subiecto incompossibiles, abstinet Philosophus, & Peripatetici cum ipso hic inuestigare; cum id vnum quęrant quę nam sint intrinsece componentia corpus naturale, tum in fieri, tum in facto esse.

Apparet hoc idem clarissimè ex eo, quod Philosophus hic promiscuè inquirat, & assignet principia in fieri tam totius accidentalis, quam totius substantialis. Immò frequentius, & clarius in toto accidentali suā doctrinam explicat, quam in toto substantiali. In fieri autem totius accidentalis frequentissime vsurpat transitū illum, per quem immusicum ex immusico fit musicum: at procul dubio musicum ex immusico non fit, nisi per transitum à priuatione musicæ ad musicam. Nec enim imaginandum est immusicam esse formam aliquam oppositam musicæ, sicut opponitur frigori calor. Manifestū est igitur hic à Philosopho inquiri principia corporis naturalis, & eadem assignari secundum vnum, & præcisum conceptum generationis, quæ per mutationem substantialem fiat, per quam videlicet materia à priuatione formæ transit ad formā.

Deniq; ex his patet non in eodem sensu ignem fieri ex ligno, in quo, fit ex materia sibi & ligno communi. Nam ex tali materia fit tamquam ex intrinsece componente, cum non intrinsece conponatur ex ligno.

DIS-

DISPVTATIO II.

De principijs corporis naturalis in particulari.

QVÆSTIO I.

De quidditate, & proprietatibus materiæ primæ.

ARTICVLVS I.

Definitur materia prima.

DEfinitioni materiæ primæ diuisionem materiæ in primam, & secundam præire oportet. Materia prima est, *primum subiectum*, ait Philosophus, *ex quo fit aliquid, &c.* Secundum hanc rationem accipitur materia nudè, & præcisè secundum se, nullis accidentibus, aut dispositionibus induta, per quas vni potius, quam alteri formæ idonea fiat. Materia autem secunda dicitur illa eadem, prout vestita aliquibus accidentibus, seu dispositionibus ad aliquam fomam determinatè, vel etiam prout vnita alicui formæ substantiali. Immo sæpè, & quidem propriè tota substantia, ex materia videlicet constans & forma, materia secunda appellatur.

Materia prima est primum subiectum quod per operationes nature intrinsecè im-

mutatur recipiendo primò dispositiones ad aliam formam, deinde formam ipsam. Puta ignis ad generandum alium ignem prius inducit in materiam calorem; ficcitatem, & quicquid aliud prærequiritur formæ ignis, quam tandem inducit. Materia secunda est subiectum, quod intrinsece immutatur per operationes artis. Dictum est enim hanc recte accipi pro substantia completa. Ita diximus materiam Frænifactoriæ esse ferrum; Lignariæ, lignum: quia & Fænifactoria circa ferrum, Lignaria circa lignum occupatur; non autem solum circa id, quod in ligno, & ferro respectu formæ, quæ est à natura, habet rationem subiecti. De hac materia secunda non quærimus hic quid sit. Materiæ autem primæ definitiones duas afferimus ex Philosopho, & explicamus.

Prima definitio habetur 7. Metaph. textu 8. *Materia per se ipsam neque quid, neque quantum, nec aliud quidpiam dicitur eorum, quibus ens determinatur: neque etiã negationes eorum, sed est quid, de quo singula horum prædicantur.* Materia per seipsam non est *quid*, quia secundum se præcise considerata non est neque hæc, neque illa species entis physici, seu substantiæ, de qua dicitur simpliciter, & absolute *quid*, & per quã respondetur ad quæstioné quid est? Interroganti enim de quolibet: quid est hoc? bene respondes dicendo; est lignum est ignis; est equus. Materia autem prima secundum

dum se neque est lignum, nec ignis, in equus nec vlla alia substantia.

Neque quantum, neque aliud quidpiam eorum quibus ens determinatur, quia secundum se non est illius aut quantitatis, aut qualitatis, aut vllius alterius rationis determinantis ipsam. vt sic vel sic se habeat; Qualitas enim determinat subiectum vt sit tale, quantitas vt sit tantum, & sic de cæteris, quorum nihil materię primæ per seipsam conuenit. *Neque negationes eorum*, qua quemadmoum secundum se præcise, considerata non habet vllam formam substantialem, per quam sit aut ignis aut planta; neque accidentalem, per quam sit alba, vel nigra; ita etiam per seipsam nihil eorũ omnium excludit, aut a se, aut à rerum natura: sed neque habens ex se, neque excludens formas huiusmodi parata est & cuilibet substare, & qualibet illarum carere.

Additur: *sed est quid, de quo singula horum prædicantur*, quia quamuis materia prima nihil sit eorum omnium; ea tamen omnia recipiuntur in ipsa, illamque constituunt in quolibet prædicamento. Nam per formam quamlibet substantialem constituitur in prædicamento substantiæ: non quod ipsa vnquam sit adæquatè substantia, sed quia euadit pars actualis adæquatæ substantiæ. Per qualitatem constituitur in prædicamento qualitatis, & sic de cæteris. Vbi aduerte obiter in tam breui definitione hanc voculam *quid* bis poni à Philosopho: semel in vno sensu, semel in alio. Dicitur

enim *non esse quid*, sed *esse quid*: non *quid* vt sonat substantiam, sed *quid* vt est indifferens ad substantiam, vel partem substantiæ.

Dicuntur autem ea omnia prædicari de materia non quomodocunq; si enim dicas: *materia prima est ignis. Materia prima est color, &c.* falsum dicis, quia hęc prædicas per identitatem de ipsa, cum tamen nulli ex his identificetur, hoc est cum ipsa nullum sit eorum. Prędicantur autem quatenus per huiusmodi in quolibet ex prædictis prædicamentis collocatur: nam per formam substantialem sibi vnitam collocatur in prædicamento substantiæ, per accidentalem in prædicamento qualitatis, aut quantitatis; adeoq; non in abstracto sed in concreto prędicamenta de ipsa dicuntur. Diximus in Logica partem in illo prædicamento esse, in quo est totum: quod facit ad rem pręsentem; vnde accidit idem in diuersis imo in omnibus simul prædicamentis esse. Idem enim est substantia calida, quinquipalmaris stans, agens, & patiens; induta pulchris vestimentis, in hoc loco, & tempore, similis alteri substantiæ.

Dicit autem Philosophus 1. physic. text. 69. subiectam naturam, hoc est naturã quæ in composito rationem habet subiecti, siue materiam primam cognoscibilem esse secundum analogiam ad materiam rerum artificialium, & ibidem illam explicat per similitudinem quandam & proportionem ad æs, lignum, & alia huiusmodi, quæ secundũ

se

se præcise considerata non sunt neque hoc, neque illud artefactum; puta neque Statua, neque Lectus; sunt tamen hæc omnia in potentia: quatenus ex ipsis & Statua, & Lectus construitur. Ita materia prima secundum se non est neque hæc, neq; illa substantia, neque hoc, neque illud ens accidentale: nec leo, nec lapis, neque calidum, neque quantum; sed hæc omnia in potentia; quatenus ex ipsa & lapis, & leo & calidum, & frigidum fiunt. Et quemadmodum informitas illa artificialis, seu ratio infigurati formaliter tollitur per formam artificialem, quam recipit æs, & lignum: ita informitas naturalis tollitur formaliter per forma naturalem, quam materia recipit.

Alia materiæ primæ definitio est ex eodem Philosopho 1. Physic. textu 82. *Dico materiam vltimũ subiectum vniuscuiusq; ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens: & si corrumpitur aliquid, in hoc alibi vltimum*. Explicatur hæc materiæ definitio partim per ea, quæ diximus in explicatione præcedentis, partim per ea, quæ tenenda sunt ex præcedenti disputatione. Ostensum est enim ex transmutatione vnius in aliud dari subiectum commune, quod probatum est esse primum, ne videlicet detur processus in infinitum. Idem autem intelligit dic Philosophus nomine vltimi subiecti, quod & nos, & ipse alibi, intelligimus nomine primi. Nam nomine primi intelligimus subiectum, in quod ita corpora resoluantur, vt ipsum in vlterius subie-

ctum resolui nequeat: quod si posset, non esse primum.

Dicitur autem *subiectum vniuscuiusque*: qua in qualibet substantia subijcitur formæ, cum qua constituit totum per se, & accidentibus, cum quibus constituit vnum per accidens. Dicitur *ex quo fit aliquid cum insit*: hoc est ex quo inexistente, seu ex quo tamquã ex principio intrinseco, quodlibet corpus componitur. Dicitur, *& non secundum accidens*, quia totũ fit ex subiecto per se, & tanquam ex parte substantiali totius Denique additur: *& si corrumpitur aliquid in hoc alibibit vltimum*, quia quælibet substantia quæ corrumpitur, resoluitur in materia primam, omni corruptioni superstitem, adeoque retinentem in generatione rei quæ fit rationem subiecti: Ex quibus facile apparet bonitas vtriusq; definitionis.

Obijc. 1. Materia prima est in aliquo prędicamento, ergo falsum est eam non esse quid, neque quidpiam eorum, quibus ens determinatur. Antecedens patet ex dictis in logica, vbi materiam collocauimus in prędicamento substantiæ.

Resp. neg. ant. Ad probationem iterum nego ant. Materia pertinet quidem ad prędicamentum substantiæ, sed non formaliter seu directè, de qua pertinentia hic agitur. Pertinet autem reductiuè, & vt pars illius substantiæ, quæ directè ponitur in prędicamento. Et hoc dictum est in Logica.

Obijc. 2. Materia prima definitur: ergo est in aliqua specie entis; ergo habet ali-

quid

quid, per quod ad hanc potius, quam ad aliam speciem entis determinetur. Ant. est euidens, cum dupliciter illam definiuerimus. Conseq. patet: Omne enim quod constat ex genere, & differentia; est in aliqua specie entis: omne quod definitur, constat ex genere & differentia: ergo omne quod definitur est in aliqua specie entis.

Resp. Nos non negasse materiam primam esse per seipsam in aliqua specie entis; eo enim ipso quod est, est aliqua species entis, sed diximus eam per se ipsam non esse vllã speciem substantiæ physicæ cõpletæ, adeoque ad argumentum in forma conc. ant. disting. cons. est in aliqua specie entis Physici completi: nego cons. in aliqua specie logica metaphysica entis conc. cons.

Obijc. 3. Vel definitur hic materia prima secundum rationem præcisam materiæ, vel secundum rationem propriam materiæ primæ, neutrum dici potest, ergo, &c. Minor probatur: si enim dicas definiri secundum rationem præcisam materię contra est, quia ratio materiæ, & ratio subiecti sunt vna ratio: definitio autem allata non conuenit rationi subiecti vt sic, ergo per ipsam non definitur ratio subiecti vt sic. Si autem dicas definiri materiam primam secundum rationem propriam materiæ primæ: contra est, quia ita debet definiri, vt per huiusmodi definitionem habeatur notitia subiecti vt sic.

Resp. concep. mai. min. Definitur materia prima secundum rationem propriam

materiæ primæ. Differentia autem, seu ratio propria subiecti vt sit sic, ibi explicabitur vbi de conceptu proprio formæ, per comparationem ad quam dicitur subiectum, quicquid est subiectum.

ARTICVLVS II.

Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis.

IN generabilitatem atque incorruptibilitatem materiæ primæ vide ne ita intelligas, quasi nec Deus illam facere ex nihilo, nec eandem in nihilum redigere possit. Immo neq; hic quærimus an agens naturale non suis viribus, sed eleuatum à Deo possit aliquid ex nihilo facere, aut aliquid in nihilum redigere. Quis enim hic quærat quid natura possit, ab eo eleuata, qui omnia, potest? Sensus igitur quæstionis est an agens naturale virtute sibi connaturali possit generare, aut corrumpere materiam primam & in hoc sensu responsum est per titulum articuli. Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis.

Hæc conclusio est Aristotelis, & omnium Peripateticorum. Probatur autem sic. Si agens naturale posset generare materiã primam deberet illam generare ex aliquo subiecto præexistente; nequit hoc facere: g. nequit illã generare. Maior probatur: quia facere aliquid independenter à subiecto est supra vires agentis pure naturalis, respectu

cuius

cuius vniuersalissime dicitur: *ex nihilo nihil fit*. minor autem probatur, materiam videlicet primam produci non posse dependenter à subiecto; quia nequit vllum subiectum præsupponi primo subiecto; si enim aliquod subiectum præsupponas, ipsum dicimus materiam primam, & quia in subiectis nequit dari processus in infinitum, deueniendum est ad aliquod, vltra quod non sit aliud inquirendum. Hoc autem est quod dicitur primum, siue vltimum subiectum. Hæc ratiocinatio reducitur ad hoc. Materia prima produci nequit neque dependenter, neque independenter à subiecto; g. simpliciter produci nequit. Antecedens probatur. Et primò quod non independenter: quia est supra modum agendi agentis creati. Secundò quod neque dependenter; quia eo ipso primo subiecto subiectum præsupponitur, quod dicitur materia prima.

Hoc argumentum est Aristotelis 1. Physic. capit. vlt. *Materiam*, inquit; *primam incorruptibilem, & ingenitam esse necesse est. Si enim fiat subijci aliquid oportet, ex quo inexistente fiat: hoc autem est ipsius natura quare erit ante quam fiat:* Hoc est si fit materia prima, ex aliquo primo subiecto fit: sed esse primum subiectum est natura, seu quidditas materiæ primæ; g. si fit materia prima, fit ex materia prima; adeoque fit ex seipsa: rursus id ex quod fit ipsa, præexistit ipsi; ergo ipsa sibi præexistit, adeoque est antequam sit quod est impossibile.

Verum sit quis argumentum Philosophi

accipiat vt iacet, facile proprio gladio Philosophum petet contra formam substantialem, arguendo sic. Si forma substantialis fiat, subijci aliquid oportet, ex quo inexistente fiat: formæ nihil subijcitur, ex quo inexistente fiat: ergo forma non fit. Minor probatur; quia quamuis aliquid subijciatur formæ, tamen forma ex subiecto non fit, tãquam ex parte sibi inexistente. Toti quidẽ, & materia, & forma enexistunt, materia autem formæ non enexistit: ambę sunt partes totius, neutra est pars alterius.

Non est igitur hæc particula: *inexistente*: sic intelligenda vt idem sonet inexistere, ac esse partem, cum manifestum sit neque in sententia peripatetica materiam esse partẽ formæ; ly autem *inexistere* idem sonat in argumento Philosophi, ac esse subiectum ex quo aliquid fiat, & cũ quo id, per quod formaliter noui aliquid habetur in rerum natura, faciat vnum. Propterea ita proposuimus argumentum, vt ab illa voce: *inexistente*: abstineremus. Posset etiam ita intelligi Philosophus, vt per ly *inexistente* nihil aliud intelligeret, quam subiectum præsuppositum, ex quo necesse est vt fiat omne, quod fit siue autem fieri cadat supra totum, siue supra formam, vtrumq; ex aliquo præexistente fit: eo enim ipso quod materia est subiectum formæ; habet in toto rationem subiecti; propterea vocatur materia primò Physic. textu 69. *subiecta natura*.

Quemadmodũ autem ex eo, quod ex nihilo nihil fit, probat Philosophus non fieri

ma-

materiam primam; ita ex eo, quod in nihilum nihil reuertitur probare posset eam non corrumpi; si enim corrumpitur in aliquid abibit vltimum, hoc autem est ipsius natura, adeoque per corruptionem in se ipsam abibit, & erit quando amplius non erit. Quemadmodum autem impossibile est rem esse antequam sit, ita impossibile est rem esse, quando amplius non est.

Vides hoc etiam argumentum statim retorqueri contra torquentem. Probabitur enim formam non corrumpi. Si enim corrumpitur in aliquid abibit, si autem in aliquid abit, remanet aliquid ipsius, & consequenter non tota perit. Hæc tamen retorsio non facit ad rem, quia sicut forma, quãuis sit ex nihilo sui, non tamen est ex nihilo subiecti, ita quamuis abeat in nihilum sui, non abit in nihilum subiecti. Et sicut fit ex materia, non tanquam ex parte sui, sed tanquam ex subiecto, ita abit in materiam non tanquam in partem sui, sed tanquam in subiectum, adeoque formæ superstes est non pars formæ, sed subiectum formæ, & consequenter tota forma perit. Vice versa, sicut materia nequit esse ex materia, sibi præsupposita, neque tamqnam ex parte, neque tanquam ex subiecto; ita si destrueretur, non haberet sibi superstitiem materiã, neque vt partem, neque vt subiectum; adeoque abiter in nihilum simpliciter.

Probalur vlterius incorruptibilitas materiæ primæ. Quia omne quod destruitur, vel ab aliquod sibi contrario destruitur, vel

ex

ex defectu causæ, à qua conseruabatur in esse: sed materia prima nec à contrario, nec ex defectu causæ conseruantis destrui potest; ergo materia prima est naturaliter indestruibilis. Maior explicantur; frigidum à calido, lignum ab igne corrumpitur: in quantum hæc aliquam inter se contrarietatem habent, siue secundum qualitates secundum quas agunt, siue secundum formas substantiales: de quo nihil hic. Non solùm autem frigidum à calido, lignum ab igne destruitur, inter quæ contrarietas est; sed insuper exortam in aere lucem interire vidamus, cum hæc tamen non habet vllum contrarium; neque enim imaginandum est tenebras esse fulignem quamdam dispersam per aerem, illumque denigrantem, & per sui in existentiam expellentem candorem lucis, sic si lac atramento dilueres candorem lactis excluderes. Propterea diximus ex quæ pereunt perire, vel à contrario, vel ex defecto causæ conseruantis. Causa conseruatus lucem est vel fax accensa, vel Sol, vel quodlibet aliud luminosum: propterea vel extincto, vel remoto luminoso, necesse est lucem perire, quia sic deficit causa conseruatiua.

Minor autem probatur, videlicet neutro ex his modis materiam interire: non ex defectu causæ conseruantis, quia non habet aliam sui causam nec effectricem, nec conseruatricem, quam Deum. Deus autem nequit aut non esse, cum necessario sit, aut abesse, cum necessario vbiq; sit; igitur materia

teria prima perire nequit ex defectu causæ. Quod autem neque à contrario destrui possit, patet ex dictis quia non habet contrarium; immo est subiectum æqualiter se habens ad contraria, vnde dicitur à Philosopho subiectum contrarietatis: siue hanc contrarietatem sumas inter formam, & formam; puta inter calorem, & frigus, siue inter formam, & priuationem formæ.

Ex hoc quod materia nec vllum habeat contrarium, nec vlli ex contrarij inter se repugnet, quod eodem recidit, sequitur illam esse aptissimam rerum omnium generationi: ignis agit in lignum, vt ex ligno faciat ignem, resistit lignum, sed non materia, cui perinde est esse sub ignis forma, ac sub forma ligni: adeoq; quodcumq; agens agat in destructionem ignis, sicut ignis egit in destructionem ligni, æque admittet actionem alterius contra ignem, ac admisit actionem ignis contra lignum. Dixi; *Ignis agit in destructionem ligni:* quod non ita intelligendum est, quasi intentum naturæ sit destructio entis: agens enim naturale per actionem suam non tendit ad non ens: vnde est quod aiunt: *Non entis non est causa per se*: sed in tantum ad hanc actionem sequitur non ens, seu non esse ligni, in quantum hæc actio terminatur ad ignem, seu fit vis, ad formam ignis incompossibilem in eadem materia cum forma ligni.

Obijc. 1. Si materia est incorruptibilis; homo est naturaliter incorroptibilis: cons. est falsum; ergo & ant. Veritas minoris pa-

tet

tet experientia; vix enim est vnum momentum, in quo aliquis homo non moriatur, iuxta illud; *Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur super terram*. Mai. autem probatur; quia totum, cuius nulles pars est corruptibilis, nec ipsum est corruptibile: hominis nulla pars est corruptibilis; ergo nec homo. Patet vltima minor; quia nec materia, nec anima rationalis est corruptibilis, cum tamen his duabus dumtaxat partibus homo costet.

Resp. neg sequelam mai. ad cuius probationem nego mai. Corrumpi, seu destrui totum non corrumpi, vel destrui aliquam partem totius, sed separari partem à parte, siue illa intereat, siue non: mors igitur hominis, siue hominis corruptio consistit in separatione animæ à materia, quæ quamuis sint ambæ incorruptibiles, non sunt tamen à se inuicem inseparabiles. Quod dico de corruptione hominis; dic de corruptione cuilibet alterius substantiæ physicæ. Lignum destruitur per hoc formaliter, quod forma ligni separetur à materia: quod autem præterea talis forma pareat, non facit, seu non addit quicquam ad conceptum corruptionis. Hinc æque propriæ, moritur homo, ac equus quamuis Anima hominis sit immortalis, non anima equi.

Obijc. 2. Sequeretur materiam esse quid perfectius forma: conseq. est absurdum; ergo & ant. sequela mai. probatur; quia incorruptibile est perfectius corruptibili: materia est incorruptibilis, forma vero

cor-

corruptibilis; ergo materia eſt quid perfe-
ctius forma. Minor autem probatur, quia materia, inquit Philoſophus, appetit formam, ſicut turpe pulchrum; turpe autem ad pulchrum ſe habet, ſicut imperfectus ad perfectius. Quod autem incorruptibile ſit perfectius corruptibili probatur; quia incorruptibilitas eſt participatio quædam diuinæ æternitatis, quæ eſt ſumma, & infinita perfectio, de qua magis, qui diutius: minus, qui minus diu durant, participant: quæ autem perpetua ſunt, maxime.

Reſp. hoc eodem argumento, quod nihil probat, probatum iri ab Aduerſario materiam primam eſſ quid perfectius toto: nam totum eſt corruptibile, materia autem incorruptibilis. Æquiuocatio eſt in hoc, quod ab vna perfectione arguunt ad complexum perfectionem: ſiue à perfectione ſecundum quid, ad perfectionem ſimpliciter, quæ eſt fallacia ſatis frequens apud puſillos. Probabis etiam hoc argumento Coruos, & Ceruos eſſe perfectiores homine, quia diutius viuunt, quod etiam magis valet de ſtipitibus, & ſaxis, quæ cæteris omnibus diutius durant: & conſequenter plus participant de diuina æternitate. Ex his patet ad argumentum in forma. Nega materiam eſſe quid perfectius forma. Ad probationem nega mai. vniuerſaliter, vel ſi vis diſtingue: incorruptibile eſt perfectius corrupibili ſecundum quid: Omitte: ſimpliciter: nega. Omittimus incorruptibile, ſeu perpetuum eſſe ſecundum quid perfectius

cor-

corruptibili; quia fortasse cæteris paribus: hoc est si æqualis sit in cæteris vtriusque extremi perfectio, si alteri superaddas perpetuitatem, facias illud melius. Dixi *Fortasse*, quia in quibusdam non perpetuitas, sed breuitas durationes est expetibilis. Modus autem inueniendi ex duobus extremis, vtrum sit perfectius est considerare in vtroque totam collectionem prædicatorum, & illi præminentia dare, cuius adæquata perfectio vincit adæquatam perfectionem alterius. Homo est perfectior equo, quamuis equus in multis hominem vincat: puta plus participet de diuina immensitate quod multo magis dices de Elephante: quia tota collectio prędicatorum conuenientium homini superat simpliciter, & absolutè totam collectionem prædicatorum, quæ conueniunt equo.

Obijc. 5. Omne quod potest alterari potest corrumpi: materia prima potest alterari; ergo potest corrumpi; maior probatur, quia videtur primum principium in Physica: *Omne alterabile est corruptibile*. Ratio est, quia alteratio est dispositio ad corruptionem: implicat autem naturam posse disponere ad corruptionem id, quod nequeat corrumpere, nè aliquid incipiat, quod non valeat consummare. Præterea si potest alterare incorruptibile, potest disponere ad impossibile, quod repugnat in terminis. Probatur hoc: quia alterare est disponere ad corruptionem: ergo alterare incorruptibile est disponere incorruptibile, ad

ad corruptionem : corruptio autem rei incorruptibilis est repugnans in terminis , ergo &c.

Resp. conc. mai. neg. min. materia sicut per receptionem formæ substantialis non generatur, aut per amissionem eiusdem non corrumpitur : ita neq; per receptionem, neque per amissionem formæ accidentalis alteratur.

Dices: materia prima aliter se habet intrinsece cum calore, aliter sine calore: alterari autem nihil aliud est , quam aliter se habere secundum accidens ; ergo materia prima per calorem, & carentiam coloris alteratur.

Resp. posse esse hic quæstionem de re , vel de voce. Si alterari nihil aliud est, quam aliter se habere , materia prima alteratur: sed tunc falsum est omnem alterationem esse dispositionem ad corruptionem . Alterari autem apud Physicos id idem est, ac dispositiuè corrumpi : vnde promiscue dicuntur qualitates alteratiuę , & corruptiuæ. Hinc aiunt aerem per lucem , aut priuationem lucis non alterari , quamuis certum sit per lucem , & priuationem ipsius aliter, & aliter se habere. Retinendo igitur verum conceptum alterationis : nega materiam alterari , recedendo à vero conceptu , concede alterari materiam , sed nega propterea posse corrumpi ; quia tunc falsum est alterationem esse viam ad corruptionem.

Instabis ; materia prima est subiectum qualitatum corruptiuarum ; ergo materia prima est corruptibilis. Resp.

Resp. conc. ant. neg. conſeq. Qualitates corruptiuæ, quæ in materia recipiuntur nō ſunt corruptiuæ materiæ, ſed totius. Quemadmodum enim calor in materia receptus non inducit materiam in materiam, ſed formam in materiam: ita nec expellit materiam à materia, ſed formam à materia. Porro eodem iure, quo qualitates huiuſmodi dicuntur corruptiuæ dici poſſunt & generatiuæ, quia corruptio vnius eſt generatio alterius. Corruptiuæ autem dicuntur eædem, quæ contrariæ: non corruptiuæ autem, ſed pure perfectiuæ, quo contrario carent. Primi generis ſunt calor, frigus, & aliæ huiuſmodi: ſecundi lux, & ſi quæ eſt alia quæ contrario careat, de quibus alibi.

QVÆSTIO II.

An, & quomodo materia ſit pura potentia.

ARTICVLVS I.

Statuitur vera ſententia.

NIhil frequentius auditus in Scholis Phyſicæ, quam quod materia prima ſit pura potentia. Quod vt intelligas ſciendum eſt tripliciter accipi poſſe hoc nomen *Potentia* Primò pro potentia actiua: & hoc modo datur in igne potentia ad calefaciendum; ſiue huiuſmodi potentia ſit ipſamet ſubſtantia ignis, ſiue aliquid ſuperadditum ſub-

ſubſtantiæ ignis; vtrumlibet enim dicas, ſemper verum eſt: ignis poteſt calefacere. Secundò pro potentia paſſiua; & hoc modo datur in acqua potentia recipiendi caloris. Quemadmodum enim ignis poteſt calefacere, aqua poteſt calefieri. Tertiò pro potentia obiectiua, ſiue logica; & hæc nihil aliud eſt, quam non repugnantia ad eſſe, ſiue eſt ipſamet poſſibilitas rei, quæ dicitur eſſe in potentia. Ita Mundus, antequam eſſet, erat potentia, & quia eſſe potentia nihil aliud eſt, quam eſſe poſſibilem, poſſibilitas autem ipſius nihil aliud eſt quam ipſa; propterea antequam eſſet, erat ſui ipſius potentia: quia vero non erat ſimpliciter, ſed ſolum in eſſe obiecti; ideo potentia huiuſmodi dicitur obiectiua. Et quia eſſe obiectum eſt eſſe id, de quo dici aliquod poteſt, ideo eſſe obiectiue, & eſſe logice ſunt vnum, & idem.

Materiam primam non eſſe puram potẽtiam in hac tertia acceptionem, eſt extra cõtrouerſiam. Non enim controuertur, an materia prima ſit purè poſſibilis, cum impoſſibile ſit exiſtere corpus naturale, quia exiſtat id, ex quo eſt ipſum; hoc autem eſt materia prima. Rurſus neque quæritur, an materia prima ſit potentia ſecundum primam acceptionem: hoc eſt, an materia prima agere poſſit. Senſus igitur quæſtionis eſt, an materia prima ſit pura potentia paſſiua. Vbi aduerte non diſputari, an materia prima ſit potentia, ſed an ſit pura potentia. Ratio ſit potentia, ſed an ſit pura potentia. Ratio-

tionem dicant si materia prima sit pura potentia, videtur excludere à se omnem identitatem cum quolibet actu; seu: si sit pura potentia, videtur eo ipso non esse vllus actus.

Ad resolutionem quæstionis propositæ duplex genus actuum considerari potest. Alter enim actus est actus physicus, determinatus ex se & determinans id cuius est actus ad aliquam speciem entis physici: seu ad aliquam speciem substantiæ; & huiusmodi actus dicitur forma totius, cuius est actus, alter metaphycus seu entitatiuus, estque entitas ipsa, siue ipsa essentia rei, cuius dicitur actus: siue: est ipsamet realitas, qua res dicitur esse id quod est. His positis ponitur.

Prima Conclusio. Materia prima est ita pura potentia, vt secundum se non sit actus physicus. Probatur conclusio ex dictis. Materia enim non est secundum se neq; quid, neque, &c. Vno verbo materia per se ipsam non est vlla substantia simpliciter, & absolute; quamuis sit pars cuiuslibet substantiæ seu cuiuslibet corporis naturalis.

Secunda conclusio. Materia prima non est ita pura potentia: vt non sit suus actus metaphysicus, seu entitatiuus. Hoc quod dicimus, & proprie dicimus: materia est suus actus entitatiuus; dicunt communiter alij: materia habet proprium actum metaphysicum, & entitatiuum: vbi ly *habet* sumitur intransitiue cum idem sit id quod habet, & id quod habetur. Probatur conclusio,

sio, quia materia per se ipsam est aliquid, & aliqua realitas, cum sit pars essentialis substantiæ phycæ, contradistincta ab alia comparte cum quia facit vnum. Idem est id, ex quo inexistente fit quodlibet quod fit, & in quod vltimum abit quando corrumpitur omne, quod corrumpitur; ergo materia prima per se ipsam est suus actus, sua entitas siue materia prima per se ipsam formaliter est id quod. Quamuis enim à forma habeat constituere hanc potius quam illam substantiam; habet tamen per se ipsam esse id, siue illud aliquid, ex quo & qualibet forma, fieri potest quælibet substantia.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijc. primò. Ex Philosopho primò de Generat. textu. 12. materia non est hoc, & ens; ergo materia prima secundum se non habet actum entitatiuum. Probatur consequentia, quia quod habet actum etiam entitatatiuum est hoc & ens. Hoc Aristotelis dictum explicat contra actum materiæ Ruuius sic. Nullus actus entitatiuus est actus vt sic, sed est aliquis actus in particulari: sed materia prima non potest essé vllus actus in particulari; ergo materia prima non potest esse sibi suus actus entitatiuus. Maior est manifesta ex ijs, quæ diximus in Logica agente de vniuersalibus. Diximus autem omne, quod est, esse aliquid singulare;

re;

re, & à parte rei præter singularia nihil existere. Putà non existit homo vt sic, Leo vt sic, sed hic, & ille homo: hic & ille Leo; igitur non est à parte rei actus vt sic, sed hic & ille actus: minor autem probatur quia quod est potentia ad omnem, & quẽlibet actum, non est secundum se hic, nec ille actus: sed materia prima est potentia ad &c. ergo materia prima non est secundum se hic, neque ille, neque vllus actus.

Resp. per *hoc* & *ens* ibi nominatim intelligi à Philosopho substantiam simpliciter, adeoq. conc. ant. neg. conf. & probationẽ eiusdem. Ad explicationem Ruuij concil. mai. eiusque probatione, nega min. Ad probationem minoris dic materiam primã esse potentiam ad quemlibet actum physicum, non autem ad vllum actum entitatiunm est in potentia ad quemlibet actum physicum quia per quemlibet actum huiusmodi est complebilis, & determinabilis ad quam libet speciem substantiæ: non est autem potentia ad vllum actum entitatiuum, seu metaphysicum, quia seipsa formaliter est id quod est & hæc potius quam illa entitas, sustinens hanc potius quam illam definitionem, vt constat ex dictis.

Obije. 2. materia prima est pura potentia, ergo nullum omninò habet actum. Conseq. probatur; quia pura potentia perfectè opponitur puro actui, sed purus actus nullam omninò potentialitatem habet, ergo pura potentia nullum omninò habet actũ.

Resp. conç. ant. neg. conf. Immo ex antea

ce-

cedenti recte inferes oppositam consequētia n. Agimus enim hic non de potentia logica, siue obiectiua, siue metaphysica; sed de potentia physica, & quidem passiua. Esse autem realiter purem potentiam passiuam conuenit materiæ per identitatē, sicut conuenit homini esse animal rationale: esse autem potentiam huiusmodi realiter & physice est esse realiter & physice aliquid; cōstat hoc euidenter ex dictis, nam substantia physica non habetur adæquate per solam formam, includit igitur, vt alterum sui constitutiuum, materiam primam; quæ quãuis non sit adæquata entitas substantiæ physicæ: est tamen entitas sui ipsius. Ad probationem nega mai. Pura potentia, vt accipitur ab aduersario, puta pro carentia omnis omninò perfectionis non est aliquid, quod possit vere, & proprie esse. Omne enim quod est, eo ipso aliquid est, adeoq́, aliqua perfectio est; Qui autem comparat puram potentiam, quæ dicitur de materia, cũ puro actu, qui dicitur de Deo hallucinatur in hac voce *pura potentia*. Dicitur Deus esse purus actus: quia implicat in Deo potentialitas ad vllam perfectionem: cum actu sit omnis omnino perfectio: vt daretur pura potentia diametraliter opposita puro actui, deberet dari aliquid, quod secundum se nulla esset perfectio; esset autem capax huius, vel illius perfectionis; hoc autem ex duplici capite, præter cætera, manifestam inuoluit repugnantiam, Primo quidem, quia repugnat in terminis existera aliquid vere, &

hpysice, quod non sit vlla res: siue existere aliquid, quod nihil sit: eo ipso autem quod *A* est aliquid, est aliqua perfectio: cum ens, & perfectio dicantur ad conuertentiam. Secundo quia etiamsi dones Aduersario existere id, quod dicit nullam esse perfectionem; sibi ipse contradicit, dum dicit id esse capax huius, vel illius perfectionis: hac enim ipsa capacitas est aliqua perfectio, cum sit aliquod bonum: bonum enim est esse aptum bono recipiendo.

Quemadmodum Aduersarij ex hoc, quod detur purus actus inferant dari puram potentiã, ita alij ex hoc, quod detur purũ bonum inferunt dari purum malum, Vtriq; male; propter eandem rationem. Implicat enim aliquid esse, & non esse aliquod bonũ: non autem implicat aliquid esse, & non esse aliquod malũ: imò necessarium est, vt ostẽdetur in loco, aliquod bonũ existere, quod sit solum, & purẽ bonum. Ratio à priori, & altissima est, quia eo ipso quod aliquid est, ex Deo est: non autem ex eo quod aliquid est, ex nihilo est. Per hoc quod creatura quęlibet ex Deo est, bona est; per hoc quod ex nihilo est deficit à bono; non tamen mala est; non enim dicitur malum quid, per hoc, quod careat vlteriori bono; sed per hoc, quod careat bono sibi debito nulli autem creaturę deest bonum ipsi debitum, nisi ipsa sponte deficiat à bono, quod ideo ipsi debetur, quia tenetur illud velle, & volenti datur. Puta homo per culpam fit malus; quia caret adhæsione ad summum bonum,

quę adhæsio intantum est illi debita, quia tenetur illam velle per gratiam, quæ illi datur vt velit, & volenti hoc pacto, non negatur quod vult. Carentia vlterioris boni, si sit debitum, facit malum; si non sit debitum sed tantum possibile, facit imperfectum. In Deo autem non reberitur esse ex nihilo, & consequenter non reperitur vnde deficiat à bono; immò esse ens à se ita est propr um Dei, vt differentiam, per quam contrahitur ratio entis ad rationem diuin, communiter constituant in aseitate.

Denique quemadmodum pura potentia, ex hoc ipso, quod sit aliquid, ostenditur esse aliquod bonum: & ex hoc ipso quod sit potentia ad formam, & quidem ad omnem formam, ostenditur esse hoc speciale bonū. Quod probat Augustinus libro de natura boni cap. 8 Ita etiam probatur, quod sit aliquis actus. Eo ipso enim quod aliquid est, & aliquod bonū est; est participatio primi entis, & primi boni: idem autem est primū ens, & primum bonum, ac purus actus: & consequenter participatio primi boni est participatio primi actus: omnis autē participatio primi actus est aliquis actus, sicut omnis participatio primi boni est aliqudt bonum. Vbi aduerte istos terminos: *ens perfectio, bonum*, *actus* & si qui sunt alii huiusmodi, esse omnes ęqualiter trāscendentales.

Obijc. 3. Materia prima dicitur mediū inter ens & nihil: ergo materia prima non est ens: implicat enim medium iuter album & nigrum esse album.

Resp. etiam implicare, quod medium inter album & nigrum sit nigrum: ergo implicat quod materia prima, quæ est medium inter ens & nihil, sit nihil: tam enim vnum quam alterum extremum non est medium. Dicitur ergo materia prima medium inter nihil & ens, quia mediat inter nihil, & substantiam simpliciter: hoc est quia neque est nihil, neque substantia. Quando negamus substantiam de materia semper intellige substantiam completam, quæ sola hic dicitur substantia simpliciter.

Obijc. 3. Si materia prima haberet proprium actum entitatiuum haberet propriam existentiam: consequens est falsum: ergo & antecedēs Minor est communis sententia Thomistarum. Sequella maioris probatur: quia eo ipso quod est aliquis actus, est aliqua existentiam: idem enim & vnum sunt: *actus & existentia*. Porro si est actus, sunt in cōposito duo actus, argumenta enim quæ probant materiam esse aliquem actum, probant à fortiori formam esse aliquem actum: cum igitur in composito sint & materia & forma, erunt in composito duo actus. Ex quibus sic argues: sunt in composito duo actus: actus & existentia sunt vnum & idem: ergo sunt in composito duæ existentiæ. Præterea; sunt in composito duo actus, ergo compositum non est ex potentia & actu, sed ex actum & actu. Hæc & similio cogitant & loquuntur qui sententiam Philosophi nec bene cognitant, nec bene loquuntur.

Resp.

Resp. hoc argumentum esse segetem magnarum discordiarum, & occasionem præbere quæstioni, quam alij putant differendam in fine Metaphysicæ: nos hic tractandam putamus. Videlicet: in rebus creatis essentia & existentia distinguantur realiter. Hin tamen supposita tali distinctione sic aliqui respondet. Si materia prima haberet proprium actum entitatiuum haberet propriam existentiam: nego sequelam maioris, &c. ad probationem negant omnem actum esse aliquam existentiam. Aliud enim est, aiunt, actus, siue actualitas essentiæ: aliud actus, siue actualitas existentiæ. Per atualitatem essentiæ materia prima est actualis potentia ad formam, & existentiam formæ: adeoque ad existentiam sui ipsius, cum existat per existentiam formæ. Hac distincione supposita inter actualitatem essentiæ, & actualitatem existentiæ: facile est dicere compositum componi ex actu & actu, sed ex actu secundum quid, & ex actu simpliciter, seu ex actu entitatiuo, & actu existentiali: actus autem entitatiuus se habet vt potentio ad actum existentialem. Hinc patet non esse duas existentias, quamuis sint aliqualiter duo actus. Falsum enim est omnem actum esse aliquã existentiam. Hæ tamen responsiones non subsistunt, ex sequentibus patebit.

QVÆSTIO III.

An in rebus creatis eßentia realiter distingatur ab existentia.

ARTICVLVS I.

Prænotantur aliqua.

NOmine distinctionis realis intelligimus hic tam distinctionem, quæ est inter rem & rem, quam distinctionem, quę est inter rem, & modum rei. Distinctio, quæ est inter materiam & formam, est distinctio inter rem & rem. Distinctio, quæ est inter rem & durationem, vel vbicationem rei, est distinctio inter rem & modum. Differunt istæ duæ distinctiones, vt aiunt, quia per primam habetur mutua separabilitas, per secundam separabilitas quidem, sed non mutua; quamuis enim implicet esse hanc vbicationem sine me, non tamen implicat esse me, sine hac vbicatione. Oportuit hoc præmittere non quod approbem hanc distinctionum: sed vt intelligantur Thomistæ, qui quamuis distinctionem physicam inter essentiam & existentiam rerum creatarum fere omnes concedant; non tamen omnes cōueniunt in hoc nomine destincti onis realis; dum alij realē, alii modolem appellant. Nos vero nomine distinctionis realis ita vtramq; accpimus vt tam modolem, quam aliam repellendam pute-

putemus, sine multiplicatione vocabulorũ. Dum igitur intelliges repelli realem, scias hoc nomine repelli & modalem. Ad hoc autem vt clare in hac materia procedimus.

Suppono primo eandem rem aliquando existere, & aliquando non existere; siue aliquando esse, & aliquando non esse. Hoc est manifectum. Peturus hodie est, & heri non erat; Paulus heri erat, & hodie non ést: adeoque esse & non esse de eodem subiecto verficantur, non quidem simultaneè sed diuisim seu successiue.

Suppono secundo quod quamuis esse & non esse simpliciter, & sine addito verificẽtur de eodem subiecto. *Petrus est*. *Petrus non est*; tamen esse, & non esse cum addito prædicati essentialis nequent verificari nec simultanee, nec successiue de eodem, v. g. istę duæ propositiones; *Petrus est homo*: *Petrus non est homo*, nec simultanee nec successiue verificantur; sed affirmatiua: *Petrus est homo* est semper, & necessrio vera. Ratio est, quia esse simpliciter, est aliquid contingens Petro, & cuilibet alteri creaturæ, at esse hominem non est Petro contingens; nec esse equum Bucehpalo; neq; cuilibet alteri esse id quod est.

Hinc inferes hanc voculam *est* aliter accipi, quando essertur sine addito: aliter quãdo effertur cum addito prædicati esentialis, Quando effertur simpliciter, & sine addito, habt vim verbi, & significat idem ac: *existit*, ita dicere *Petrus est* idem est, ac dicere: *Petrus existit*. Et quia aliquando Petrus exi-

stit, aliquando non; ideo hæc propositio: *Petrus est*, aliquando est vera, aliquando falsa. Quando autem effertur cum addito prędicati essentialis dicendo: *Petrus est homo*: tunc li *est* habet vim copulæ & denotate connexionem inter hoc subiectum *Petrus*, & hoc prædicatum *homo* & quia est tali connexio inter hoc subiectum & hoc prædicatum, vt omnino impossibile sit dari hoc subiectum, quin eo ipso detur hoc prædicatum: ideo tales propositiones dicuntur necessariæ; vt dictum est alibi.

Hoc idem aliter explicabis si dixeris huiusmodi propositiones *Petrus est homo*, &, *home est animal rationale* facere sensum conditionalem, videlicet; Si Petrus est; homo est; si homo est; animal rationale est. Velut da Patrum, & dabis hominem: da hominem, & dabis animal rationale. Et quia, vt fert Summulistarum proloquium, *conditionalis nihil ponit in esse*, præditæ propositiones nihil ponunt: adeoq; differunt essentialiter ab illis, per quas aliquid ponitur in esse; quales sunt hæ: *Petrus est: Homo est*, per quas affirmatur, non quid Petrus aut homo sit, sed quod Petrus, aut homo sint; cum igitur hæc: *homo est* aliquid ponat *in esse*; & hæc alia; *homo est animal rationale* nihil, manifestum est accidere posse vt vna sit vera, altera falsa; consequenter à veritate vnius male inferri veritatem alterius, & è conuerso; dicendo: *homo est animal rationale*; *ergo homo est*: aut; *homo non est*; *est ergo homo non est animal rationale.*

Hinc

Hinc etiã est quod dicitur prædictas propositiones: *Petrus est homo, homo est animal* & alias huiusmodi præscindere ab omni tẽpore, siue in huiusmodi propositionibus particulam *est* nõ accipi cum statu, sed ampliatiue: cum de aliis dicatur particulam *est* accipiendam esse cum statu, Atq; ex hoc ipso capite habetur sufficiens disparitas inter vtrasq; propositiones, & consequenter ratio cur ex ipsis vna possit esse vera, & altera falsa. Si enim in hac propositione: *homo est*, ly *est* accipiatur cum statu; & in hac alia: *homo est animal* nõ accipiatur cum statu; si hæc propositio: *homo est* affirmet esse hominem nunc in rerum natura: hęc autem alia: *homo est animal* non affirmet hoc, sed solum quod quotiescunq; datur homo, datur animal; apparet vnde cum veritate vnius stet falsitas alterius, sicut appareret in his duabus propositionibus. *Petrus mouetur*, &, *quotiescunque Petrus currit, toties mouetur*. Si primam efferas Petro immoto falsum dicis: secus si secundam. Hæc sunt adeo clara, vt ad intelligentiam sui nihil, præter intellectum, requirant.

ARTICVLVS II.

Statuitur vera conclusio.

ESsentia in rebus creatis est realiter indistincta ab existentia. Probatur conclusio, quia si quælibet essentia: puta, si essentia Petri deberet existere per existentiam

sibi superadditam, etiam ipsamet existentia Petri deberet existere per aliam existentiam sibi superadditam: consequens, etiam apud aduersarios, est absurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur; quia in tãtum essentia Petri existit per exstentiam sibi superadditam, in quantum essentia Petri est secundum se indifferens ad hoc vt existat vel non existat: sed ipsamet existentia Petri est indifferens vt existat, vel non existat; ergo ipsa etiam existentia existere debet per existentiam sibi superadditam. Minor probatur; quia si existentia Petri non est indifferens vt sit, vel non sit in rerum natura, sequitur illam vel necessario esse, vel impossibile esse vt ipsa sit; vtrumq; autem repugnat. Si enim impossibile est ipam esse, repugnat Petrum existere: si autem necessario est; etiam ipse Peturs necessario est: cum impossibile sit dari in rerũ natura existentiam Petri, & Petrum non existere.

Non defuerunt qui inter essentiam & existentiam talẽ distinctionem concederent vt existentiam sine essentia conseruari non repugnaret: itaut possit esse vera hæc propositio: *datur nunc existentia Perri* & simul falsa hæc: *nunc existit Petrus*. Sicut v. g. destructa substantia panis in venerabili Sacramento Eucharistiæ, verum est. *datur albedo panis*; falsum. *datur panis*. Ita Bannes prima parte qu. 4 art. 2. iuxta quem quamuis essentia conseruari nequeat separatim ab existentia; potest tamen existentia conseruari separatim ab essentia. Huiusmodi

tamen

tamen sententia cuommuniter reijcitur à Thomistis, qui potius existentiam ponunt pro modo esſētiæ, quam essentiam pro modo existentiæ, & in hoc, supposita distinctione, sapiunt: ita vt si alterutra tantum possit esse separatim altera, multo conuenientius admittatur de esſentia, quam de existſtentia. Sed quicquid sit an possibile sit existdntiam ab esſentia separari, posita in ter vtramque distinctione, semper valet argumentum adductum pro existentia superaddita existentiæ. In quo obserua, quod illa altera existentia superaddita existentiæ eodē plane argumento probatur indigere alia existentia; & hæc alia, & sic in infinitum.

Respondet igitur satis communiter magnam esſe disparitatē inter esſentiam, existentium, quoad indiflerentiam vtriusq; ad existendum vel non existendum. Nam esſētia, aiunt, existit vt quod; existentiam autem existit vt quo; siue, essentia est id, quod existit; existentia autem non est id, quo existit; sed id quo esſentia exist. Hinc, ipsamet esſentia existentiæ non existit per existentiam sibi suparadditam; quamuis esſentia simpliciter: puta esſentia Petri, velcuiuslibet alterius huiusmodi existat per eexistentiam sibi superadditam. Probari simul, & explicari potest hæc responsio inductione facta per formas innumerabiles, quæ sine vllo sibi superaddito sustinent donominationem quam tribuunt subiecto, cui se ipsas superaddunt.

In composito physico materia prima est

indifferens vt vniatur, vel non vniatur formæ; ob hanc indifferentiā ponunt Physici vnionem materiæ, & formæ superadditam: ipsa autem vnio alia vnione non indiget, vt vtri: extremo vniatur: sed se ipsa formaliter vnit & extrema inter se, & seipsam extremis: adeoq; ita est formaliter vnio extremorum vt sit etiam vnio sui. Petrus est indicerens vt sit, vel non sit in hoc loco, propterea per aliquid sibi superadditum determinatur vt sit potius, quam non sit in hoc loco: hoc superadditū vocant vbicationem, quæ dicitur locus intrinsecus rei locatæ. Hæc autem vbicatio non indiget alia vbicatione, per quam ipsa sit in hoc loco, sed per se ipsam formaliter ponit & Petrum & se in hoc loco, & sic de alijs infinitis; g. à pari, cum essentia Petri sit id, quod existit. essentia autem existentiæ Petri sit esse id, quo Petrus, siue essentia Petri existit; Petrus debet existere per existentiam sibi superadditam: ipsa autem existentia se ipsa formaliter existet, sicut Petrus ipse vbicatione sibi superaddita vbicatur, ipsa autem vbicatio se ipsa formaliter vbicatur.

Ratio, iniquiunt, vniuersalissima, & à priori est, quia quotiescunq; aliquod subiectum est indifferens vt sit tale, vel non tale, toties per forma sibi superadditam debet determinari ad esse tale, potius quam non tale, forma vero ipsa determinans ad esse tale, potius quam nō tale non debet per vlteriorem formam determinari. Ita quia Petrus est indifferens vt sit, vel nō sit in hoc instan-

ti,per aliquam formam, videlicet per durationem sibi superadditã, determinari debet vt sit potius, quam non sit in hoc instanti: at ipsamet duratio, quæ est forma determinãs non debet vlteriorem durationem determinari. Et hoc vniuersalissimum est in ijs quę sunt vltima determinantia ad hos, & illos effectus formales: imo ratio vltimi determinatiui dicit hoc formaliter; videlicet non indigere vlteriori determinatiuo.

Hæc Aduersariorum responsio continet optimã doctrinam, sed pessime applicatam ad rem præsentem. Nam in tantum in formis vltimo determinatiuis ad aliquam denominationem non requiritur vlterior forma, per quam eandem denominationem & ipsæ sustineant; in quantũ in prædictis formis non reperitur eadem indifferentia, quæ reperitur in subiecto, quod vltimo determinant. v, g. intantum vnio non vnitur alia vnione, nec vbicatio alia vbicatione vbicatur & sic de cæteris; in quantum nec in vnione datur indifferentia vt vniatur, vel non vniatur huic, & illi extremo, nec in vbicatione indifferentia vt sit, vel non sit in hoc loco, vel potius vt sic; vel non sit hic locus. Cæterum si Quemadmodum est indifferens Petrus, esset indifferens vbicatio Petri eodẽ modo deberet aliquid supperaddi vbicationi, sicut aliquid superadditur Petro. Ratio igitur cur huiusmodi formę non indigeãt alia formis, seu ratio cur sint vltimo determinates, est, quia ipsę non sunt indifferẽtes sed per suã essentiã determinatæ ad hãc, vel,

illam denominatione, quam sustinent.

Vbi aduerte, quod illa ipsa vbicatio, quæ non est indifferens vt sit hic, vel nõ sit hic, posito quod sit; vt vbicet vel non vbicet Petrum, posito quod sit: est tamen indifferens vt sit, vel non sit adeoq; hęc ipsa indifferentia tolli debebit per aliquid superadditum, per quod formaliter determinetur ad esse, potius quam non esse cum autem neq. ipsa sit hic, neq. ponat Petrũ hic, nisi ipsa sit, ad huc verum est quod ad essendum hic, aut vbicandum Petrum hic, indiget aliquo superaddito. Si tamen stent Aduersarij huic principio: *Quod est indifferens vt sit vel non sit non est perseipsum formaliter*, eodẽ modo philosophandum est de existentia Aduersariorũ. Existentia Petri non est indifferens vt sit, vel non sit, posito quod sit, neq; vt faciat existere Petrum, aut non faciat, posito quod ipsa sit. Est tamen indifferens vt sit vel non sit in rerum natura, vt cõcedere debet quicunq; habet intellectum; implicat igitur quod per se ipsam formaliter sit.

Igitur ad rationẽ à priori dic, quod quotiescunque forma eandem indifferentiã habet ad aliquam denominationẽ, quam habet subiectum, toties ipsa etiam eandem indigentiam habet, quam subiectum, alicuius determinatiui. Quamuis igitur concipias existentiam Petri vt formam essentialiter determinatiuam Petri ad esse, ex suppositione quod ipsa sit: tamen quia hoc ipsũ quod ipsa sit, est aliquid ipsi contingens, pebet hoc

ip-

ipsum illi conuenire per aliquid superadditum, sicut & Petro; vel nec illi, nec Petro.

Dices. Quamuis existentia Petri secundum suum conceptũ quidditatiuum, & essẽtialem sit simpliciter indifferens vt sit, vel non sit, tamen per hoc ipsum formaliter, quod sit, intelligitur existere: nulla intellecta existentia ipsi superaddita, ergo ad existentiam non requiritur existẽtia superaddita. Antec. explicatur. Vbicatio quãuis sit indifferens vt sit, vel non sit, per hoc ipsum formaliter quod sit, vbicat, & intrãsitiuè se ipsam, & transitiue subiectum: eodẽ modo existentia Petri, quamuis secundum suum conceptum quidditatiuum sit indifferens vt sit, vel non sit, per hoc ipsum tamen formaliter quod sit, existentia & seipsam intransitiue, & transitiuè Petrum.

Resp. concedendo totum. Nostrum intẽtum non est probare, quod existentia Petri debeat existere per existẽtiam sibi superadditam: cum hoc ipsum dicamus esse absurdum, sed quod quemadmodum existentia sine alia existentia sibi superaddita existit, quamuis sit indifferens vt sit, vel non sit: ita etiam ipsemet Petrus, siue ipsamet essentia Petri, & quelibet alia creatura. Hoc autem probamus eodem planè argumento: videlicet, quamuis essentia Petri secundum suũ conceptum quidditatiuum sit indifferens vt sit vel non sit: tamen per hoc ipsum formaliter quod sit, intelligiter formaliter esse: esse autẽ simpliciter est existere. Si aduersarius neget Petrum per hoc formaliter intelli-

gi

gi existere, quod intelligatur quod sit, negabis tu hoc idem de existentia; vterq; male; si hoc concesso dicat vlterius requiri existentiam superadditam pro Petro; dices & tu requiri existentiam superadditam ipsimet existentiæ Et vt vterq; hoc etiam male. Absurdum est enim intelligere in Petro aliam indifferentiam ad esse, & non esse quã quæ datur in eiusdem existentia. Si enim pures dari in natura essentiam Petri indifferentem ad esse, & non esse: sicut datur hic paries indifferens ad album, & non album; deciperis; cum indifferentia quam concedimus essentiæ sit indifferentia purè logica, quam simul, & eandem agnoscimus in existentia, consistit autem huiusmodi indifferẽtia, non in potentia quadam physica sustinendi alterutrum ex contradictorijs cum constantia subiecti denominati: sed in hoc præcisè, quod illud subiectum isa sit in rerum natura, vt possit illud idem non esse, vel ita non sit, vt possit esse.

Dices secundò. Existentia Petri non existit; seu non est in rerum natura; sed est id, quo essentia existit. siue est in rerum natura.

Resp te ludere in verbis. Nam vel est, vel non est in rerum natura ratio formalis qua Petrus existit. Si primum: ergo existentia Petri est in rerum natura, adeoq; existit: si secundum, ergo Petrus vel non est in rerum natura, vel est in rerum natura per rationem formalem essendi, quæ non est in rerum natura. Esse autem formaliter per aliquid, quod non est, est chimericum.

Re-

Replicabis: essentia Petri est ipsummet posse esse, & non esse, existentia verò Petri non est ipsummet posse esse, & non esse; sed ipsemet actus essendi. Quod autem est ità indifferens ad esse, & non esse: vt sit ipsummet posse esse, & non esse: debet esse, per aliquid superadditum; quod verò est ita indifferens, vt non sit ipsummet posse esse, & non esse, sed ipsemet actus essendi; non indiget à alio superaddito vt sit, potius quam non sit: g. datur ratio cur essentia Petri indiget existantia superaddita, quæ non militat existentia superaddita existentiæ.

Resp. neg. ant. Non aliter essentia Petri est ipsummet posse esse, & non, esse quam existentia ipsa. Hæc est ipsummet posse existentiæ, illa ipsummet posse essentiæ: vtraque posse esse, & non esse sui; adeoq; eandem omninò indifferentiam habes in existentia, quam habes in essentia. Quicquid sit, an vna se habeat vt quo, altera vt quod hoc enim nihil facit ad rem, tam in eo, quod est vt quo, quam in eo, quod est vt quod eadem indifferentia inueniatur, quam inueniri est euidens.

Explicatur hoc idē vlterius. In ipsamet quidditate existentiæ Petri intelligis hanc esse actum, siue actualitatem essendi in Petro. Si enim rogeris quid sit existentia Petri, aut quid sit existentia Antichristi: rectè respondebis; est actualitas qua Petrus simpliciter est, Actualitas, qua Anticrhistus simpliciter est, & tamen cum toto hoc conceptu quiditatiuo remanet indifferentia,

vt

vt sit simpliciter, vel non sit: ergo remanet tota ratio, cur debeat illi superaddi existētia. Esse vt quo non facit, vt necessario sit, sed solum vt quando est, sit id, quo aliud est: quod autē quādo est, sit id, quod aliud est: non tollit quin sit indifferens vt sit, vel non sit; adeoque quin aliquando sit, aliquando non sit.

Ratio à priori est, quia quemadmodum posse existere est ratio communis omni rei possibili, intelligendo nomine rei possibilis & res absolutas, & modos rerum, & quodlibet non chimerucum: ita esse indifferens ad existendum, & non existendum, est ratio communis ad omnia contingentia, siue sint entia absoluta, siue modalia, Cum igitur ipsamet existentia sit aliquid possibile, necessariò conuenit illi posse existere: & cum sit aliquid contingens; conuenit illi esse indifferens ad existendum, & non existendū: & consequenter tam in ipsa, quam in qualibet alia re; vel nec in ipsa, nec in vlla alia re debet huiusmodi indifferentia tolli per rationem formalem essendi superadditam.

ARTICVLVS III.

Probatur vlterius eadem conclusio Aduersariorum obiectionibus.

OBijc. 1. Quæcumq; sustinent prædicata contradictoria, distinguntur: sed essentia, & existentia sustinent prædicata cōtradictoria, g. essentia, & existentia distinguntur-

gun-

guntur. Maior est euidens. Minor probatur afferendo diluuium contradictoriorum cõuenientium essentiæ, & existentiæ: puta essentia Petri est æterna, existentia non est æterna. Esentia Petri est necessaria existentia Petri non est necessaria. Existentia Petri est libera Deo, esentia Petri non est libera Deo. Existentia Petri est contingens; esentia Petri non est contingens, & alia huiusmodi, quibus non vacat hic inundare vestros quaterniones. Probantur autẽ hæc contradictoria, tum ex dictis in Logica, vbi de obiecto scientiarum, tum ex innumerabilibus locis Philosophi, in quibus circa esentias rerum dari scientiam dicit, quia sunt necesariæ; circa existentiam autem non dari quia est contingens. Tum etiam, quia euidens est esse liberum Deo, quod Petrus sit, vel non sit non autem quod Petrus sit homo, vel non sit homo. Quod sit homo est esentia; quod sit est existentia g. libera est Deo existentia Petri, non autem esentia. Propter huiusmodi argumenta sunt qui recedant à vero.

Resp. primò totum hoc argumentum, sicut & cætera quę fient, euidentissimè retorqueri contra esentiam, & existentiam ipsiusmet existentiæ. Nam esentia existentiæ est æterna, non autem existentia, & sic de cæteris. Quod existentia Antichristi sit actualitas Antichristi non est liberum Deo, quod existentia Antichristi sit, vel non sit, est liberum Deo: quod sit, est existentia, quod sit actulitas, est esentia, g. existentia se-

secundum sui existentiam non est libera: secundum sui existentiam est libera. Neque enim putandum est esentiam existentiæ Petri esse ipsummet Petrum: quod si aliquis diceret, eo ipso diceret Petrum existere formaliter per suam esentiam; adeoque Aduersarijs contradiceret; Patet hoc ex terminis, nam esentia Petri est esentia existentiæ Petri: esentia exsitentiæ Petri est existentia Petri, ergo esentia Petri est existentia Petri. Minor si falsa est, in existentia distinguitur esentia ab existentia: si vera est, simul cum maiori concludit Petrum existere formaliter per suam esētiam vtrumque apud Aduersarios est absurdum.

Resp. igitur conc. mai. neg. min. Ad probationem dic totum illud diluuium contradictoriorum, nè guttulam quidem probationis habere contra nostram sententiam. Tota æquiuocatio consistit in mala intelligentia illius necesarietatis, æternitatis, & aliorum huiusmodi, quæ tribuuntur esentiæ. Itaque respondere poteris negando esentiam Petri esse æternam, esse necesariã non esse liberam Deo non esse contingentem. Esentia Petri non est eterna, sed in tempore non est necesaria, sed contingens eadem plane contingentia, qua contingens est existentia: vice versa existentia Petri est æterna, est necesaria, ea æternitate, & necesarietate, qua æterna est, & necesaria esentia: æternitate videlicet, & necesarietate pure logica. Posse etiam distingue e: es-

essentia est æterna, existentia non est æterna eodem genere æternitatis, nego: diuerso genere æternitatis, concedo. Quis autem probet inde distinctionem inter essentiam, & existentiam? Quod dico de æternitate, dic de quolibet alio prædicato, quod dicatur ab Aduersarijs de essentia, negetur autem de existentia. Quod Petrus sit homo est essentia Petri in esse logico, & obiectiuo, & hoc idem est existentia Petri in esse logico, & obiectiuo, quod Petrus sit, est existentia Petri in esse physice, & hoc ipsum est essentia Petri in esse physice: adeoque vt vides, essentia Petri est omninò idem ac existentia; essentia impossibilis existentia possibilis: essentia actualis existentia actualis essentia præscindens à possibili & actuali existentia præscindens à possibili & actuali. Quæ omnia patebunt clarius ex dicendis.

Obijc. 2. Quæ sunt à se inuicem separabilia sunt à se inuicem distincta essentia, & existentia Petri sunt à se inuicem separabiles; ergo à se inuicem distinctæ. Maior est primum principium; nihil enim à se ipso separabile est. Minor vero probatur, quia destruta existentia Petri remanet Petris essentia. Adhuc enim Petro non existente, verum est: *Petrus est homo*: quæ propositio verificatur per essentiam Petri, & consequenter remanet essentia Petri, cum nequeat verificare propositionem, nisi ipsa sit. Præterea essentia Petri est esse hominem. Essentia hominis est esse animal rationale

sed

ſed adhuc deſtructo Petro datur Petrum eſſe hominem, & deſtructo homine datur hominem eſſe animal rationale, ergo adhuc ablata exiſtentia, & à Petro, & ab homine, remanet eſſentia Petri, & eſſentia hominis: adeoque in Petro, & homine, & conſeq; in qualibet creatura eſſentia & exiſtētia ſunt inter ſe ſeparabiles: quod erat demonſtrandum.

Reſp. primò totũ hoc de more retorqueri contra Aduerſarios, circa eſſentiam, & exiſtentiam ipſiuſmet exiſtentiæ. Nam etiam nunc de non exiſtente exiſtentia Antichriſti verum eſt, quod ſit actualitas Antichriſti, ex quo emanant argumenta contra ipſa, quæ contra nos fiunt.

Reſp. 2. conc. mai neg. min. ad probationem nega, quod deſtructa exiſtentia maneat eſſentia. Ad cuius probationem dictũ eſt in logico, vbi oſtenſum eſt ad veritatem harum propoſitionum. *Petrus eſt homo homo eſt animal rationale*, non requiri, vt quicquam ſit. Ad illud; non exiſtente Petro datur Petrum eſſe hominem, habes ex dictis quod reſpondeas: datur logice concedo, phyſice; nego, Ly *Datur* non aliud ſonat, quam: *Vtrum eſt*, Eſt autem verum per ipſummet obiectum, quod attingitur; quod eſt ſibi neceſſitas eſſendi id quod eſt, adeoque verificatiuum propoſitionis, qua dicitur eſſe neceſſario id quod eſt, vbi nota diſcrimen inter neceſſitatem eſſendi, & neceſſitatem eſſendi id quod eſt. Prima eſt ſolius Dei: ſecunda eſt cuiuslibet.

Reſp.

Resp. 3. distin. mai. quæ sunt separabilia physice, sunt distincta, concedo, quæ sunt separabilia logice, nego, & eodem modo dist. min. nega cons. Idem à ipso logice separari nihil aliud est, quam idem modo hanc, modo oppositam prædicationem sustinere: hoc autem vni eidemq; rei conuenire, patet ex dictis, & ab Aduersario ipso debet concedi. Nam illa ipsa essentia Petri, aliquando sustinet, alieqando non, existentiam per quam est: esse autem subiectum huius existentiæ, est aliquod prædicatum, quod sustinet per seipsam formaliter, non autem per aliquid superadditum, & tamen hoc ipsum prędicatum aliquando sustinet, aliquando non.

Obijc. Potens videre, & non videre, non est sua visio. Potens sedere, & non videre non est sua sessio: ergo potens esse, & non esse, non est suum esse: sed essentia est potens esse, & non esse; esse vero est existentia; ergo essentia non est existētia. Antecedens, quamuis sit euidens, longa inductione, & ratiocinatione probatur ab Aduersarijs, putantibus bonam esse conseq. quam propterea non probant.

Resp. conc. ant. dist. cons. non est suum esse physice quando est physice, nego non est suum esse physice; quando est solum logice, conc. cons. Posses etiam sine vlla distinctione concesso antecedenti; negare consequentiam. Ad subsumpt. nega cons. Per ly *potens esse & non esse* venit essentia in statu præcisionis ab esse, & non esse

sim-

ſimpliciter, per ly *eſſe* ſimpliciter, & ſine addito, venit eadem in ſtatu eſsendi ſimpliciter. Hoc autem non probat diſtinctionem, ſed ſolum quod indifferens ad eſſe & non eſse aliquando eſt. Quod idem dici poſse de ipſamet exiſtentia eſt euidens Ad hoc, vt omnimoda identitas detur inter eſsentiam, & exiſtentiam: oportet vt eſsentia quando ſimpliciter non eſt, non ſit ſimpliciter exiſtentia, & per hoc formaliter exiſtentia non ſit, quod eſsentia non ſit. Et vt quando eſt formaliter eſsentia & realiter, ſit formaliter, & realiter exiſtentia, & exiſtentia formaliter ſit per hoc, quod eſsentia ſit. Igitur eſsentia poſſibilis eſt exiſtentia poſſibilis. eſsentia actualis eſt exiſtentia actualis; eſsentia futura eſt exiſtentia futura, & quia alibi actum eſt de impoſſibili, hoc etiam adde; eſsentia impoſſibilis eſt esiſtentia impoſſibilis; ita vt recte definiatur impoſſibile: *id cui intrinſece* hoc eſt quidditatiue, & per identitatem *repugnat exiſtere*.

Potens videre, & non videre non eſt ſua viſio, quia potentia viſiua phyſice præſupponitur actui videndi. Idẽ dic de alijs potẽtijs, quas armant aduerſum nos Aduerſarij. Potentia vero eſsendi, vel non eſsendi non præſupponitur phyſice ad eſse, & non eſse. Hinc eſt, quod per hoc formaliter, quod intelligas poni potentiam videndi, non intelligis formaliter poni viſionem, per hoc autem, quod ſiue eſsentiam, ſiue quidlibet eſcogitabile, intelligas poni in rerum natura,

per

per hoc ipsum formaliter intelligi poni aliquod esse. Mirum est hoc negari ab ijs, qui per Deum, & diuinam essentiam de omnibus philosophantur, hoc est qui inuerso modo philosophantur. Id enim, quod sustinet existentiam, seipso est aliquid: neque enim illa existentia in nihilo recipitur, quando in essentia recipitur. Si autem est aliquid, est aliqua participatio primi actus Nomine primi actus intellige primum ens, hoc est Deum: si autem est aliqua participatio primi actus; manifestum est esse aliquem actum. Hinc falsum est existentiam, superuenientem essentiæ non superuenire vlli actui, adeoque disparitas, quam assignant Aduersarij inter potentiam videndi, &, potentiam essendi, ad repellendam disparitatem, quam attulimus, nihil facit ad rem.

Solent enim dicere potentiam videndi physice præsupponi ad actum, quia actus videndi non est primus actus, sed secundus: potentiam autem essendi non præsupponi physice ad actum essendi, quia esse est primus actus, cui propterea nullus actus præsupponitur. Verum est visioni præsupponi actum potentiæ, seu actum, quo potentia est, qui dicitur actus potentiæ non transitiuè, sed intransitiuè, potentiæ vero essendi, siue potius actui essendi non præsupponi actum potentiæ, seu actum quo sit ita potentia essendi; Sed hoc facit pro nobis atentibus ipsammet potentiam essendi, quando est, esse formaliter per se-

ipsam quando non est, formaliter non esse per defectum, seu negationem sui ipsius.

Illa igitur eadem res, quæ considerata secundum sua prædicata quidditatiua non necessitat intellectum ad dicendum quod sit, neque ad dicendum quod non sit, dicitur esse intrinsece indifferens ad esse, & non esse; quia illa eadem ita non est, quando non est, vt possit esse, & ita est, quando est vt possit non esse. Per hoc autem præcise, quod intelligas in rerum natura id, cui Aduersarius imaginatur superuenire existentiam; intelligis rem non amplius in pura ratione obiecti, sed vere & proprie in ratione existentis; punctum igitur difficultatis non est, an esentia rei creatæ ita per seipsam sit, vt quemadmodum semper essentia est esentia; ita etiam esentia semper sit. Hoc enim de contingentibus est falsum; sed an quando illa eadem esentia, quæ simpliciter non erat, ponitur simpliciter in rerum natura, necesario ponatur & sit formaliter per aliquid, quod non sit ipsa. Dicimus esse formaliter per seipsam. Obiter nota totam obiectionem, & quicquid aliud dictum est occasione obiectionis, valere pro esentia, & existentia ipsiusmet existentiæ.

Obij. 4. Contingit cuilibet creaturæ esse quando est, nulli creaturæ contingit esse id quod est, ergo nulli creaturæ est idem esse, & esse id quod est. Esse est existentia, esse id quod est, est esentia, ergo nulli creaturæ est idem esentia, & existentia.

Resp.

Resp. idem dici contra existentiam ipsã, vt patet. Cuilibet existentiæ creatæ contingit esse, quando est; nulli existentiæ creatæ contingit esse id quod est, ergo nullæ existentiæ creatæ est idem esse, & esse id quod est, secundum est essentia, primum est existentia; ergo nulli existentiæ creatæ idem est essentia, & existenti. Immo hoc idem valet pro toto complexo ex essentia, & existentia. Hoc enim si consideretur in esse obiecti, nõ est Chimera, sed aliquod obiectũ reales. Nõ tamẽ est aliquod obiectũ, quod necessario sit in rerũ natura, sed indifferẽs vt sit, vel nõ sit, adeoq; cui contingat esse, quã-do est; non esse, quãdo non est. In hoc cõple-xo videbis necessariũ esse essentiæ hoc prę-dicatum, quod sit actuabilis ab hac existentia, & huic existentiæ necessarium hoc aliud: quod sit actuatiua huius essentiæ: toti autem, quod sit aliquid constans ex actuabili, & actuante. Quod totum, cum totum sit in esse obiecti quin sit in esse rei, siue cum sit ens nominaliter, quin sit ens participaliter, oportet vt per aliquid sibi superadditum ab vno statu trãseat ad alium hoc est ex non existente fiat existens.

In forma igitur ad argumentum distingue: omni creaturæ contingit esse, quando est, &c. contingit intransitiue, concede; cõtingit transitiuè, nega. Contingit intransitiue, quoniam ipsa creatura est contingẽs: non autem transitiue, quoniam vt ipsa sit, non est necesse, vt ipsi aliquid adueniat supra ipsam. Adeoque idem est essentiæ su-

peruenire intransitiue existentiam, ac ipsã rem superuenire naturæ; superuenit autem naturæ; & quidem transitiue, quia de nouo ponitur in natura. Hæc autem superuenientia importantur per particulam *est* positam in vi verbi, secus per eandem particulam positam in vi copulæ, sicut poni solet in proqositionibus definitiuus.

Dices: de conceptu quidditatiuo cuiuslibet essentiæ creatæ est indifferentia ad esse, & non esse: de conceptu quidditatiuo existentiæ non est huiusmodi indifferentia, ergo essentia, & existentia distinguuntur. Probatur, quia de conceptu quidditatiuo existentiæ est esse ipsummet actum essendi; ergo non est de conceptu quidditatiuo ipsius indifferentia ad esse, & non esse.

Resp. neg. ant. tam enim est de conceptu quidditatiuo existentię, quam de conceptu quidditatiuo essentiæ prædicta indifferentia, vt satis apparet ex dictis. Ad probationem conc. ant. nego cons. esse quidditatiue actum essendi non est necessario esse, sicut esse vnionem non est necessario vnire, sed est esse actu actum essendi, quando est: esse actu rationem venientem quando est, hoc autem non dicit neque hanc esse semper in exercitio veniendi, neque hanc esse semper in exercitio actuandi. Vbi aduerte hanc vocem *existentia*: *actus*, & alias huiusmodi aliquando ita accipi, vt importent exercitium sui, & faciunt propositiones contingentis; aliquando verò ita ut non importent exercitium; & hoc modo faciunt

pro-

propositiones æternæ veritatis. Hinc est quod aiunt voculam *est* in definitionibus nō importare actum, sed aptitudinem.

Obij. 5. Hæc propositio: *Antichristus est homo* est necessario vera: hæc alia: *Antichristus est*, non est necessario vera; imo est falsa, ergo aliud prædicatur in prima, aliud in secunda; in prima prædicatur essentia, in secunda existentia: ergo aliud est essentia, aliud existentia.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Non aliud prædicatur in vna; aliud in altera: sed idem aliter in vna aliter in altera prædicatur; in prima ita prædicatur hoc de illo vt neque hoc ponat in natura, neque illud: in secunda ponitur in natura hoc, & consequenter illud, quandoquidem hoc & illud sunt idē. Quemadmodum igitur ex hoc, quo subiectum talis propositionis sit hoc, & illud, male inferes subiectum esse: ita etiam ex hoc, quod per vnam, & alteram prædicationem idem attingatur, male inferes vtranque esse veram, si alterutra; cum per vnam dicatur de subiecto quod sit, per alteram, nō quod sit, sed quod sit hoc, & illud. Recte etiam dices primā non affirmari subiectum, sed affirmari aliquid de subiecto, per secūdā nō affirmari aliquid de subiecto, se affirmari subiectū. Prima ponit prædicatū in subiecto secndū esse obiecti: secunda ponit subiectum in natura secundum esse simpliciter.

Obij. 6. Si Potentia intelligendi esse suū intelligere, esset perfectionis infinitæ; ergo si potentia essendi sit suum esse, est perfectionis infinitæ.

 Res-

Respond. conc. ant. neg. conseq. Concedunt aliqui anteced. quia, inquiunt, intelligere identificatum cum Intellectu esset à se. Nam intelligere est ab Intellectu, esset ipsemet Intellectus, ergo esset à se. Verum adhuc stat argumentum, Nam esse in hypothesi arguentis est ab essentia, sicut quilibet modus à re modificata; sed secundum te est ipsamet essentia; ergo est à se, & consequenter infert contra te idem absurdum. Præterea sicut dicis esse per identitatem cum essentia non esse à se, sed ab eo, à quo est essentia; ita dicet intelligere, identificatum cum Intellectu non esse à se, sed ab eo à quo est Intellectus. Quod si dicas esse de ratione actus vitalis esse ab eo cuius est actus; respondebit 1. ita esse de actu qui non sit ipsummet viuens. 2. esse etiam de ratione modi siue vitalis, siue non, esse ab eo cuius est modus. Nos autem concedimus ant. quia Intellectus (Idem proportionaliter dic de qualibet potentia se habente per modum recipientis ad infinita) si esset per seipsum actu quicquid est potentia, esset actu, & per seipsum omnis intellectio sibi possibilis; adeoque esset Intellectio vltra omnem finitam; cum possit semper plura & plura perfectius & perfectius in infinitum cognoscere: vnde dicit Philos. 3. de Ani. c. 3. tex. 14. Intellectum esse quodammodo omnia intelligibilia. At vero rana per identitatem cum suo esse nihil habet præter esse ranæ quod est esse limitatissimum. Confirm. quia si des Intel-

lectui non per identitatem, sed per processionem ab ipso omnem Intellectionem ipsi possibilem, das intellectionem vltra omnē finitam; si autem des ranæ ipsum esse distinctum ad quod est secundum te potentia, non propterea das perfectionem vllum supra debitas ranæ, ergo quamuis ex identitate Intellectus cum suo intelligere inferas infinitatem, hanc non inferes ex identitate ranæ, aut cuiuslibet essentiæ creatæ cum suo esse.

ARTICVLVS IV.

Satisfit alijs obiectionibus.

ALia afferuntur petita ex authoritate, tum sacra, tum profana. Primum est id quod Deus deipso dicit. *Ego sum qui sum*, cuius sensus est, aiunt. *ego sum meum esse*: si creatura ipsa etiam esset sibi suum esse, Deus non discerneretur à creatura per hoc, quod sit suum esse: sed per hoc discernitur: ergo creatura non est suum esse.

Resp. hoc argumentum supponere, quod Israelitæ iam habuerint pro demonstrata sẽtentiam Aduersariorum: quibus nimirum iam certum erat, se non esse suum esse, Deum autem esse suum esse.

Resp. 2. hoc idem valere contra existentiam essentiæ superadditum: hæc enim per se ipsam formaliter est, adeoque est sibi suum esse. In quo quidem si sit innita

perfectio, quælibet creatura per infinitam perfectionem existit; cum existat per existentiam, quę est sibi suum esse. Audi sensum huius dicti ex sapientibus. Dum Deus sic loquitur: *Ego sum qui sum* emphatice loquitur, & plusquam verba sonent. Videlicet, ego sum qui immutabiliter, & necessario sũ, non sicut Cœlũ & Terra, & quælibet alia creatura, quæ mutabiliter est, & tamdiu est, quamdiu mihi placet vt sit: nam *sicut amictorium mutabo eos, ego autem idẽ ipse sum & anni mei non deficient*. Vide quam ineptè ex eo, quod Deus dixerit, *ego sum qui sum* inferatur: ergo est suum esse: quasi vero nequeat prædicari de subiecto per verbum *sum es, est* nisi id quod conuenit subiecto per identitatem; adeoque Aduersarius nequeat dicere de seipso, ego sum Philosophus, nisi Philosophia Aduersario insit per identitatem.

D. Thomas, Augustinus, & alij huiusmodi, dum explicant hoc dictum, *ego sum qui sum*, itaut sensus sit: ego sum meum esse, ita explicant, vt in hoc Deus differat à creatura, quod ipse sit sibi omnis perfectio, quæ prædicatur de ipso, quod non conuenit illi creaturæ: edeoque Deus per identitatem habet omne esse: cum creatura non habeat nisi aliquod, & limitatissimum esse. Deus est bonus, & est sibi sua bonitas, per quam est bonus. Est sapiens, & est sibi sua sapientia, per quam est sapiens, est vbique, & est sibi sua vbiquitas. Et sic de cæteris, Homo est bonus, sed non est sibi

sua

sua bonitas: est sapiens, sed non est sibi sua sapientia, est in loculo, sed nec est sibi sua ratio essendi in loculo, En verum, & germanum sensum, secundum quem Deus discernitur à qualibet creatura per hoc, quod sit sum esse. Hinc patet ad argumentum in forma. Conc. maior. nega minorem &c.

Dices: sequeretur creaturam essentialiter existere, conf. est falsum: ergo & ant. Sequela probatur, quia creatura existeret per suam essentiam; ergo existeret essentialiter. Minor autem probatur, quia nihil certius est quam Deum solum essentialiter existere.

Resp. quod Aduersarius deberet in probatione minoris excipere saltem existentiam, quæ siue per seipsam, siue per essentiam, quam modificat, existat, essentialiter existit: quandoquidem existere essentialiter nihil aliud est, quam existere per essentiam. Hæc igitur propositio: *creatura essentialiter est*, essentialiter falsa, quia facit sensum creaturam necessario esse: creaturam autem necessario esse est necessario falsum. Quamuis enim creaturam esse sit aliquando verum, aliquando falsum; tamen creaturam necessario esse; est semper falsum. Deus dicitur essentialiter, esse seu existere propter duo. Primum est, quia necessario est, & per suam essentiam petit semper esse vtpote inuoluens repugnantiã ad non essendum. Secundum est: quia ita per suam essentiam est vt excludat à se

non solum omnem causam formalem distinctam à se, per quam sit, sed etiam omnem causam efficientem, Neutrum conuenit creaturæ; hæc enim contingenter est; & quamuis non indigeat vllo alio in genere causæ formalis, vt existat, indiget tamē alio in genere causæ efficientis. In forma ad argumentum, nega sequelam: ad probationem distingue; existit per suam essentiam excludendo omne aliud in genere causæ formalis, concede: excludendo omne aliud in omni genere causæ: nega. Existere per suam essentiam multipliciter dicitur: in vno sensu nihil dicit, nisi exclusionem existentiæ superadditæ rei existenti, & sic quicquid est, siue existit, per suam essentiam est, siue existit. In alio excludit omnem omninò dependentiam, quoad existendum, à re existente, & in hoc sensu solus Deus per suam essentiam existit.

Inst. Si aliquid per suam essentiam haberet non existere, necessario non existeret, ergo si aliquid per suam essentiam habet existere, necessario existit. antec. est euidens. conseq. autem prob. quia impossibile est existere id cuius essentia est non existere, ergo necessarium est existere id cuius essentia est existere. Cōfirmatur: quia id cuius essentia est non existere, si ponatur, existit simul & non existit, ergo id cuius essentia est existere, si non ponatur, non existit simul & existit. Tam autem opponuntur: *non existit & existit*,

quam

quam, *existit & non existit*.

Resp. ex dictis hanc propositionem: *Petrus per suam essentiam habet existere*, esse æquiuocam. Vel enim significat essentiam Petri esse Petro necessitatem existendi, vel essentiam Petri esse Petro formam existendi. In primo sensu est falsa: in secundo vera. In forma conc. antec. nega conseq. Ad prob. con. antec. dist. conseq. si ly *id cuius essentia &c.* significet necessitatem existendi; conc. si solum formam existendi; nega conseq. Ad confirm. conc. antec. distingue eodem modo consequens. Id cuius essentia est ipsamet forma non existendi, si ponatur, existit, & non existit, quando quidem per ipsammet formam per quam, vel quæ existit, excluditur ab existendo. Id autem cuius essentia est ipsi forma existendi, per hoc quod non ponatur, non simul existit; quia aliud est esse formam, aliud necessitatem existendi. Id cuius essentia est necessitas existendi, semper est. Id cui essentia est forma existendi, per suam essentiam formaliter est, quando est, per eiusdem defectu non est, quando non est.

Replicabis. Ista propositio: *Deus est existens*, est necessario vera, quia essentia Dei est Deo forma, seu ratio existendi: sed etiam essentia Petri est Petro forma seu ratio existendi; ergo etiam hæc propositio. *Petrus est existens*, est necessario vera.

Confirm. quia in hac propositione: *Petrus est existens*, nihil prædicatur de essentia Petri nisi eiusdem existentia, quæ est

idem cum ipsa; ergo propositio est necessario vera.

Resp. Quomodo essentia Dei sit Deo ratio essendi, dictum est supra, per exclusionem videlicet omnis omnino causæ, à qua sit, quod non conuenit vlli creaturæ. Accipiendo autem rationem existendi in solo genere causæ formalis, nega mai. Hæc propositio *Deus est existens* est necessario vera, quia Deus necessario est. Ad confirm. distingue, nihil prædicatur nisi &c. quoad rem prædicatam; conc. quoad modum prędicandi, nega antec. & conseq. Hæc propositio *Petrus est existens* non differt nisi voce tenus ab hac: *Petrus est*, participium enim verbi *existo* nihil addit supra *est* sumptum in vi verbi; sicut *curro currens*, nihil dicit supra *curro*. Per hanc autem propositionem: *Petrus est*, non prędicatur præcise existentia, quæ cum aliquando sit, aliquando non sit, præscindit ab esse & non esse simpliciter; sed prædicatur vt existens. Quamuis autem existentia necessario identificetur cum essentia, non tamen necessario est, cum nec ipsa essentia necessario sit. Obiter nota retorqueri argumentum contra existentiam.

Authoritati diuine subijcitur athoritas Aristotelis 2. poster. dicentis, quod nulli rei esse est substantia, seu essentia, & consequenter, quod nulla res per suam essentiam existit, in genere etiam causæ formalis. Hunc esse sensum Philosophi patet, quia ibi agit de eo, quod ponendum est in de-

definitione cuiuslibet rei : ait autem in nullius rei definitione poni ipsum esse, eo quod nulli rei esse sit substantia, siue essentia ex quo sic argues. In definitione rei ponitur tota quidditas rei: in definitione rei non ponitur existentia; ergo existentia non est quidditas rei. Ratio à priori est, quia definitio debet semper conuenire rei definitæ : non autem semper conueniret, si poneret existentiam; cum res non semper sit, sed aliquando sit, aliquando non : ita esset inepta hominis definitio: *animal rationale existens*.

Resp. primo hoc idem omninò valere contra existentiam ipsam, quæ aliquando est, aliquando non est. Quemadmodum vocula *est* multipliciter, & æquiuoce sumitur, ita etiam hæc ipsa vox : *existentia* potest æquiuoce accipi. In aliquo sensu non ponitur in definitione *est*, & in aliquo ponitur. Vt ponit in natura rem definitam, non ponitur in definitione; vt significat conuenientia definitionis cum definitu ponitur, propter rationem quam adduximus, quia videlicet prædicata definientia semper conueniunt subiecto, quod definitur; ipsum autem subiectum non semper est. Quando dicit Philosophus ipsum esse non poni in definitione, hoc ipsum intelligit, quod supra diximus nulli rei *ipsum esse* esse necessarium: quod idem est, ac nullam rem (intellige creatam) necessario esse: quamuis quælibet res necessario sit hoc, & illud. Et quia *esse hoc & illud* non significat exercitum essen-

esſendi, quod significatur per *eſſe* simpliciter, & siue addito: hinc eſt quod *eſse hoc, & illud*, non autem *eſse* sine addito ponitur in definitione. Imo ipſum *exiſtere* cum addito ſæpe inuenies apud Philoſophum definientem: puta loco particulæ *eſt* ſæpe ponit *exiſt* v. g. *homo exiſtit animal rationales*, in qua definitione vix Aduerſarius diceret non poni exiſtentiam: cum tamen, si recte loqui volueris, dicere debeas; exiſtentiam rei non poni in definitione rei; quod nihil aliud significat, nisi te dum definis, non affirmare quod res definita si in rerum natura.

Ad argumentum in forma reſponde cum diſtinctione, exiſtentia non ponitur nominaliter in definitione; nega, non ponitur verbaliter. concede. item, nulli rei eſse nominaliter eſt ſubſtantia. nega: eſse verbaliter. concede Exiſtentia non ponitur verbaliter, quia non affirmatur per definitionem, quod res sit, ponitur nominaliter ſub iiſdem nominibus, ſub quibus ponitur ipſa eſsentia, & hoc modo intelligimus poni nominaliter. Quod non ponatur in definitione ſub hoc nomine siue etiam ſub hoc conceptu, *exiſtentia*, non eſt quod exiſtentia, etiã ſub hoc conceptu, non pertineat ad eſsentiam cuiuslibet rei creatæ: de quelibet enim re, recte prædicaueris quod sit ſua exiſtentia, sed ideo hoc non ponitur in conceptu definiente, quia eſt prædicatum tranſcendens, prædicata autem tranſcendẽtia non ponuntur in definitionibus.

Poſ-

Posses etiam aliter distinguere : in definitione ponitur quidditas rei , præscindendo ab eo , quod sit vel potentia , vel actu. concedo ; ponitur essentia vt actu.nego . Sicut autem ponitur essentia præcindes , ita & existentia : non aliter igitur distinguitur essentia ab existentia , quam hæc à se ipsa : vtraque enim aliquando est, aliquando non est , & vtraque eadem est , & quando est, & quando non est ; vnde de hanc dicere simul *est & non est* impossibile .

Denique autoritati Aristotelis succedit authoritas omnium hominum,aliter loquentium de essentia , aliter de existentia . Puta existentia est donum Dei ; esseutia non est donum Dei . Hinc ago gratias Deo quod sim ; non ago gratias quod sim animal rationale . Præterea non solum aliud dicitur de essentia,aliquid de existentia;sed per propositionem veram existentia negatur de essentia : recte enim dicitur : essentia Antichristi non est ; implicat autem, quod idem negetur de seipso .

Resp.diuersæ loquutiones non ostendunt diuersas res : quis enim prohibet ; imo quis non iubet nos de eadem re diuersimode loqui. Roga Aduersarium , an sit iusta hæc propositio : *homo habet animal rationale*. negabit . Roga iterum an iusta sit hæc alia. *homo habet identitatem cum animali rationali*. eadem sapientia,que negauit primam, dabit , puto , secundam . Quid autem est in secunda , quod non sit in prima? Tam enim homo est identitas sui cum animali rationali,

nali, quam est animal rationale, & quam est homo. Desinat igitur obiicere: rectè dicimus. *Petrus habet existentiam*. non rectè dicimus. *Petrus habet hominem*. ergo &c.

Ad propositiones suprapositas dici existentiam esse donum Dei, non transitiue, sed intransitiue: vel si vis, concede etiam esse donum transitiue, non tibi factum, sed mundo; Deus enim donauit te, non tibi, sed mundo, vnde etiam de filio Dei dicitur. *Puer datus est nobis, & filius natus est nobis*: per quæ explicatur cui, propriè loquendo, donetur à Deo id, quod de nouo ponitur in rerum natura: Gratias autam ago Deo, non quod me mihi transitiue donauit, dum gratias ago quod sim; sed quod intransitiue mihi, transitiue mundo & Reip. Non ago gratias quod sim animal rationale: quia posſum esse animal rationale, & simpliciter non esse, adeoque nihil esse. Hæc omnia sub aliis terminis habes alibi explicata.

Ad aliam propositionem: falsum est existentiam negari posse de esentia. Falsa enim est hæc propositio; *Esentia Antichristi non est existentia Antichristi*. Quando dicitur; *Antichristus non est* non negatur existentia de esentia; sed negatur simpliciter esentia; hoc est tollitur intentionaliter è rerum natura Antichristus.

AR-

ARTICVLVS V.

Inferuntur aliqua ex dictis.

IN feres primo suppositionem, quæ ab aliquibus fit, quod essentia distinguatur ab existentia, esse suppositionem per impossibile. Patet hoc ex dictis. Ostensum est enim essentiam & existentiam esse vnum, & idem; idum autem à se ipso distingui est impossibile. Igitur quando facta tali hypothesi quæritur an si ita esset, materia posset existere per existentiam formæ; quæritur an impossibili supposito, posset materia recipere existentiam à forma. In hac quæstione vide quid quæratur, &, vt hoc videas, forma hanc propositionem: *essentia est quid distinctum ab existētia.* In hac propositione subiectum est *essentia* prædicatū vero: *quid distinctum ab exisentia.*

Præterea reuoca in mentem, quod dictum est initio huius controuersiæ circa opinionem Thomistarum: attendendum videlicet esse actualitatem essentiæ; & actualitatem existentiæ; per primam essentia est actu essentia: per secundum essentia actu est simpliciter, & sine addito. His positis; vide an hæc propositio videatur repugnans: *Quid distinctum ab existentia recipit existentiam à se distinctam.* Si videatur iusta extrema inter se repugnare: etiam facta tali hypotesi repugnat essentiam exististeret per formam sibi superadditam: si secus non repu-

repugnat. Si autem non repugnat; nec repugnabit in prædictâ hypothesi materiam existere per existentiam formæ; cum nomine materiæ nihil veniat, nisi essentia materiæ.

Vbi hoc etiam aduertendum est; nos videlicet nihil hic attendere, nisi prædicatum hypothesis; hoc est rationem distincti ab existentia, quod vnice attendendum est, vt videatur formalis consequentia vnius ex alio. Dicendum est igitur, quod in prædicta hypothesi non repugnat materiam primam existere per existentiam formæ.

Probatur hæc conclusio; quia distinctum ab existentia, per quam existat, non repugnat existere per existentiam à se distinctam, ergo facta hypothesi quod materia sit quiddam distinctum ab existentia, per quam existat, non repugnat quod existat per existentiam sibi superadditam, seu à se distinctam. Antec. est manifestum. Adeo enim non repugnat, vt necessarium sit, si existat, existere per existentiam à se distinctam, quicquid distinctum est ab existentia, per quam existit: cum implicet *A* distingui à *B*, & vicissim *B* non distingui ab *A*. Consequentia autem est euides. Rursus si non repugnat materiam existere per existantiam à se distinctam; repugnat existere per existentiam formæ; ergo in prædicta hypothesi non repugnat materiā primam existere per existentiam formæ. Minor subsumpta probatur rogando Aduersarium vt assignet specialem aliquam repugnan-

gnan-

gnantiam in materia ad existendum per existentiam formæ, semel admisso quod possit existere per existentiam à se distinctam.

Dices. Implicat rem existere formaliter per existentiam sui effectus: sed forma, & existentia formæ est effectus materiæ; ergo implicat quod materia existat per existentia formæ. Probatur maior; quia omnis causa necessario præexistit suo effectui; ergo nulla causa potest recipere à suo effectu quod existat. Minor autem supponitur hic pro certa ex dictis, & dicendis circa causalitatem materiæ in formam.

Resp. neg. mai. Ad probatioonem negó ant. De causa efficienti verum est, aut saltem pro vero dari potest, quod nequeat; existere formaliter per suum effectum, cui necesse est quod ipsa præexistat. De causa vero materiali aliter philosophandum est; materia prima est causa & formæ, & existentiæ formæ sed causa passiua: de cuius conceptu est, non dare, sed recipere; si igitur id quod recipit sit ipsummet esse, non est de conceptu ipsius præhabere esse.

Hoc idem argumentum, quod fit contra existentiam formæ fieri potest contra existentiam quamlibet distinctam à materia, per quam materia simpliciter sit. Nam etiã respectu talis exis tentiæ materia esset causa passiua: sed de ratione causæ est, quod præexistat effectui, siue rei cuius est causa: ergo materia prima debebit præexistere illi cuicunq; existentiæ, per quam sit.

Dices

Dices non eſſe eãdem rationem pro qualibet exiſtentia diſtincta à materia, ac pro exiſtentia formæ. Formæ enim materiam eſse cauſam paſsiuam iure ſupponitur: non autem ſupponitur eſſe cauſam paſsiuam cuiuſcumque exiſtẽtiæ, per quã formaliter eſt.

Reſp. quod illi ijdem, qui ponunt materiam, & ipſius exiſtentiam inter ſe diſtingui, ponunt materiam pro cauſa paſsiua ſuæ exiſtentiæ: aiunt autem eſſe cauſam ſuæ exiſtentæ, non per illam actualitatem, per quam ſimpliciter ſit; ſed per illam per quam actu eſt id quod eſt; ſiue, dicunt materiam primam per actualitatem eſſentiæ eſſe cauſam paſsiuam actualitatis exiſtentiæ. Si autem huiuſmodi actualitas ſufficit, vt de ipſius potentia educatur exiſtentia, ſiue actus exiſtentialis; non eſt cur non ſufficiat ad hoc, vt de ipſius potentia educatur ipſamet forma, & exiſtentia formæ.

Inſtabis: eſt de ratione cauſæ etiam paſſiuæ quod ſit prior natura reſpectu rei, cuius eſt cauſa: ergo eſt de ratione materiæ quod ſit prior natura reſpectu formæ. Sed ſi eſt prior natura, præexiſtit: ergo eſt de ratione materiæ quod præexiſtat formæ.

Reſp. Totum hoc valere contra quamlibet exiſtentiam à materia diſtinctam; cum tamen euidens ſit ipſam non debere præexiſtere omni exiſteræ. Verum quidem eſt hæc argumenta nobis etiam valde probari; ſed quatenus probant impoſsibilitatem hypotheſis, quam ſupra fecimus. Cæterum retenta hypotheſi, quod videlicet detur ſtatus

tus ille medius inter possibile, & existens, quem vocant actualitatem essentia; sicut in eo reperitur vnde patiatur existentiam, sic etiam reperitur vnde patiatur formam; & sicut habes prioritatem naturæ sufficientem ad vnum, habes sufficientem & ad alterum.

Dices iterum: potest supponi existentia distincta à forma & à materia quæ recipiatur in ipsa materia, non tamquam in causa, sed tamquam in subiecto: seu quam materia pure recipiat, sed non patiatur. In tali hypothesi esset specialis ratio contra formam, quæ non militaret contra quamcumque existentiam. Hoc vt intelligas suppone rationem subiecti conuenire tam subiectos sustentationis, aut inhæsionis, quam subiecto adhęsionis. Subiectum sustentationis aut inhæsionis vocant, quod respectu rei, quam recipit, exercet munus causæ passiuæ: adhæsionis verò illud, quod ita rem recipit, vt illam non causet. Primi generis est materia prima respectu formæ sensibilis, cuius propterea dicitur causa materialis. Secundi generis eadem materia respectu actionis, qua creatur; si actio, qua creatur, ab ipsa distinguitur. Materiam primam præsupponi physicè illi formæ, quæ ex ipsa educitur, facile intelligis: præsupponi autem physicè actioni, qua creatur, numquam, nisi male intelliges: hanc tamen actionem in aliquo recipi necesse est: non in Deo creante; igitur in re, quæ creatur: recipiens autem est subiectum recepti; igitur materia erit subiectum actionis creati-

uæ sui. Vides igitur posse aliquam formam recipi in subiecto, absque eo quod illud subiectum sit causa. illa autem actio creatiua denominat & constituit formaliter materiam creaturam.

Porro quemadmodum creatio constituit creatum subiectum, in quo est, cum tamen non pendeat ab ipso: imo cum subiectum potius ab ipsa dependeat: poterit etiam existentia denominare subiectum existens, etiamsi ab ipso non pendeat; & in ipso recipi, absque eo quod sibi physice præsupponatur. Ex quo fit posse fieri talem hypothesim, ex qua non repugnet materiam existere per exitentiam à se distinctam; repugnet autem existere per existentiam formæ.

Resp. Hæc omnia esse clarissima, sed non manere in præcisa hypotehesi, quam supra fecimus. Quod si pro libitu fingamus hypothesim quacunqne: en tibi hypothesis, in qua non repugnet existere per existentiam formæ: repugnat autem existere per quamlibet aliam existētiam à se distinctam. Non repugnat, formam, & existentiam formæ fieri independenter à materia; finge igitur ita fieri de facto, & recipi in ipsa; in tali hypothesi non habebit rationem causæ passiuæ, sed purè rationem subiecti adhesionis: recipietur igitur in tali casu forma, & existentia formæ in materia; sicut actio creatiua in re creata. Vice versa finge quamlibet aliam existentiam fieri dependenter à materia, tamquam à causa passiua:

in

in tali caſu repugnabit illam exiſtere per vllam aliam exiſtentiam à ſe diſtinctam, quam per exiſtentiam formæ. Ratio eſt euidens, quia eo ipſo, quod exercebit munus cauſę paſſiuæ reſpectu cuiuslibet alterius exiſtentiæ; erit ſpecialis ratio contra quamlibet exiſtentiam.

Standum eſt igitur non in hypotheſi quam quilibet ſibi fingat, ſed quam pro vera habent, non autem pro impoſſibili ij cōtra quos diſputamus. Hypotheſis autem eſt, quod materia non per ſuam exiſtentiam, ſed per ſuam eſſentiam ſit cauſa paſſiua rei cuius eſt cauſa paſſiua. Hac hypotheſi retenta; per eſſentiam æque ſaluabis cauſam formæ, & exiſtentiæ formæ, ac cuiuslibet alterius exiſtentiæ. Hanc autem eſſentiam eſſe cauſam ſeu exiſtentiæ dicit Thomiſta per illam actualitatem, quam vocat actualitatem eſſentiæ.

Verum contra hanc actualitatem eſſentiæ eadem omnino argumenta pugnant, quæ à Thomiſta proponuntur contra exiſtentiam identificatam cum eſſentia. Nam eſſentia eſt indifferens ad habendum, vel non habendum huiuſmodi actualitatem: igitur hæc actualitas aliquando eſt, aliquando non eſt; & conſequenter accidit eſſentię: ſi autem accidit eſſentiæ: cum ante ipſam nihil eidem acccidat, eſt primum eſſe contingens eſſentiæ: primum autem eſſe contingens, & exiſtentia ſunt vnum, & idem. Ex quo conficitur illam ipſam actualitatem eſſentiæ eſſe formaliſſime exiſtentiam.

tiam. Igitur si velit Thomista assentiam per huiusmodi actualitatem esse causa suæ existentiæ; vult esentiam per suam existẽtiam esse causam suæ existentiæ. Ex quibus patet suppositionem prædictam inuoluere contradictoria.

Confirmatur hoc idem: quia esentia per actualitatem prædictam extrahitur è statu puræ possibilitatis: & consequenter per ipsam formaliter est in rerum natura; esse autem in rerum natura prædicitam esentiam, & existere sunt vnum, & idem; & consequenter status ille medius inter esse possibile, & existere est status omnino Chimericus.

Inferes secundo ex iis, quæ dicta sunt, rem possibilem, & rem existentem non esse aliud, & aliud. Idem enim ille Antichristus qui est possibilis, erit aliquando simpliciter; erit autem efficienter per Deũ, & parentes suos, formaliter autem per seipsum: ita vt si nihil aliud intelligas in rerum natura de nouo, præter illam essentiam, quam vocas Antichristum, intelligas per hoc formaliter existere Antichristum: indifferentia autem, quam concipis in Antichristo ad existendum, & non existendũ: tollitur efficienter per causas productiuas ipsius; formaliter autem per ipsum, qui numquam intelligendus est in natura sine seipso, nec esse in natura per aliquid, quod non sit ipse.

Inferes tertio Argumenta, quæ communiter à Thomistis congeruntur pro distinctione

ctione inter essentiam, & existẽtiam, parum valere. Huiusmodi sunt: Deus solus est ita simplex, vt neque ex genere, & differentia: neque ex essentia, & existentia componatur. Quicquid enim sit an vere Deus careat compositione metaphysica, seu logica ex genere, & differentia, de quo alibi dictum est; non solum non componitur ex essentia, & existentia, cum in nulla creatura hęc à se inuicem distinguantur. Simplicitatem Dei explicatam habes tùm in Logica, tùm in paraphrasi, quā fecimus in illud: *Ego sum qui sum* vbi habes omnem perfectionem, quę de Deo dicitur, Deo competere per identitatem: quod est summę simplicitatis. Hinc verius dicis: Deus est misericordia infinita: quam: Deus habet misericordiam infinitam: vnde prædictæ perfectiones, iustitia videlicet, misericordia, sapientia, & aliæ huiusmodi sunt in nobis formæ reales, in Deo autem formæ secundum dici: non quod misericordia, & iustitia diuina non sit quid reale, sed quia realiter non sunt in Deo tanquam in subiecto, cum sint realiter Deus ipse: dicuntur autem formæ secundum dici, quia ex imperfecto nostro modo dicendi importantur quasi formę.

Inferes vltimò non remanere locum controuersię, an materia prima existat per existentiam propriam, an contra per existentiam formę. Est enim ex dictis manifesta conclusio. Materia prima existit per existẽtiam formę. Hęc tamen conclusio de-

fendenda est contra Thomistas solutione argumentorum.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur argumenta contra vltimam conclusionem.

OBijc. 1. Si materia prima existeret per propriam existentiam, forma aduenies constitueret cum ipsa vnum per accidens; conf. est falsum, ergo & ant. Minor est indubitata; nam forma ignis, plantę; & quælibet alia huiusmodi facit cum materia vnum per se, siue vnam substantiam. Sequela autem maioris probatur, quia quicquid aduenit enti in actu, facit cum ipso vnum per accidens. Puta albedo adueniens Socrati facit vnum per accidens, & sic de cæteris: sed si materia prima existit per propriam existentiam, forma ipsi adueniens aduenit enti in actu: ergo &c. Minor probatur, quia ens existens, eo ipso est en in actu: idem enim est esse simpliciter; & esse actu. Hoc idem argumentum alijs terminis proponitur: ex duobus entibus in actu non fit vnum per se; ergo ex materia præexistente, & forma non fit vnum per se.

Resp. neg. sequelam mai. ad probationem distinguo ma. quicquid aduenit enti in actu in sensu Philosophi, facit vnum per accidens: concedo; in alio sensu: nego; & eodem modo dist. min. nega conf. Per ens in actu intelligit Philosophus substantiam sim-

simpliciter, qualis est Socrates, & quodlibet aliud huiusmodi. Huic quicquid aduenit facit vnum per accidens; quod tamen nequit sustineri ab aliquibus, apud quos est principium. Nam subsistentia per ipsos est aliquid superadditum materiæ existenti per formam, adeoque toti composito physico.

Quod si per ens in actu nihil aliud intelligeret, quam ens quodcunque positum extra suas, causa siue extractum è statu possibilitatis, manifestum est, quod etiam tum ex materia, & forma non fieret vnum per se, etiam si supponas materia existere per existentiam formæ: nam & materia est extra statum possibilitatis dum actu componit, & etiam a forma; materia autem, & forma sunt due quamuis sint vnum compositum. Ex duobus in actu, hoc est non pure possibilibus, sed actualiter existentibus non fit vnum per se: sed materia, & forma sunt duo existentia; ergo ex materia & forma non fit vnum per se.

Dices: quicquid aduenit substantiæ completæ facit vnum per accidens; quod aduenit materiæ existenti, aduenit substantiæ completæ; ergo &c. Minor probatur; quia materia prima per existentiam completur, ergo, &c.

Resp. conc. mai. neg. min. ad probationem nego ant. quod est falsum etiam in sententia Aduersarij. Nam essentia, & existentia distinguntur realiter in qualibet re creata: g. forma, & existentia formæ distinguntur realiter. Hoc posito roga an existentia for-

mæ secundum se præcise accepta constituat cum materia substantiā completam, hoc est substantiam simpliciter? Si affirmet; ergo forma superadditur substantiæ simpliciter: si neget: ergo falsum est materiam, per hoc præcise quod existat, esse ens completum simpliciter. Quod si replicet existentiam formæ esse non posse in materia quin ibidem sit forma; dic hoc non facere ad rem. Nam nec ipsa forma potest esse in materia sine sui duratione, & tamen cum hac duratione fit vnum per accidens. Aliud est hanc, & illam rationem esse inseparabiles, aliud vnum eundemque effectum formalem præstari per vtramq; primum contingit esse verum: secundum autem semper est falsum.

Obijc. 2. materia prima est indifferens ad quodlibet esse; g. non habet vllum esse sibi proprium. Ant. probatur, quia est pura potentia ad esse vel ignem, vel aerem, vel plantam, vel quodlibet aliud huiusmodi. Comprobatur, quia quod est indifferens ad omnem colorem non habet vllum colorem sibi proprium: ergo quod est indifferens ad omne esse non habet vllum esse sibi proprium. Secundum antecedens apparet in Camaleonte, de cuius colore si quæras, respondebitur nullum esse. Ex quo obiter nota posse impugnari Philosophum dicentem: *ex non albo fit album, verum non ex omni non albo: sed ex nigro vel medijs*. Camaleon enim fieri potest albus; cum tamen nec niger fit, nec vllius alterius coloris.

Resp. distin. ant. materia est indifferens

ad

ad quolibet esse complens : conc. ant. ad quodlibet esse complebile : nego ant. Est per seipsam quid complebile, & actuabile ad quamcunq; speciem substantiæ. Ad probationem retorquetur: nam sicut quod est indifferens ad omnem colorem, non est vllius coloris, sed tamen est colorabile : ita quod est indifferens ad quamcunque speciem actus complentis, quamuis se ipso non sit vllus actus huiusmodi, est tamen seipso quid actuabile. Materia autem prima ita est actuabilis per quamcumque formam, vt sit causa passiua cuiuscunque formæ, intellige de forma sensibili. Ex hoc autem quod sit causa passiua legitime infertur, quod cuilibet, si non tempore, certe natura præexistat. Est enim de ratione causæ passiuæ præexistere rei, cuius est causa, & ad illius effectionem, simul cum agente, concurrere.

Dices primo : materia prima per suam essentiam est causa passiua formæ, ergo sufficit ad rationem materiæ pręsuppositio ipsius ad formam secundum essentiam; ergo non requiritur pręsuppositio secundum existentiam.

Resp. quod ęque pręsupponitur causa passiua, ac causa efficiens; adeoque eodem modo pręexistentia causę passiuę, ac pręexistentia causę efficientis. Dum dicit Aduersarius pręsupponi materiam secundum essentiam, non autem secũdum existentiam, nihil dicit, aut sibi contradicit. Quid enim est aliud pręsupponi materiam secundum

essentiam, quam præsupponi in natura essentiam materiæ? Præsupponi autem hoc modo est formalissime præexistere; nec aliud intelligimus per existens, quam id, quod est in rerum natura. Si enim præsupponi secundum essentiam nihil aliud sit, quam præsupponi secundum possibilitatem, aut secundum conceptum quidditatiuum, falsum est essentiam materiæ præsupponi formæ, nam vtriusque possibilitas, & conceptus quidditatiuus æque est ab æterno. Nec prius est materiam non esse quid, neque quantum &c. quam formam esse rationem determinantem ad quid: vtrumque enim æternum est, modo millies explicato. Ad argumentum in forma conc. ant. & prima conseq. nega secundam, quæ aperte contradicit primæ.

Dices secundò. Materiam præexistere formæ, quæ de nouo educitur, per existentiam formæ, quæ destruitur, v. g. quando ex ligno fit ignis materia per formam, siue per existentiam formæ ligni præexistit physice formæ, seu existentiæ formæ ignis. Et quia nunquam ex materia nuda fit quicquam, sed semper ex vna substantia fit alia; ideò semper est assignabilis in materia aliqua existentia, qua præcedat existentiam formæ, quæ de nouo ponitur, & ad quam passiue concurrit.

Neque hæc doctrina subsistit, sicut non subsisteret in causa efficienti. Prioritas naturæ est in eodem instanti, in quo res fit; adeoque causa efficiens, vt in instanti B exer-

exerceat suam prioritatem, debet in instanti *B* habere existentiam, per quam natura præcedat suum effectum: nec sufficit illi præcessisse in instanti *A*. Eodem modo philosophare de causa passiua, quæ in illo eodem instanti præ intelligitur, & præsupponitur rei, ad quam passiuè concurrit, constituendo cum causa efficiente actum primum physicum rei, quæ in illo eodem instanti de nouo fit. Hæc omnia vt proderunt ad intelligentiam prioritatis naturæ suo loco explicandæ, sic etiam ab eadem explicatione tantùm lucis adispiscentur, vt manifesta fiant. Totum negotium reducitur ad hoc. Materia in eo instanti, in quo concurrit ad formam, est prior natura respectu formæ: non potest esse prior per existentiam formæ antecedentis, ergo est prior per aliam, & consequenter per suam. Vbi tenendum est, quod alibi insinuauimus prioritatem naturæ non haberi per præcedentiam temporis. Hoc enim esse prius natura respectu alterius nihil aliud est, quam hoc esse id, à quo alterum pendet. Rursus formam ignis non pendere à materia existente per formam ligni probatur; quia in eo instanti, in quo primo est forma ignis primo non est forma ligni, seu existentia formæ ligni; ergo implicat, quod existentia formæ ligni constituat prioritatem materiæ respectu formę lignis: siue implicat, quod materia sit physicè prior forma per existentiam formæ ligni.

Obijc. 4. materia vt sit causa suæ vbica-

tionis (idem dic de qualibet alia re vbicata] non requirit præubicari; g. vt sit causa suæ existentiæ non requirit præexistere: ergo etiam si sit causa existentiæ formæ, poterit existere per existentiam formæ. Ratio à priori est, quia terminus de nouo ponendus non præsupponitur positioni sui. Igitur prima vbicatio non præsupponit vllam vbicationem in re vbicanda, eodem modo prima existentia non præsupponet in re, quę debet existere, vllam existentiam,

Resp. totum hoc probare nostram sententiam. Terminus de nouo ponendus non Pręsupponitur in natura; existentia materię primæ pręsupponitur in natura ad formam; ergo existentia materiæ primæ non ponitur in natura formaliter per existentiam formæ. Præsupponi probatum est ex hoc ipso, quod forma pendeat à materia, non præscindendo ab existente, & non existente; sed vt ab existente: quod est de ratione causæ physicè concurrentis ad rem, quæ fit. Ad vbicationem non pręsupponitur vbicatio, quia præscindendo ab vbicatione habetur causa adęquata physica vbicationis: ad formam autem, & existentiam formæ præsupponitur existentia materiæ, quia præscindendo à materia non habetur causa adæquata formæ. Quod autem ad quemlibet terminum, qui ponatur, præsupponatur causa adæquata ad ipsum, est ità euidens, vt nequeat vlterius probari, nisi aliter explicando eosdem terminos, putà dicendo. Implicat aliquid esse, & non dari sufficientiam

tiam

riam ad hoc vt ſit: ſufficientia autem ad hoc vt forma ſit, quæ præcedit formam, non quidem tempore, ſed natura, includit materiam, vt dictum eſt. Ad id quod dicit Aduerſarius, primæ exiſtentiæ non prærequiri exiſtentiam: dic ita eſſe: ſed hoc probari exiſtentiam formæ eſſe non poſse primam exiſtentiam materiæ. Quod ſi ſupponas exiſtentiam formæ eſſe primam exiſtentiã materiæ, ſupponis eo ipſo exiſtentiam formæ præexiſtere, ſeu præhaberi exiſtẽtiæ formæ.

Obijc. vltimò. Exiſtentia formæ recipitur in materia; ergo conſtituit materiam exiſtentem.

Reſp. conc. ant. neg. conſeq. conceditur antecedens, quia forma, & exiſtentia formæ ſunt idem: recipitur forma in materia; ergo & exiſtentia formæ. Vbi aduerte obiter, quod ſicut primæ vbicationi non præſupponitur vlla vbicatio, ita nec primæ formæ vlla forma. Negatur conſequentia; quia non quæritur hic, vtrum materia prima conſtituatur in hac, vel illa ſpecie exiſtentis per hanc, vel illam exiſtentiam illi ſuperuenientem. Certum eſt enim non ſolum exiſtentiam formæ, ſed exiſtentias plurium accidentium cum forma, vel poſt formam ſuperuenire materiæ. Quærimus autem, vtrum ita exiſtat per exiſtentiam formæ, vt præſcindendo ab hac, non exiſtat. Et hic eſt ſenſus huius concluſionis. *Materia prima non exiſtit per exiſtentiam formæ.* Quia autem exiſtere conſiſtit in indiuiſibili, neq; ex pluribus exiſtentibus vnum plus exiſtit, quã

alterum: ideò, quantumuis nouæ, & nouæ existentiæ adueniat materiæ, numquam dicitur fieri magis, aut magis existens. Ratio igitur, quia existentia formæ non faciat existentiam materiam, est, quia iam præsupponit, & existere non recipit magis, & minus. Hoc idem non dices de albedine *B*, quæ superueniens parieti albo per albedinem *A*, facit illum eundem parietem album quia facit magis album.

QVÆSTIO IV.

De potentia materiæ ad formas.

ARTICVLVS I.

An potentia materiæ ad formas sit quid ipsi superadditum.

QVæritur hic in potentia passiua, qua videlicet materia prima potest intrinsece immutari per formam, quam recipit, sit ipsiumet essentia, an potius ipsius proprietas. Esse proprietatem opinari visi sunt Auerroes, Albertus, Zabarella, & alij. Esse ipsammet essentiam materiæ tenent D. Thomas, Suarius, Ruus, Hurtadus, & alij non tot quin plures, quibus nos etiam subscribimus.

Hæc conclusio est Aristotelica, secundum quem materia prima est potentia, sicut forma est actus: sed forma est actus non per aliquid sibi superadditum, sed per seipsam; ergo

ergo materia prima est potentia, non per aliquid sibi superadditum, sed per seipsam, Philosophus 2. de Anima sic habet: *Est autem materia quidem potentia, forma verò actus.*

Probatur secundò ex eodem Philosopho 8. Metaph. & alibi. Ideò ex materia, & forma fit vnum per se quia materia est potentia, forma verò actus. Immò vnum per se non fit, nisi ex potentia, & actu: ergo materia prima per suam quidditatem est potentia. Probatur conseq. quia si potentia esset aliqua proprietas superaddita materiæ, totum quod fit ex potentia, & forma, non esset vna substantia: implicat enim ex proprietate, seu accidente quolibet materiæ primæ, & forma fieri vnam substantiam.

Denique probatur tum ex definitione ipsiusmet materiæ primæ, qua dicitur esse *Primum subiectum, ex quo aliquid fit, &c.* vbi vides rationem primi subiecti, ex quo fit, &c. ita dici de materia prima, sicut de homine dicitur animal rationale, & de quacumq; re sua quidditas. Esse autem subiectum, ex quo fit, &c. & esse potentiam physicam, &c. sunt vnum & idem. Tum etiam ex eo, quod sine vllo fundamento fingatur in materia prima illa passio superaddita, seu illa propietas, per quam sit apta recipere formam, aut dispositiones ad forma. Atq; hic nota me de Auerroe, Alberto, Zabarella, & aliis huiusmodi magni momenti hominibus non dixisse, quod aliter senserint, sed quod aliter sentire visi sint. Cæterum

nihil aliud fortè senserunt, nisi formam substantialem non recipi in materia prima, nisi hæc prius aliquo accidente præparetur ad ipsam, adeoq; ex materia v. g. non fit ignis potius quam aer, nisi in eadem prius detur aliquid, per quod sit magis idonea formæ ignis, quam formæ aeris recipiendæ. Et huic non contradicimus.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectis.

OBijc. 1. Causa efficiens agit per potentiam sibi superadditam; g. causa patiens patitur per potentiam sibi superadditam. Conseq. patet ex perfecta consonantia consequentis cum antecedenti. Antec. autem probatur, quia ignis v. g. ignem producit virtute sibi superaddita: puta calore, non autem immediatè per suam substantiã, vnde est illud Philosophi: *Ignis agit non quatenus ignis, sed quatenus calidus.*

Resp. neg. antec. Ignis extra se agit per aliquid à se distinctum, intra se per seipsum. Vnde potius paritas est pro nobis. Ignis agit intra se per seipsum: g. materia patitur intra se per seipsã. Vide an minus consonet hæc paritas, quam illa. Causa actiua agit aliquando intra se, vt cum aqua reproducit in se suum frigus, aliquando extra se, vt cum eadem refrigerat corpus sibi proximum. Vt agat intra se non indiget instrumento superaddito, secus vt agat extra se. Causa pas-

passiua patitur: pati autem non est aliquando intra, aliquando extra, sed semper intra & consequenter etiam arguendo ab actiua ad passiuam, hęc nullo superaddito indiget ad exercendam rationem causæ.

Est & alia disparitas inter causam passiuam, & actiuam. Terminus causatus per potentiam actiuam non facit vnum cum potētia, à qua efficitur: facit autem vnum cum potentia, quæ ipsum patitur terminus suo modo causatus à potentia passiua, In prima solutione probatur nostra sententia à pari, in secunda datur ratio disparitatis: in vtraque manifesta fit veritas. Si enim verum esset causam actiuam non agere, nisi per potentiam superadditam, habes rationem cur non idem dicas de causa passiua.

Obijc. 1. Omnis potentia est alicuius subiecti potentia: potentia materiæ primæ est aliqua potentia, g. alicuius subiecti est potentia: non nisi materiæ; g. materiæ. Ergo materia prima est subiectum suæ potentiæ; g. potentia materiæ primæ non est materia. Probatur vltima conseq. quia nihil est subiectum sui ipsius; ergo, &c.

Resp. concedendo totum, præter vltimā consequentiam. Ad probationem dist. ant. nihil est subiectum physicum, & transitiue sui ipsius; concedo, logicum, & intransitiue nego antec. & conseq. Quidlibet est subiectum logicum sui ipsius, quia quidlibet potest affirmari de seipso, & in omni propositione definitiua idem est subiectum, & prædicatum; adeoque idem est subiectum sui ip-

ipsius, vt est manifestum. Ita autem materia est subiectum potentiæ, vt indefinitione ipsius recte dicatur: materia est potentia, &c. aliam rationem subiecti respectu potentię ne admittas in materia.

Obijc. 3. Potentia, quæ dicitur de materia, vel est ad formas tantum substantiales vel tam ad substantiales, quam ad accidentales, neutrum dici potest, ergo huiusmodi potentia nequit dici de materia. Minor probatur, quia si dicas potentiam huiusmodi esse solum ad formas substantiales; contra est, cum materia ex se non minus si potens recipere accidentales, quam substantiales imo ex se est immediatius idonea accidentialibus, quam substantialibus, cum has non recipiat, nisi prius disposita per illas. Si autem dicas esse potentiam tam ad accidentales, quam ad substantiales; contra est; quia secundum axioma Philosophi, vel saltem Philosopho attributum *Actus, & potentia sunt in eodem genere*: accidens autem, & materia non sunt in eodem genere, vt patet. Ex his infertur materiam per aliquid superadditum aptari debere, tum formis accidentalibus, tum substantialibus.

Resp. conc. mai. neg. min. Et dico materiam primam esse potentiam per seipsam ad omnes formas subst antiales, & ad totam quamlibet collectionem accidentium. Illud axioma non satis apte affertur huc. Verus, & germanus sensus illius iam à nobis adductus est quęstione superiori; vbi dictum est, vnum & idem esse id, quod modo est poten-

tentia modo actu. Antichristus possibilis est in genere & prædicamento substantiæ; in eodem prædicamento est Antichristus existens; non enim aliud est id quod est, quã id quod potuit esse. Hinc ad hoc argumentum: actus, & potentia sunt in eodem genere materia, & quantitas non sunt in eodẽ genere; g. materia, & quantitas non sunt actus, & potentia, Si teneas sensum axiomatis concede totum; cum manifestum sit materiam, & quantitatẽ non esse idem; itaut quantitas, quando est possibilis, sit materia; quando verò actu est, sit quantitas, vel è conuerso.

Quod si sensus axiomatis talis fingatur, vt in potentia nihil recipi possit, nisi quod sit eiusdem generis cum ipsa, hoc est eiusdem prædicamenti; iam hoc axioma non erit dignitas, sed indignitas, cum sit manifeste falsum. Nam in substantia recipitur quodlibet accidens, quod propterea dicitur entis ens, cum tamen accidens non sit in prædicamento substantiæ. Illa ipsa potentia, quam fingit Aduersarius nequit esse simul in genere accidentis, & in genere substantiæ; adeoq; debet materiæ supperaddi duplex potentia, altera ad formam substantialem, altera ad accidentalem: immò decem potentiæ debebunt superaddi materiæ, vna videlicet, per quam sit idonea formæ substantiali, nouem aliæ, per quas aptetur nouem alijs prædicamentis, quæ omnia sunt inepta. Deniq; aiunt potentiam materiæ esse de genere accidentis. Si ita est, nequit esse potentia ad formam

mam substantialem, quia actus, & potentia sunt in eodem genere.

Obijc. 3. Quantitas est subiectum immediatum aliorum accidentium: est distincta à materia, g. materia prima non per se ipsā sed per aliud sustinet immediate accidentia. Minor supponitur hic, Maior probatur ex mysterio Eucharistiȩ: constat enim in Hostia etiam consecrata recipi calorem, & frigus, aliasq; mutationes huiusmodi, & quidem ab agente naturali: puta à manum tangente, ab aere circumfuso, &c. huiusmodi autem qualitates non creantur, g. fiunt concurrente aliquo subiecto non concurrit autem panis, aut materia panis, quia tota substantia ita destruitur, vt ex ipsa nihil remaneat: non Corpus Christi Domini, quod in Eucharistia nihil patitur, adeoque nec calefit, nec refrigeratur, ergo subiectum concurrens, & patiens est ipsamet quantitas, adeoque non per seipsam, sed per quantitatem materia prima immediate sustinet accidentia.

Resp. nos propterea dixisse materiā esse per seipsam potentiam ad quamlibet totam collectionem accidentium, quia scimus à multi quantitatem poni pro subiecto immediato alio rum accidentium. Deo quo ex professo agitur in libris de ortu, & interitu. Interim nota ipsammet quantitatē recipi immediate in materia ipsa, quicquid sit, an cætera accidentia tantum mediāte quantitate: nam etiam si cætera accidentia quantitati inhæreant, vt subiecto, tamen tota

col-

collectio inhæret materiæ per inhærentiam quantitatis: non tamen propterea etiam ipsa forma substantialis inhærebit quantitati, cum ex subiecto & forma fieri debeat vnum per se. adeoq; compositum ex potentia, & actu debeat esse in genere substantiæ, vt potentia, & actus sint, etiam per hoc, in eodem genere, quod constituant simul vnum positum à Logicis in prædicamento substantiæ.

Obijc. 4. materia prima non recipit formam substantialem, nisi præparata prius per accidentia ad huiusmodi formam; ergo non est per seipsam potentia receptiua formæ substantialis.

Resp. omisso ant. neg. conseq. Virtus actiua non agit, nisi agens sit proximum passo, & tamen est per seipsam virtus agēdi. Quāuis igitur in materia prima prærequiratur ad formam substantialem forma aliqua accidentalis per modum dispositionis: non propterea materia non est per seipsam potentia receptiua. Controuersia præsens non est circa huiusmodi dispositiones. Hoc enim ipsum ab omnibus admittitur, accidentia videlicet præire in subiecto aduentum formæ substantialis: vnumquodq; agens prius præparare materiam, quam illam immutet substantialiter, hoc est per productionem formę substantialis. Qui volunt potentiam, quam hic impugnamus volunt illam præter dispositiones prędictas per modum proprietatis ita physice emanantis a materia prima, vt emanat metaphysice, seu logice resibilitas à rationalitate. Hanc potentiam vt super-

perfluam negamus: accidentia præeuntia formam substantialem admittimus.

QVÆSTIO V.

An materia omnium sublunarium sit vna.

AN rerum omnium tam cœlestium, quam terrestrium, & inferorum sit vna materia non est præsentis controuersia. De hoc enim agemus in libris de mundo. Quæritur solum, an in omnibus sublunarius si vna materia, & quidem non vnitate numerica: supponimus enim Petrum adæquate distingui à Paulo: sed vnite specifica.

Dicendum est materiam omnium sublunarium esse vnam. Hæc conclusio est Aristotelica, adeoque receptu communiter in Peripato. Probatur hæc vnitas materiæ eodem argumento, quo probatur eiusdem existentia, siue necessitas; videlicet ex transmutationibus substantialibus. Ex quolibet per varias transmutationes fit quodlibet, ergo in quolibet reperitur aliquid aptum reperiri in quodlibet, & consequenter quantumlibet diuersa sint inter se pęc sensibilia, tamen in aliquo communicant, quod est in vno quoque subiectum rationis, per quam differunt, vt patet ex dictis. Hoc argumentum probat non solum identitatem specificam materiæ in omnibus, sed etiam nume-

mericam in pluribus, quorum altera ex alterius fiant.

Dices. Ex aliqua materiã educitur forma ſubſtantialis, quæ illam actuet, ex aliqua non educitur; ergo materia à materia differt. Ant. probatur, quia ex materia, quæ conſtituit lignum, aut plantam, educitur forma ligni, vel plantę, ex materia, quæ conſtituit hominem, non educitur forma, quæ conſtituat hominem, ergo, &c.

Mirum eſt eſse aliquem, qui huic argumento cedat. Accipe hoc aliud. Ex aliqua materia educitur forma ignis, & ex aliqua educitur forma aquæ; ergo materie à materia differt. Conc. ant. nega conſeq. Et hoc idem fac in obiectione propoſita. Si ex aliqua materia ità educeretur forma plantæ, ita vt non poſset educi ex alia materia: differrent huiuſmodi materię inter ſe. Quod autem hæc forma ab hac, illa ab illa alia materia de facto educatur, quid facit ad diuerſitatem? Ex nulla materia educi poteſt anima rationalis; cuilibet; autem poteſt vniri, & ex qualibet, cui vniatur, poteſt educi quælibet forma ſenſibilis. Quod igitur ex hac materia educatur hæc forma, non autem illa alia, ſi hoc cuilibet conuenit non facit vnam diuerſam ab alia.

Obijc. 1. Ex Philoſopho alia eſt materia, ex qua fit pituita, alia ex qua fit bilis, ergo non ex quolibet fit quodlibet ergo materia prima non eſt vna in omnibus.

Reſp. Philoſophum loqui de materia ſecun-

cun-

cunda, hoc est ita disposita, vt ex ipsa per immediatam mutationem fiat hoc vel illud non fit autem immediatè ex quolibet quodlibet, puta ex semine lactucæ non fit cucurbita: sed vnaquęq; res ex materia sibi per præuias dispositiones proportionata. Et hoc est quod dicit Philosophus 8. Metaph. textu 11. *De materiali vero substantia oportet non latere, quod & si ex eodem omnia primo est tamen quædam cuiusq; propria materia, puta pituitę materia ipsa dulcia, aut pinguia bilis vero amara, aut aliqua alia.*

Obijc. 2. diuersorum artefactorum diuersa debet esse materia, g. etiam diuersorũ entium naturalium. Cons. probatur; quia secundum Philosophũ materia naturę maximè cognoscibilis est per analogiam ad materiam artis. Antec. probatur ab eodem Philosopho; quia serra non fit ex lana, sed ex ferro. Confirmatur, quia in artificialibus quædam diuersa sunt solum secundum formam, vt arca, & lectus, que ex ligno fiunt; quædam vero non solum secundum formam, sed etiam secundum materiam, puta ensis, & pallium; hoc enim ex lana, ille ex ferro construitur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ad probationem concede materiã naturæ cognosci per analogiam ad materiam artis: nega hinc sequi omnimodam conuenientiam vnius cũ alia. Materia artis est substantia simpliciter; diuersat autem esse substantias necessarium est. Esset autem ineptum artem non posse versari, nisi circa vnam speciem substan-

stantiæ, puta nisi circa ceram: materia autẽ naturæ non est substantia simpliciter. Hinc ex quolibet per varias mutationes naturæ fit quodlibet: non autem ex quolibet per vllas mutationes artis fit quodlibet. Lana ipsa putrescens euadit alimentum plantæ, planta hominis. Elaboret ars quantum voluerit circa lanam, non faciet serram, aut ensem ex lana. Ratio à priori est, quia mutationes naturæ sunt secundum substantiam mutationes vero artis sunt secundum accidens. Rursus ratio agendi in naturalibus est à forma: vnde dicitur: *Vnumquodque agit in quantum est actu*. Ratio autem agendi in artefactis non est à forma, sed à forma, & materia: puta ratio secãdi in serra non est adęquatè à dẽtibus, sed partim à dẽtibus partim à ferro: secat enim, nõ modo quia dẽtata est, sed quia & ferrea, vt cõsideranti patebit.

Obijc. vltimo. Sunt possibiles materię diuersæ, ita vt diuersa corruptibilia ex diuersis materijs constent, ergo de facto dantur Antec. probatur, quia non repugnat dari vnam materiam, quæ apta sit centum formis & omnibus alijs inepta, & aliam, quæ apta sit tam prædictis cẽtum, quã omnibus alijs: huiusmodi autem materiæ erunt essentialiter dissimiles, & consequenter diuersę in specie. Confirmatur hoc ex dictis; aurum v. g. idoneum est innumeris formis artificialibus; non tam omnibus. Idem dic de ligno, ex quo arcam, lectum, & alia huiusmodi; tunicam vero, vel pallium nunquam opinor, tibi conficies.

Res-

Resp. omisso ant.neg. cons. cuius falsitas satis liquet ex dictis. Falsitas consequentiæ manifesta est; numquam enim ex eo, quod aliquid sit possibile, recte inferes dari de facto. Falsitas autem consequentis satis explicata est supra, vbi dictum est ex quolibet fieri quodlibet. Disparitas inter artificialia, & ea quæ sunt à natura, satis enodata est in responsione ad secundum.

Quæres an, si daretur materia diuersa specie ab hac, quæ datur, faceret cum forma totum specie diuersum; v. g. an cum anima rationali materia diuersa specie ab hac nostra faceret hominẽ diuersũ specie à nobis?

Resp. huic quęsito satisfactum fuisse in Logica, vbi de diuersitate specifica, Dictum est ibi quamlibet diuersitatem in esentia facere diuersitatem specificam: hic esset diuersitas in esentia; ergo hic esset diuersitas specifica. Min. probatur; quia esentia hominis physica, siue vt substantia physica est, habetur adæquate per materiam, & formã simul: variata igitur materia variatur pars esentiæ: implicat autem variari partem esentiæ, & totam essentiam remanere eandem.

QVAE-

QVÆSTIO VI.

De appetitu materiæ ad formas,

ARTICVLVS I.

Quid sit appetitus.

DIctum est supra materiam primam esse potentiam passiuam cuiuslibet formę substantialis: ad rationem potētiæ passiuę sufficit non repugnantia ad receptionē formæ, quam patitur; hoc modo aer est potentia passiua lucis: cera potentia passiua rotundi, vel quadrati. Huiusmodi potentia conuenit materiæ primæ respectu cuiuslibet formæ: sed pręterea quæritur hic vtrū non modo non repugnet, verum etiam vtrum appetat; hoc est vtrum inclinetur ad quamlibet formam substantialem: aliud est enim ita posse, vt non repugnes, cuius exemplum dedimus supra: aliud ita posse, vt etiam desideres, siue inclineris ad id quod potes; huiusmodi potētia est in corpore humano ad moderatum calorem, & in esuriēte ad cibum: non solum enim esuriens est capax, sed insuper est appetens cibi.

Rursus appetitus alius est elicitus, alius innatus. Elicitus est ille, qui sequitur in appetente appræhēsionem rei appetitę. Puta appetitus hominis erga felicitatem eternam est appetitus elicitus, quia in homine sequitur ad apprabēsionem ipsiusmet felicitatis:

citatis: item appetitus, quo canis appetit panem vel aliquid aliud huiusmodi est appetitus elicitus; sequitur enim ad cognitionem panis, vel alicuius alterius. Quia vero congnitio duplex est, alia intellectiua, alia sensitiua; ideo etiam appetitus elicitus duplex est, alter videlicet rationalis, alter animalis, seu sensitiuus. Rationalis est ille, qui sequitur ad cognitionem intellectiuam, diciturque voluntas; reperitur autem in homine, non vero in brutis, quibus non est intellectus; animalis, seu sensitiuus sequitur ad cognitionem sensitiuam, diciturque appetitus: reperitur autem in homine, & in bruto: quia & homo, & brutum sensitiue cognoscunt.

Appetitus vero innatus non sequitur ad cognitionem, que sit in appetente, sed est inditus à natura ipsa: vnde dicitur innatus; est que ordinatio quędam rei appetentis ad rem appetitam, tanquam ad bonum suum. Puta lapis habet appetium ad centrũ terrę non elicitum, quia non est in lapide cognitio centri, ex qua oriatur inclinatio ad ipsum: sed innatum, quia lapis ordinatur naturę sua ad centrum terræ, tamquam ad locum sibi debitum.

Hinc dicit D. Tho. appetitum huiusmodi dici solum metaphorice appetitum, eo quod sit, non ex cognitione, quę sit in ipso appetente, sed ex coguitione, quę sit ordinante rem, quę dicitur appetens, ad rem, quę dicitur appetita, tanquam ad bonum ipsius. Quia vero vbi metaphorice loquimur non

loqui-

loquimur rigorose: ideo qui eleganter magis, quam philosophice quęstionem hanc tractant, ita de materia ratiocinantur, sicut ratiocinaretur de persona. Quia vero persona appetens aliquid sibi bonū, illud desiderat, si absit: illo fruitur, si adsit: propterea dicunt materiam primam appetere formā appetitu desiderarij absētem: pręsentem verò appetitu cōplacentiæ, fruitionis & gaudij. Vides quod quemadmodū hi de desiderio, & gaudio; nos etiam de spe, & metu, tristitia, & dolore, aliisq; huiusmodi affectibus materiæ primę tractare possemus.

Prima conclusio sit. Materia prima non habet appetitum elicitum ad formas. Hæc conclusio est euidens. Materia prima nō est cognoscitiua: ergo appetens appetitu orto cognitione;

Secunda conclusio. Materia prima habet appetitum innatum ad formas. Hęc cōclusio est Aristotelica. Hic enim & primo Physic. textu 81, & alibi docet, quod materia prima appetit formam, sicut turpe appetit pulchrum: hoc est sicut imperfectum, sed perfectibile, appetit suum perfectiuum. Authoritas & Philosophi, & Philosophorum congerere non est operæ prætium in re tam facili.

Probatur autem conclusio: quia appetitus innatus nihil est aliud, quam proportio quędam vnius rei ad aliam, tanquam ad bonum suum; sed materia est proportionata ad formam, tanquam ad bonum suum: ergo materia prima appetitu innato appetit for-

 mam.

mam. Mai. est explicatio appetitus innati. Minor probatur, quia materia prima ita est potentia ad formam, vt per ipsam perficiatur intrinsece, & trahatur in constitutionem vnius substantiæ, vt dictum est alibi.

Dices. Omnis appetitus sequitur ad aliquam formam; si sit elicitus ad formam appræhensam; si sit innatus ad formā naturalem: sed materia prima nullam habet formam, nec aprçhensam, nec naturalem. ergo materim prima nullum habet appetitū, nec elicitum, nec innatum, Maior est D. Thomę recepta communiter in Scholis. Minor probatur: nā materia prima non est cognoscitiua: adeoque non habet formam apprçhensam, hoc est non apprçhendit aliquid, quod ipsius appetitum valeat extimulare: sed nec habet formam naturalem: nam materia prima secundum se est omnino indifferens, & ęqualiter idonea ad quamlibet formam, quod nequit illi conuenire, si secundum se habeat aliquam formam. Adde materiam primam non esse per seipsam, neque per vllam formam sibi propriam, in vlla specie entis physici.

Vt vim argumenti percipias sciendū est appetitum elicitum sequi ad forma appræhensam, hoc est bonū appræhensum à nobis esse rationem motiuā nostri appetitus, siue amoris erga ipsum: ita bonitas sanitatis cognita ab infirmo est ratio excitant in infirmo appetitū, seu desiderum sui. Item bonitas cibi cognita à Francisco est ratio mouens in ipso, siue excitans appetitum eius-

dem, & sic de cæteri, ideoq; verum est appetitum elicitum sequi ad forma appræhensam, hoc est ad aliquam ratione boni repræsentatam potentiæ appetenti. Rursus appetitus innatus sequitur ad forma, non appræhensensã, sed naturalem: pondus v.g. siue inclinatio lapidis ad centrũ terræ sequitur, non aliquã apprehensionẽ centri, quæ sit in lapide, sed formã naturalem lapidis, cui bonum est esse deorsum.

Sciendum est etiã quod quemadmodum loquentis sumus de actu, distinguentes inter actũ physicũ, & mataphysicũ: ita etiã loquendũ est de forma distinguendo inter, forma physicam, & metaphysicam; actus enim & forma dicuntur conuertibiliter: sicut igitur quãuis materia secundũ se non habeat actu physicum seu conplentem, habeat tamen actũ entitatiuũ, ita etiã quãuis materia non habeat secundum se formã physicã seu cõplentẽ, habet tamen secundum se formã metaphysicam, seu entitatiuam. Quicquid enim est, alicuius speciei entitas est, & consequenter alicuius, formæ metaphysicæ. Hęc dicta sint, non ex necessitate ad argumẽtũ: potes enĩ breuiter respondere axioma prędictũ, videlicet: *Omnis appetitus sequitur ad aliquam formam* intelligi de appetitu entium completorum de quibus ibi loquimur D. Thomas: & in quibus nos etiam cum ipso appetitum exemplificauimus.

Pręter hanc responsionẽ en tibi & aliam: omnis appetitus sequitur ad aliquam formã

vel physicam, vel metaphysicam concede, physicam solum, nega mai. & eodem modo dist. minor nega conf. materia igitur etiam secundũ se est aliquid, & consequenter alicuius speciei: quod est habere formam aliquam metaphysicam. Quemadmodũ autem in substantijs completis ad formã physicam sequitur appetitus, hoc est exigentia talis, vel talis boni proportionati formæ, quæ est ratio propria talium substantiarum; ita etiam in materia, quę est substantia incompleta exigentia est secundum rationem propriam materiæ, hoc est substantia incomplete, actuabilis, & determinabilis ad hanc, vel illam rationem substantię completę.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijc. 1. Materia prima semper habet formam; ergo numquam appetit formam. Ant. supponitur hic, & probabitur vbi dicetur impossibile esse, quod materia prima naturaliter sit sine omni forma substantiali. Cons. probatur, quia quod habetur non appetitur: enim est affectio erga bonum absens.

Resp. conc. ant. neg. cons. ad probationem, nego ant. appetitus & amor sũt vnum & idem: amor autem non est solum absentis. Vel igitur insistimus phrasi metaphoricæ, vel loquimur de appetitu materię locutione propria & rigorosa: si primum, ma-

teria appetit, & amat præsentem formam more, & appetitu gaudij, vel complacentiæ: formam vero absentem appetitu, & amore desiderij. Si secundum: cum materia sit æque proportionata & formæ, quam habet, & formæ, quam non habet, & ad vtrãque se habeat vt perfectibile ad perfectiuũ, appetitus in hac ipsa proportione consistens erit consequenter & ad eam, quam habet, & ad eam, quam non habet; adeoque ex hoc, quod semper habeat non inferes quod numquam appetat: immò ex eo, quod semper habeat, & semper perficiatur per aliquam formam, impotens carere omni; rectà inferes quod semper appetat, quia semper habet proportionem cum forma modo explicato.

Dices. Non potest semper appetere, quin eo ipso aliquam oderit: non potest vllam odisse, ergo non potest semper appetere. Minor est certa ex dictis de indifferentia primi subiecti, quod est materia prima. Subiectum enim, quod aliquam forma amet, & aliquam oderit, non æqualiter se habet ad omnes, nec est æque aptũ finibus naturæ, ac si sit omninò indifferens, vt patet. Maior autem probatur, quia duæ formæ substantiales nequeunt esse in eodem subiecto, nam præter quam quod dictum est alibi de ente in actu, cui quicquid superuenit facit vnum per accidens; experientia constat vnam forma expelli ad introductionem alterius, & in generatione vnius substantiæ corrũpi aliam. Hoc po-

 sito,

sito, materia quæ est sub forma ligni nequit amare formam ignis, nisi oderit formam ligni; ergo nequit amari vna forma sine odio alterius. Antec. probatur, quia materia nequit amare formam ignis; nisi amet coniungi cum forma ignis: non amat coniungi cum forma ignis, nisi oderit formam ligni: ergo nequit amare formam ignis sine odio formæ ligni. Probatur hoc quia eo ipso, quod acquirat formam ignis amittit formam ligni: ergo nequit emare acquisitionem vnius, quin amet iacturam alterius; mare autem iacturam, est odidisse rem, cuius iactura fit: ita Religiosi dum amant iacturam rerum sæcularium, oderunt eo ipso res sęculares: huiusmodi sunt honores, & diuitiæ, & alia huiusmodi, quæ propter Christum habenda sunt vt stercora.

Resp. neg. mai. Qui metaphorice loquuntur dicunt materiam primam existentem sub forma ligni appetere formam ignis, vel quamlibet aliam, appetitu conditionato, hoc est esse in materia huiusmodi affectum; si non haberem forma ligni, vellem aut formam ignis, aut aliquam aliã: nam quod mihi gaudium si nullam formam habeo? si respondeas sine metaphora: admitte suppositum, quod videlicet materia esse non possit sine omni forma. & nega amorem vnius esse odium alterius: nam ita materia est proportionata illi, quam habet; vt etiam sit illi, quam non habet; adeoque non solum amor vnius non est odium alterius; sed etiam amor vnius est amor

mor omnium. Ad id quod dicitur: amans acquisitionem vnius odit alteram, nega: nam ille idem amor est tam amissæ, quam acquisitę, quando quidem nihil est aliud quam prædicta proportio.

Dices. Implicat materiam habere simul formam, quam habet, & formã quam non habet, ergo nequit appetere simul formam quam habet, & formam quam non habet; consequentia est euidens, quia appetitus ad impossibile est stultus appetitus, adeoq; impossibilis in natura: iuxta illud. *opus Naturæ opus Intilligentiæ:* ex quo inferes; ergo appetitus Naturę appetitus Intelligentiæ.

Resp. conc. ant. neg. conf. aliud est simul appetere omnes, aliud appetere omnes simul. Appetitus vnius est appetitus alterius non tamen hic appetitus est vtriusque simul materia enim est proportionata cuilibet formæ: non est proportionata simultati formarum Hæc omnia clara sunt.

Obijc. 2. Vel hic appetitus identificatur cum potentia materiæ primæ, vel non: neutrum dici potest: ergo hic appetitus non datur. Minor probatur, quia si dicas hunc appetitum esse distinctum à potentia: contra est, nam hic appetitus non distinguitur à materia: materia non distinguitur à potentia: g. hic appetitus non distinguitur à potentia: iuxta illud: *Quæ sunt eadē vni tertio &c.* Si dicas identificari: ctē contra est nã potentia est ad singulas formas determinate, appetitus autem non est ad singulas

determinate, sed ad singulas disiunctiue: ergo potentia, & appetitus non sunt idem. Probatur ant. quia si de materia loquaris vt potente dicis: materia potest & hanc, & illam, & illam aliam recipere; si vt appetente dicis: materia vult vel hanc, vel illā, &c. igitur potentia est determinate ad plures appetitus disiunctiue.

Resp. hoc argumentum facilè & clare dissolui ex dictis. Potentia dicitur proprie; appetitus metaphoricè: quid igitur mirum si de eadem re significata modo proprie, modo metaphorice diuersimode loquaris; de Diabolo sub nomine spiritus, quod conuenit ill. proprie, non recte dices quod ingiat; de eodem sub signo metaphorico leonis recte dices; *sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret*. Infinita sunt huiusmodi. Si autem loquaris extra methaphoram de appetitu, intelligasque id quod est, proportionem videlicet perfectibilis cum perfectiuo: hic appetitus non respicit disiunctiue, sed determinate singulas materia enim prima seipsa est aliquid perfectibile & per hanc, & per illam, & per illam aliam furmam, quamuis non possit simul & hac, & illa, & illa alia perfici. Ad argumentum in forma conc. mai. nega min. & dic hunc appetitum, esse idem realiter cum potentia, adeoque cum ipsamet essentia materiæ. Ad probationem habet quod respondeas ex dictis, siue proprie, siue translatitiè loquaris de materia.

AR-

ARTICVLVS III.

An appetitus materiæ sit æqualis ad formas inæquales.

FVndatur hæc dubitatio in illa ratione; qua probauimus materiam primam habere appetitum innatum ad formam. Diximus enim huiusmodi appetitum in hoc fundari, quod forma sit bonum materiæ. Quia autem ex formis alia est perfectior, alia imperfectior, adeoque alia maius, alia minus bonum, dubitatur an appetitus prædictus sit maior vnius, quam alterius formæ. In hac controuersia.

Dicendum est appetitum materiæ ad formas inæquale esse æqualem.

Conclusionem hanc satis communem, satis communiter probant hoc argumento: Si materia magis appeteret forma perfectiorem, quam imperfectiorem; sequeretur quod quando substat imperfectiori est in statu violento, conf. est absurdum, ergo & antec. minor probatur ex definitione materiæ, quæ est; *primum subiectum, ex quo omnia.* absurdum est autem subiectum huiusmodi violenter se habere sub vlla forma. Maior autem probatur: quia si materia spoliaretur omni forma substantiali, esset in statu violento, ergo etiam dum staret sub forma imperfectiori. conse. probatur. quia in tantum in primo casu esset in statu violento, quia non haberet id quod appe-

tit: in secundo autem casu non haberet id quod magis appetit, & consequenter sicut in primo non satisfit, ita in secundo casu non plenè satisfit materiæ primæ: id autem cui non plenè satisfit, aliquam saltem violentiam patitur.

Hæc probatio non est valdè efficax. Qui contra sentiunt facilè respondent negando mai. ad probationem conc. antec. negant conseq. Potes ita appetere duo inæqualia inter se vt melius magis appetas, quin propterea, eo non obtento, sed obtento, minus bono, patiaris violentiam. Si v. g. appetas magistratum Triburtinū, vel Tusculanum disiunctiue; potes ita quiescere obtento minus nobili, vt non crucieris carentia nobilioris. Sed quicquid sit ad argumento propositio.

Probatur Conclusio ratione maxime radicali. Ratio mouens appetitum materiæ primæ est eadem omnibus formis; ergo materia prima non appetit inæqualiter inæquales Cons. est euidens, ant. probatur, quia ratio boni; quæ appetitur à materia in forma, est ratio facientis vnum per se: hęc ratio est vna in omnibus formis: ergo &c. Minor probatur, quia, *substantia non suscipit magis & minus*: adeoque quamuis anima rationalis faciat cum materia meliorem substantia, quam Anima caballina: non tamen facit magis substantiem: Hinc est quod excessus ille bonitatis in qua præ alia forma impertinenter se habet ad rationem formaliter mouentem materiam.

Hoc

Hoc autem fuit maximè consonum finibus naturæ. Materia enim cum sit subiectum ex quo omnia fiunt, eo melius secundum se videtur se habere, quo perfectius est ad omnes formas indifferens. Sicut v.g. Religiosus ille eo est perfectius obediens, quo ad omnia, quæ ab Abbate, vel Priori distribuuntur munia est magis indifferens, paratus de quolibet eodem modo gaudere. Hęc ratio quam diximus radicalem, sit vnica. Hanc enim qui bene capit, tenet immobiliter conclusionem propositam.

Objic. 1. Appetitus materiæ ad formas, præscindendo ab omni metaphora, nihil aliud est, quam perfectibilis materiæ primæ per formam, sed huiusmodi perfectibilitas est maior per meliorem, quam per minus bona, ergo appetitus materię est maior melioris, quam minus bonæ.

Resp. conc. mai. neg. min. Aliud est quod materia sit apta magis perfici per meliorem formam, quam per minus bonam; aliud quo sit magis apta perfici per vnam quam per aliam, est verum sit primum, falsum est secũdum. Perfectibililas autem est aptitudo ad perfici, vnde non est maior perfectibilitas respectu melioris, quam respectu minus bonæ.

Obijc. 1. Qui esurit, quamuis appetat satiari, & æqualiter satietur per cibum meliorem, ac deteriorem, magis tamen appetit meliorem, quam deteriorem; ergo materia prima, quæ naturaliter esurit formam substantialem, quamuis æqualiter sa-

tietur, seu repleatur per formam imperfectiorem, ac per formam perfectiorem, magis tamen appetit hanc quam illam.

Respondent aliqui disparitatem esse, quia qui esurit discernit inter maius, & minus bonũ: adeoque nihil mirũ est, quod appetitu magis feratur in maius, quã in minus bonũ at materia prima, aiunt non discernit inter magis & minus; adeoque non est cur magis appetat vnum quam alterum.

Hęc responsio non placet; quia quemadmodũ materia prima non cognoscens bonum, fertur tamen in bonum; ita etiam non discernens inter maius, & minus bonum, poterit ferri magis in maius, quam in minus; est enim eadem ratio, Quemadmodum igitur, quamuis non cognoscat, tamen appetit; quia, aiunt à creante materiam primam, ipsamq; ad suos fines ordinante forma cognoscitur vt bonum ipsius; ità etiam, quamuis non discernat, deberet magis appetere maius bonũ quam minus; quia a creante, & ordinante materiam primam, discernitur inter magis & minus, maius cognoscitur melius materię, quã minus, & consequenter appetitus deberet esse maior ad vnum, qua ad aliud.

Dicendum est igitur dandam esse paritatẽ inter hominem esurientem cibum, & materiam esurientem formam. Qui esurit, si nihil aliud appetat quam satiari: eo ipso æqualiter appetit, quod æqualiter satiat. Si nihil aliud appetat quam nutriri, æqualiter appetit, quod ęqualiter nutrit. In hoc con-

uenit

uenit esuriens cum materia prima. Quia vero esuriens aliquando appetit non solum satiari, aut nutriri; sed insuper delectari; ideo magis appetit vnum cibum, quam alium, puta magis panem candidum, quam atrum. Sed in hoc non conuenit esuriens cum materia, quę nihil intendit nisi actuari & per consortium alterius euadere in substantiam. Ex his patet ad argumentum Dist. ant. magis appetit, &c. appetitu satietatis: nega; appetu delectionis; concede.

Obijc. 3. Materia appetit appetitu innato id quod appeteret appetitu elicito, si appetitum huiusmodi haberet: sed si haberet appetitum elicitum, magis appeteret formam nobiliorem, quam ignobiliorem: ergo appetitu innato magis appetit nobiliorem formam, quam minus nobilem.

Resp. conc. mai. neg. min. Si enim haberet appetitum elicitum, haberet eliciens appetitum, quem habet non eliciens, sed innate: esset enim secundum naturam ipsius, hoc est secundum rationem primi subiecti; hic autem non deberet ferri in vna formam magis quam in aliã: adeoq; appeteret sicut modo appetit: quandoquidem appetitus, quem habet, cum sit à natura, rectè dicitur esse ab intelligentia. Quod si fingas in materia appetitum elicitum, sed non secundũ propriam rationem materiæ: tunc facile erit imaginari illam formas nobilissimas deperire, ignobiles vero non amare, nisi mediocriter, & vt supplementa meliorum.

Dices. Excessus bonitatis in forma *A* supram

ptam formam *B* identificatur cum forma *A*: materia prima appetit formam *A*; ergo appetit excessum bonitatis formæ *A* supra formam B.

Resp. conc. totum. Eodem amore, quo amatur A; amatur bonitas eiusdem *A*, & consequenter excessus bonitatis *A* supra bonitatem *B*: sed ille idem excessus non magis amatur, quam id, quod exceditur: quia nec vnum excedit, nec alterum exceditur in ratione formaliter motiua appetitus.

Obijc. vltimo. Ratio formalis sub qua appetuntur quæcunque appetuntur, est ratio boni: sed ratio boni suscipit magis & minus; ergo ratio, sub qua appetuntur, suscipit magis & minus; ergo ratio sub qua materia prima appetit formam suscipit magis & minus: Probatur hæc vltima cons. quia materia prima vt appetens fertur in rem appetitam sub ratione formali appetibilis: ratio autem rei appetibilis & ratio boni sunt formaliter idem: immo definitur bonum: *id quod est appetibile*.

Resp. rationem vniuersalissimam, sua qua appetitur quicquid appetitur, esse rationem boni. Potentia auditiua innate appetit sonorum, quia sonorum est bonum auditus. Potentia visiua coloratum, quia coloratum est bonum visus, & sic de cæteris; adeo vt bonum vt sic definiuerit Philosophus: *id quod omnia appetunt*. Considerato igitur appetitu secundum rationem vniuersalissimam appetitus; non est inconueniens dicere esse maiorem maioris boni: considerato au-

tem

tem hoc eodem appetitu secundum rationem propriā appetitus materiæ, non habes vnde dicas esse maiorem melioris formæ. Ratio à priori est, quia quemadmodum ratio boni suscipit magis & minus; ita ratio actuantis substantialiter consistit in indiuisibili. Si igitur consideres appetitum secundum rationem præcisam appetitus, habes vnde dicas esse maiorem, vel minorem respectu huius, vel illius; quia comparas illum cum aliqua ratione, quæ suscipit magis & minus. Si autem consideres appetitum materiæ vt materiæ, eo ipso comparas, non cum ratione boni vt sic, sed cum ratione talis boni; puta constituentis illam in ratione substantiæ. Cum autem hæc ratio non suscipiat magis, & minus; non est cur appetat vnum magis, quam aliud.

Dices. Materia prima magis appetit id, propter quod magis principaliter est; sed magis principaliter est propter formam nobiliorem, &c. ergo magis appetit formā nobiliorem. Cum autem forma mixti sit nobilior, quam forma elementi, materia prima magis appetet formam mixti, quam formam elementi; & cum inter mixta, viuentia sint nobiliora non viuentibus, magis appetet formam cuiuslibet viuentes, quam cuiuslibet non viuentis; & cum inter materialia viuentia præstantissimum sit homo; magis appetet formam humanam, hoc est animam rationalem, quam vllam aliam.

Confirmatur hoc altissima ratiocinatione; quia omnia sensibilia sunt propter animum

rationalem, seu propter hominem, tamquā propter sum finem, vt nimirum ipsi deseruiant, illumq; excitent ad cognitionem, & amorem sui conditoris. Ratio vlterior est, quia sensibilia huiusmodi non sunt digna intendi propter se cum sint incapacia laudare, & glorificare factorem suum, quem neque intelligunt, neque amant: sed neque substantijs immaterialibus, hoc est Angelis deseruire valent, vt ex ipsis Deum cognoscant, atq; glorificent. Habent enim in seipsis Angeli vnde & Deum intelligant, & ipsius in creando potentiam: immo ipsorū met sensibilium notitiam habent per species eorum ipsis congenitas; & consequenter frustra sunt species immissę à sensibilibus ad determinandum intellectū Angelicū Nam species immissę à sensibilius non immediate determinant intellectum; sed solū mediantibus alijs specibus, quæ in phantasio oriuntur: vnde dicitur Intellectus noster speculari phantasmata; cum igitur Intellectus Angelicus sit alterius rationis à nostro: operatur omnimode independenter à sensibus tum internis, tum externis, cum vtrisque careat Angelus. Hinc ad cognitionem sui sensibilia non excitant neque mediatè; neque immediatè Intellectum Angelicum: ideoq; hic intelligit hæc inferiora per species intelligibiles sibi inditas à Creatore:

Superest igitur vt tota hæc collectio creaturarum sensibilium ordinata ad gloriam conditoris sui, iuxta illud *omnia propter semetipsum operatus est:* reipsa redundet in glo-

gloriam per hoc, quod homini deseruiat ad manifestandam virtutem Creatoris: iuxta illud: *inuisibilia eius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas*: atq; ex tam manifesta virtute exurgat homo ad laudandum, & glorificandum rerum omnium conditorem, ne cum ijs reputetur, quibus dicitur: *cum cognouissent Deum, non sicut Deum gloificauerunt.*

Hinc est quod aiunt qui diuinam sapientiam pro suo modulo speculantur, nō posse Deum creare hæc sensibilia, nisi etiā hominem creet: adeoque implicare mundum, In quo nullus sit homo. Ratio est, quia Deus quicquid faciat, ad suam gloriam facit: & hunc finem intendere non est electionis, sed naturę, quamuis enim possit facere vel non facere prout ipsi libuerit; non potest tamen in faciędo non intendere gloriam suam: implicat autem intēdere gloriam, & creare quidem vnde glorificetur, non autem à quo glorificetur: si autem crearet omnia præter hominē, crearet vnde posset glorificari, nō autem illum, qui ex huiusmodi creaturis potest illum glorificare, vt patet ex dictis.

Resp primo quod esse propter hominem non cōuenit soli materiæ, sed omnibus sensibilius, vt patet ex discursu adducto: adeoq; in hoc materia cōuenit cum omnibus aliis rebus, Præterea, & materia & omnia sensibilia; non principialiter, sed vnicè sunt propter hominem. Hoc idem liquet ex dictis. Nulla enim ex creaturis sensibilibus pro-

propriè Deum laudat nisi homo. Quod enim dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei*, &c. item: *Benedicite omnis imber & ros Domino*; item. *Laudate eum Sol, & Luna*: & alia huiusmodi nihil aliud significant, præter affectũ ista dicentis, nisi ex omnibus istis sumendum esse homini argumentum benedicendi & laudandi Deum, cuius potentiã, bonitatem, & sapientiam hæc omnia nobis demonstrant.

Ex hac ordinatione non solius materiæ primæ, sed omnium rerum inferiorum, hoc est totius naturæ sensibilis ad animam rationalem excitandam ad laudes Dei, patet, non considerari ab Aduersario materiam primam secundam rationem propriam materiæ; adeoq; etiamsi concederes appetitum ipsius non solum principaliter, sed etiam vnicè ad animam rationalem, nihil concederes. Quod si consideres materiam secundum propriam rationem, hoc est secundum rationem subiecti: falsum est hanc esse magis principaliter propter vnum formam, quam propter aliam. Breuiter igitur ad argumentum respondeo primò conc. ma. neg. min. Idem propter quod est materiam prima est ratio substantiæ simpliciter: hoc est vnius per se quod dicitur hoc & ens: non autem hoc præstat magis per vnam quam per aliam formam, &c. Posset præterea distinguere maiorem: materia prima magis apeptit id propter quod magis principaliter est tamquam propter finem proprium: omitto; tamquam propter fine communem:

nẽ: iterum subdistingue: appetitu proprio materiæ; nega; appetit non proprio; omitte maiorem. Hæc distinctio satis explicata est. Homo est caput totius naturę sensibilis; & propterea omnia sensibilia recte dicuntur ordinari ad ipsum: & si verum est, futurum fuisse vt ita non essent, nisi futurus esset ipse homo: hęc omnia petunt ipsum hominem esse.

ARTICVLVS V.

An potentia & appetitus materiæ sit ad omnes formas simpliciter.

RESpondetur affirmatiuè. Quę responsio patet ex dictis.

Obiic. Si materia prima tam sub ratione potentię, quam sub ratione appetius respicit omnes formas possibiles; sequitur esse incompręhẽsibilem etiam ab intellectu Angelico, cons. est absurdum; argo & ant. sequela mai. Probatur; quia relatio non comprehenditur, nisi cognitis distincte omnibus terminis, ad quos est: materia prima tam sub ratione potentię, quam sub ratione appetitus est relatio trãscendentalis ad omnes formas possibiles; ergo non compręhẽditur, nisi cognitis distinctè omnibus formis possibilibus; sed cognoscere omnes formas possibiles distinctè est supra actiuitatẽ intellestus Angelici; ergo compręhendere materiam est. &c. Probatur hęc vltima minor: nam omnes formę possibiles sunt infinitę;

nitæ infinitum autem non capitur vllo intellectu finito.

In hoc argumento sunt multa, quæ ad rē præsentem nihil omnino faciunt. Si enim aliquis admittat omnes formas possibiles distinctè attingi ab intellectu Angelico nihil dicit repugnans. Ipsamet diuina essentia, quę habet infinitatē longè perfectioris rationis, quam formę possibiles, attingitur ab intellectu certo, quandoquidem *Videbimus illum sicuti est*. Sed in his non est immorandum, nè quæstionē de infinito intrudamus in controuersia, quam breuiter hic finire debemus. Ibi apparebit hoc idem argumentum ex hoc capite nihil valere, quod etiam militet contra intellectum diuinum, si infinitas illa formarum attingit debet, vt conpræhendatur materia. Qui enim infinitū negant, negāt infinituum obiectiuū in mente diuina; aientes diuino intellectui nullam apparere multitudinem obiectiuam, quæ sit collectio omnium rerum possibilium, apparere autē distributiuè plures, & plures finitas collectiones in infinitum. His omissis.

Resp. neg. seq. mai. ad probationem nega mai. materia prima tam in ratione potētiæ, quam in ratione appetitus respicit omnes formas secundum rationem, quæ est vna in omnibus, nimirum sub ratione actuabilis, & trahibilis per formam in vnum per se: hæc ratio est vna in omnibus formis, vt patet ex dictis rationes autem speciales formarum sunt à causis effectiuis earum, sicut v.g. in molli cera forma leonis præ forma-

ma canis non est à cera, sed ab artifice. Ita etiam in materia prima forma ignis præ forma aquæ non est materia sed ab igne.

Obserua obiter hoc argumentum longe apparentius militare contra causam actiuã quæ efficere potest plura, & plura in infinitum etiam specie diuersa, ad quæ omnia est relatio transcendentalis, vt patet ex dictis in Logica. Oculus potest elicere plures, & plures, perfectiores, & perfectiores visiones auditus auditiones, iuxta illud: *non satiatur oculus visu, nec auris auidita*: an propterea tam auditus quam visus incompræhensibiles sunt intellectui Angelico?

Porro quod ad cognitionem compræhensiua relationis trascendentalis non sit necesse distinctè attingere quemlibet terminum patet ex eo, quod nemo dicat esse supra omnem intelectum creatum conpræhendere muscam: cum tamen distincta cognitio Trinitatis sit supra omnem creaturam: etiamsi musca per suam entitatem sit relatio trascẽdentalis ad Trinitatem. Quod si aliquis nomine comprehensionis nihil aliud intelligat, quam cognitionem, qua perfectior dari non possit: non solum materia prima sed neque vllam alia res compræhendi potest à creatura: cum implicet creaturam habere cognitionem, qua melior dari non possit.

Definitur autem cõpræhensio per Augustinum dupliciter. *Illud*, iniquit ille, *compræhenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem*. Hoc modo compræhendo me velle dictare, dum sciens &

vo-

volens hoc dicto. Et hæc exemplificatio est ipsiusmet Augustini. Item: *illud*, ait idem, *compræhenditur, cuius fines circumspiciuntur*: hoc modo compræhendis annulũ quem digito gestas; vt exemplificat idem author. Primam definitionem exemplificauit in re intelligibili, secundam in re sensibili: materiam primam vtroq; modo compræhendis: primò perfecte intelligendo quid ipsa sit: secundò quia per hanc ipsam intelligentiam fines ipsius quodammodo circũspicis, dũ definiendo refers ad omnes formas possibiles, secundum illam rationem, quæ est vna in omnibus: neque enim vt hanc compræhendas, fines illi extrinseci, seu termini, ad quos refertur, debent distinctè tibi omnes, & singuli aparere.

Obicijtur insuper: sequeretur materiam primam esse perfectionis infinitæ, cons. est absurdum, ergo & ant. Minor est certa, cum ipse Philosophus sæpissime dicat materiam primam esse prope non ens, & omnium entium vtilissimum. Sequela ma. prob: quia tot sunt gradus perfectionis in materia, quot sunt formæ possibiles: formæ possibiles sunt infinitæ; ergo gradus perfectionis in materia sunt infiniti. Mai. probatur argumento calculatorio. Si daretur vna materia capax decem formarum, esset duplo perfectior, quam materia capax solum quinque formarum: rursus materia capax viginti formarum esset duplo perfectior materia capaci decem formarum, & sic de cæteris, ergo tanto perfectior est materia, quanto plurium

for-

formarum, eſt capax; ergo quæ eſt capax infinitarum formarum eſt infinitè perfecta.

D. Thomas dicit materiam primam habere quandam ſpeciem infinitatis: quæ ſpecies infinitatis ſatis apparet ex dictis. Eo enim ipſo, quod reſpicit terminos infinitos habet infinitatem quandam: quæ dicitur infinitas terminatiuè. Huiuſmodi autem infinitas adeo non ſonat perfectionem, vt etiam reperiatur in peccato, quod propterea dicitur habere malitiam infinitam ſecundum quid. Docet enim idē D. Thomas offenſam in Deum habere malitiam aliquo modo infinitam, quia eſt offenſa Maieſtatis ſimpliciter infinitæ: non igitur quælibet infinitas in commendationem dicitur rei, quæ vocatur quodammodo infinita. Ratio eſt quia per li *ſecundum quid*, & alia huiuſmodi additamenta tam infinitas, quam aliæ rationes ita diſtrahuntur, vt nihil ſignificent, niſi ad libitum loquentis. Li enim *quodammodo* transfert terminum à ſignificatione propria ad metaphoricam, & quia ſignificatio metaphorica non eſt vna, ſed multiplex; ideo de quolibet fere dici poteſt quod ſit quodammodo quidlibet aliud à ſe diſtinctum. Infinitas offenſæ, quam diximus, cum ſit propter Deum, ad quem terminatur, eſt infinitas potiori titulo, quam infinitas materiæ primæ: nec tamen ex malitia quodammodo infinita argues vllum incrementum perfectionis.

In forma ad argumentum nega ſequelam mai. Ad probationem nega mai. &c. Falſum

sum est eo perfectiorem esse materiam, quo est capax plurium formarum: cum hac ipsa capacitas fundetur in imperfectione, & defectu materiæ primæ. Substantia non est capax vllius formæ sucipiendæ, & tamen est perfectior materia prima. Et inter substantias illa est perfectissima, quæ nullius formæ accidentalis capax. Potentialitas apud D. Tho. & alios sonat imperfectionē, si sit in genere potentiæ passiuæ: cum è cōtra potentia agendi sonet perfectionem. Hinc apud eundem idem est habere minus materialitatis, ac habere minus potentialitatis: est autem idem habere minus materialitatis, ac hebere plus perfectionis. Hinc in illa gradatione, quam facit ab imperfectioribus ad perfectiora, dicit brutum esse minus materiale quam plantam: hominē minus quam brutum, Angelum minus quam hominem; Deum vero esse in gradu summo immaterialitatis.

Vbi aduerte gradum hunc semmum immaterialitatis non haberi per hoc, quod Deus careat omni materia physica: in hoc enim per est Angelus Deo, cum nec in Angelo sit vel atomus materiæ: sed per hoc quod sit summe perfectus. Ad hanc summā perfectionem proprius accedit Angelus quam homo, homo quam equus: prout autē accedunt ad perfectionem hanc summam, dicuntur accedere ad summam immaterialitatem: adeoq; recessere à materialiter: igitur accedere ad immaterialitatem, & recedere à materialitate est accedere ad perfectio-

ctionem, & recedere ab imperfectione; ex quo inferes quod plus habere materialitatis est habere plus imperfectionis sed plus habere potentialitatis est plus habere materialitatis ergo plus habere materialitatis est plus habere imperfectionis.

Quæ dicuntur de materialitate & immaterialitate secundū perfectionem & imperfectionem, dicuntur per analogiā ad materiam prima, cuius est secundum Thomistas limitare ac indiuiduare rationes in se receptas, nam secundum Thomistas forma non recepta in materia esset forma infinita, puta albedo irrecepta esset albedo illimitata non enim haberet vnde esset hæc aut illa. Nos hac in re dissentiemus ab illis: sed interim debuit explicare doctrinam D. Thomæ circa materialitatem, & immaterialitatem, vt appareret per incrementum potentialitatis non monstrari incrementum perfectionis Ratio est: quia quemadmodum in peccato incrementū offensæ, quod oritur ex incremento termini offensi cum sit incrementum malitiæ, nō est incrementum perfectionis. ita etiam incrementum potentialitatis, cum sit incremētum defectus & carentiæ, non est incrementum perfectionis. Sunt qui imaginentur materiam primam per modū infinitæ cuiusdam voraginis, in cuius immensa vacuitate infinitatem illam imaginātur quā vocant infinitatem capacitas, sed hac sua imaginatione decipiuntur: materia enim prima non est nisi capacitas vnius formæ; quantumlibet enim respiciat multas, immo

&omnes; non poteſt tamen niſi vnam tenere. Sicut igitur non habet humerum infiniti roboris Baiulus ille, qui poteſt infinitas libras ſuſtinere ligni vel plumbi: ſi ſolum ſucceſſiue & vnam poſt aliam, vel centum poſt centum: ſic etiam ſi conceperis in materia prima virtutem quandam in illa capacitate ſuſtinendi formas, non capies virtutem infinitam, ſi ac formas infinitas ſe habeat vt vnam tantum poſſit ſubſtinere Hoc idem argumentum, quod magis militat cõtra cauſam efficientem, ibi etiam magis põderabitur.

Obiic. vlt. ſi materia potentia, & appetitus per ſeipſam ad omnes, & ſingulas formas poſſibiles, ſequitur quod qualibet forma implicante, implicaret materia; conſeq. eſt falſum; ergo & antec. Minor probatur; quia abſurdum eſt dicere quod implicante forma muſcæ implicaret materia ignis ligins, leonis, &c. Probatur autem ſequela maioris; quia implicante forma muſcæ implicat cauſa paſſiua formæ muſcæ: ſed hęc materia, quæ datur, eſt cauſa paſſiua formæ muſcæ, ergo implicante forma muſcæ implicat. hęc materia.

Reſp. neg. ſeq. mai. Ad probat. conc. totum; quia non probatur, quod implicaret materia, ſed quod implicaret hæc materia. Implicaret autem hæc materia, quia hæc eſt ad omnes formas, adeoque ad formam muſcæ. Ad probationem min. dic abſurdum eſſe implicante muſca implicare materiam leonis, ſi ſit diuerſa materia muſcæ, & leonis:

nis; si autem sit eadem materia muscę & leonis, non est absurdum implicante musca implicare materiam leonis: quia implicante musca implicat materia, quæ sit leonis, & muscæ.

Dices; ergo implicante musca implicaret leo. Probatur conſ. quia implicante materia leonis implicaret leo: sed implicante musca implicaret materia leonis: ergo implicante musca implicaret leo.

Resp. neg. conseq. Implicaret quidem leo constans ex hac materia, quæ est leonis & muscæ: non autem implicaret leo simpliciter: ex hoc enim quod daretur aliqua materia, quæ non esset potentia ad muscam, vtpote impossibilem; non sequeretur immediatè; & per locum intrinsecum non esse possibilem vllam materiam, ex qua fieret leo. Qui possibilitatem rerum omnium non alibi considerant, quam in Deo; qualibet re, quæ non implicat, implicante aiunt eo ipso implicare omnia. Ratio est: quia implicante possibilitate vnius rei implicat possibilitas omnium; cum possibilitas omnium sit vna, & indiuisibilis possibililitas. Nos hic tantùmodo consideramus quid ex defectu huius materiæ sequeretur in præiudicium aliarum, vel potius quid ex implicantia intrinseca vnius rei; sequeretur omines alias res.

Dices. Si materia respiceret omnes, & singulas formas sub ratione possibilium; etiam implicante qualibet forma remaneret eadem materia prima; hoc mo-

do respicit formas; ergo etiam implicante musca manet in natura eadem materia. Probatur mai. quia posito tali respectu in materia, ad impossibilitate cuiuslibet formæ manent eadem prædicata essentialia materiæ primæ: manentibus iisdem prædicatis manet eadem materia; ergo, &c. Probatur hæc vltima mai. quia hoc prædicatum respicientis omnes formas possibiles manet, etiamsi non respiciat formam muscæ, quæ implicet: ex eo enim quod non respicat formam impossibilem, non amittit predicatum respicientis omnes formas possibiles: quis enim sic arguat. Si forma muscæ fiat impossibilis materia prima non respiciet formam muscæ; sed respicere omnes formas possibiles est prædicatum essentiale materiæ primæ; ergo si musca impliceret deficeret in materia aliquod prædicatum essentiale. In hoc argumento concedetur mai. & min. & negabitur conf. dabitur ratio negandi, quia etiamsi non respiciat formam muscæ, non propterea non respicit omnem formam possibilem: quando quidē in illa hypothesi inter formas possibiles non forma muscæ.

Resp. formando aliud argumentum. Materia prima non facta illa hypothesi respicit formam muscę: in illa hypotesi non respicit formam muscæ, g. non est eadem illa hypothesi, ac sine illa hypothesi: eadem, inquam, secundum prædicatum essentiale: est enim simpliciter, & absolute necessariū materię primæ respicere formam muscæ;

dice-

dicere igitur materiam primam non respicere absolute vllam formam, sed conditionate; videlicet si sit possibilis; est fingere materiam suo modo, non autem sustinere illam, quæ de facto datur. Ad argumentum dic materiam appetere omnes formas possibiles, easq; respicere per modum potentiæ singulas determinate: adeoque esse relationem transcendentalem ad quamlibet ex possibilibus simpliciter, & absolute: & consequenter eo ipso, quod fingis in vllam ex possibilibus defectum possibilitatis: fingis consequenter in materia defectum relationis ad ipsam; defectus autem talis relationis est defectus prædicati essentialis: Ratio à priori cur non dicas materiam appetere omnes possibiles appetit quodam conditionato: hoc est formam muscæ, si sit possibilis, & sic de cæteris, est, quia respectus naturalis sub condicione, quam impossibile est non esse, est respectus absolutus: inepte enim ponitur hæc conditio; *Dummodo non desit id, quod impossibile est deesse*: vel: *Dummodo adsit id quod impossibile est non adesse*: immò etiam in contractu ciuili hæc conditio est inepta: ridendus esset, qui promitteret tibi librum hac conditione: ne tali die desit id, quod impossibile est deesse. Adeoq; si quis mihi promittat daturum se mihi breuiarium crastina die dummodo sim, & non sim chimera: eo ipso non tenetur promissione sua, quia eo ipso censetur insanus. Ex his patet ad omnia.

ARTICVLVS VI.

An haec potentia, & appetitus sit etiam ad corruptas.

INter formas simpliciter possibiles recensuti possunt formę etiam corruptæ: non enim implicat Animam Bucephali nostris temporibus reuiuiscere; adeoq; te etiā nunc euqitare in equo Alexandri. Controuersia est, an ad huiusmodi formam materia habeat tum potentiam, tum appetitium naturalem. Ad hoc quæsitum.

Respondemus affirmatiue. Ratio est, quia etiam si dicas deesse in natura potentiam simpliciter ad existentiam Bucephali iampridem extincti, non propterea dicis deesse in natura potentiam secundum quid; ergo ex eo præcisè, quod nequeat naturaliter existere de nouo Bucephalus non recte inferes materiam primam non esse potentiam naturalem ad forma Bucephali. Conseq. est euidens: nàm ex defectu causæ adæquatæ numquam inferes defectum causæ saltem partialis. Sicut autem ex defectu potentiæ adæquatæ malè inferes defectum potentiæ secundum quid: ità etiam ex positione potentiæ secundum quid, malè inferes positionem potentiæ simpliciter: adeoq; sicut non valet hoc: non datut potentia adæquata ad formam Bucephali; ergo materia non est potentia ad formam Bucephali: ita nec valet istud: materia est poten-

potentia ad formam Bucephali; ergo datur potentia simpliciter ad Bucephalum, potestque simpliciter, & absolute de nouo existere Bucephalus.

Rursus forma Bucephali est eiusdem omninò rationis, siue corrupta, siue non currupta; adeoq; si fingas dari cætera, ex quibus fit, nihil debes immutare de conceptu materiæ ad hoc, vt habeas materiam aptam illi recipiendæ. Explicatur hoc exemplo aliorum potentiarum; si Deus destrueret omnia conbustilia: sed seruat ignem; nemo diceret deesse in natura potentiam actiuam ad ignem: & tamen esset vera hæc propositio; nequit fieri ignis; ad hoc enim vt fiat ignis non sufficit ignis, sed præterea requiritur aliquid, ex quo fiat ignis: destructo autem omni combustibili; vbi habebis ex quo facias ignem? Item si Deus destrueret omnia colorata, seruaretq; in natura tuum oculum: rogo an deesset in natura potentia visiua? Respondebis negatiue: tamen in tali casu nihil posses videre. Eodem modo si desint in natura cætera comprincipia requisita ad formam Bucephali, nequit simpliciter forma Bucephali dennò existere; sed non propterea deest in natura subiectum capax ipsius.

Præterea etiam si desit principium reproductiuum eiusdem formæ naturaliter: non tamen deest principium reproductiuū simpliciter: posset enim Deus formam corruptam reuocare ad esse. In tali casu quid vetat hanc formam, in hac materia recipi? Et

quid aliud requiritur in hac materia, vt formam huiusmodi patiatur? Sereno Cœlo pluere est impossibile: adeoq; rectè dices: nequit terra imbribus irrigari: quod si Deus etiam sereno Cœlo imbrem effundat, vt potest; eadem potentia, qua terra reciperet imbrem effusum è nubibus, excipit imbrè miraculose immissum à Deo. Hęc omnia videntur manifesta.

Quod dictum est de potentia, dic etiam de appetitu. Hic enim consistit in proportione quadam materiæ cum forma, tamquā cum sui perfectiuo; hæc autem proportio non est minor cum forma, quæ fuit, & ampliùs non est: quam cum ea, quæ non est, sed erit, vel neque est, neque erit. Nemo negabit compleri materiam per formam Bucephali, siue hæc probatur, siue reproducatur: ergo tam per reproductam, quàm per primò productam satisfit exigentiæ, qua materia petit coire in vna substantiam simul cum forma.

Objic. 1. Si materia prima est potentia naturalis ad formam semel destructam, datur potentia naturalis ad naturaliter impossibile; conseq. repugnat in terminis, g. & ant. Probatur sequela: quia de nouo existere Bucephalum Alexandri est naturaliter impossibile; sed eo ipso quod materia prima est potentia naturalis ad ipsum, datur potentia naturalis ad ipsus existentiam; ergo &c.

Resp. dist. mai. daretur potentia naturalis, quæ sit potentia simpliciter: nego: quæ sit

sit potentia secundum quid, conc. mai. & eodem modo dist. min. neg. conseq. Hæc propositio; *Datur potentia naturalis ad impossibile*, sonat idem ac: potest naturaliter existere id, quod est naturaliter impossibile, quod repugnat in terminis: implicat enim aliquid existere, quin detur potentia adæquata ad ipsius existentiam: potentia autem adæquata non solum includit potentiam passiuam, sed & actiuam, & præter vtramq; omnes conditiones, & circumstantias, quibus res naturaliter fiat. Si rogeris an ignis Romanus possit naturaliter liquefacere niuem Florentinam: respondebis negatiue. Si rursus rogeris quare non assignabis defectum virtutis in igne Romano, aut liquefactibilitatis in niue Florentina, habes igitur & ex parte agentis, & ex parte passi, quod requiritur ad liquefactionem huiusmodi. Quid igitur deest, nisi conditio propinquitatis agentis ad passum? nihil enim aucta virtute ignis, nil liquefactibilitate niuis, hic idem ignis illam nauem, liquefaciet, vt manifestum.

Obic. 2. Nequit naturaliter dari in materia receptio formæ fuit, ergo materia non est potentia naturalis ad talem formam.

Resp. dist. ant. non potest naturaliter dari in materia receptio, &c. ex defectu materiæ nego, ex alio capite, conc. antec. & nego cons. materia prima non minus apta est sustinere formam quæ reproducatur, quam formam quæ primò producatur: sicut v. g.

tellus non est minus apta sustinere Lazarum resuscitatum, quam eūdem Lazarum priusquam moreretur. Si quis igitur petat, an tellus possit naturaliter fulcire hominem resuscitatū: quicquid respondeas bene respondes, dummodo responsionem tuam bene explices, vt facies, si nobis attendas. Si neges: dices non posse, quia nequit naturaliter dari homo resuscitatus; si affirmes: dices ideò posse, quia posito quod hic quomodolibet detur, ijsdem viribus quibus alios sustinet tellus, sustinebit & istum.

Obijc. 3. materia prima non est potentia simpliciter ad formam simpliciter impossibilem; g. nec ad formam naturaliter impossibilem erit potentia naturalis. Conseq. probatur, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid ad secundum quid: ergo quemadmodum ad impossibile simpliciter deficit potentia simpliciter, ita ad impossibile naturaliter deficit potentia naturaliter.

Resp. melius fore hoc argumentum. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter: ita secundum quid ad secundum quid; ad impossibile simpliciter deficit potentia simpliciter; ergo ad impossibile secundum quid deficit potentia secundum quid. Et tunc concedes totum. Nam & minor est vera, & in aliquo sensu consequentia, vtraque autem tibi militat, & veritati. Deest enim potentia naturalis, quæ sit potentia simpliciter ad naturaliter impossibile: deest etiam potentia secundum quid, quamuis

uis etiam secundum quid detur : immò ex eo quod solum detur secundum quid : hoc est secundum partem, deest etiam secundum quid, hoc est secundum aliam partem; ex hoc autem quod desit secundum partem, deest potentia simpliciter, & absolute : non tamen potentia in genere potentiæ passiuæ. Ad argumentum in forma conc. antec. nega conseq. Ad probat. omisso ant. distint. conseq. deficit potentia naturaliter quæ sit potentia simpliciler : conc. quæ sit potentia secundum quid : nega. Pręterea, quæ dicta sunt de materia, quæ est relatio transcendentalis ad omnes, ita vt determinate si sit ad singulas possibiles : ita quidem vt, & qualibet ex his implicante, ipsa implicaret: & qualibet ex implicantibus non implicante, idem accideret: quia tam implicat conceptum materiæ quidditatiuum adendo, quam detrahendo mutari. Obiter nota, quod potentia, quæ esset secundum quod ad simpliciter impossibile, esset quoad hoc omninò frustranea; implicat enim id, quod implicat, non implicare. At verò potentia secundum quid, seu recetiua formæ naturaliter tantum impossibilis, non est frustranea, quia id, quod est naturaliter tantum impossibile, est possibile simpliciter; & si fiat vides quam naturale sit materiæ ipsum recipere.

Dices non implicat dari causam inadæquatam totius chimerici, g. non implicat materiam primam esse potentiam ad formã chimericam. Antec. probatur, quia Petrus

& Chimerica est totum chimericum, implicat enim binarium huiusmodi dari in natura, & tamen huius binarij datur causa inadæquata in genere causæ componentis: causa autem inadæquata, & causa secundū quid, sunt vnum & idem, ergo non implicat causa secundum quid totius chimerici. Probatur autem conſ. quia non est potior ratio de vna, quam de alia.

Resp. nec implicare materiam esse causam inadequatam in genere causæ componentis totius Chimerici. Hoc enim idem, quod scripsisti de Petro, scribe de materia: sed sicut Petrus nequit vllo modo concurrere ad existentiam chimeræ: sed solum faceret cum illa binarium, si hæc existeret; ita materia prima ineptè dicetur posse aliqualiter, & per modum causæ passiuæ concurrere ad existentiam formæ chimericæ, cum qua, si hæc existeret, faceret & ipsa binarium. Materia prima ita est potentia, vt sit etiam exigentia, stulta est autem exigentia rei simpliciter impossibilis.

Dices, erit exigentia conditionata puta si forma esset possibilis, v.g. dicat materia prima; vellem excipere chimeram si hæc non esset chimera.

Resp. huiusmodi exigentiæ conditionatæ responsum fuisse, vbi de conditione per impossibile, quam diximus ineptè poni in intentionibus naturæ. Nota per huiusmodi affectum chimeram non amari vllo modo à materia prima; sicut non amareris ab eo, qui diceret: O quantum amarem te, si

non

non esset tui Idem autem dicit, qui dicit; O quantum amarem te, si esset alius! qui affectus est quidem vehemens; sed erga alium.

ARTICVLVS VII.

Defenditur appetitus.

COntra appetitum specialiter pugnant Aduersarii nostri. Obijciunt igitur primò. Appetitus naturalis nequit esse ad terminum naturaliter inadipiscibilem; forma reproducta est huiusmodi: g. appetitus naturalis materiæ nequit esse ad forma reproductam. Maior videtur manifesta. Min. supponitur ex dictis.

Resp. neg. mai. cum D. Thoma 1. parte quæst. 76. art. 1. ad 6. Nam Anima humana vt ait ibi S. Doctor, à corpore separata habet aptitudinem, & inclinationem naturalem ad corporis vnionem; cum tamen ea Animę cum corpore reunio, seu reconiunctio non sit naturaliter adipiscibilis. Ratio à priori est; quia Animæ secundum se conuenit vniri corpori, & consequenter ea vnio à quocumque tandem agente fiat, est maxime secundum naturam Animæ. Eodem plane modo philosophare, & tu de materia. Materiæ secundum se conuenit vniri huic, vel illi formæ, & actuari per hanc, vel illam formam; à quocumq; igitur agente hæc, vel illa forma illi tribuatur, est secundum naturam ipsius. Vbi aduerte,

&

& appetitum, & aptitudinem etiam ad aliquid naturaliter inacquisibile, sine vllo scrupulo vocari naturalem.

Obijc. 2. Si materia prima naturaliter exigit etiam formã corruptam, non est vlla ratio cur nequeat illam naturaliter habere; conseq. est absurdum: ergo & ant. Mi. probatur; quia si naturaliter posset habere formam ante destructam, non est cur nequeat redire in rerum naturam Bucephalus: hoc autem absurdum esse constat ex eo, quod si quis hoc diceret, & irrideretur, & damnaretur erroris. Primo quidem, quia erroneum est bestias resuscitari, erroneissimum autem resuscitari naturaliter. Secundo, quia admissa tali resuscitatione statim ostenderetur etiam hominis resurrectionem esse per naturam; quemadmodum enim forma sensibilis fit in subiecto ad exigentiam, & ex concursu subiecti: ita forma rationalis fit in subiecto, non quidem ex concursu, sed ad exigentiam subiecti. Et quemadmodum potest per naturam ex subiecto fieri, quod iam olim factum est, & destructum; ita poterit subiecto restitui, quod olim habuit, & amittit, quamuis non omninò perierit: vtrumque autem per naturam. Probatur autem sequela maioris: quia si dixeris materię idcirco non posse restitui formam destructam, quia non est in natura causa efficiens apta illa eandem reproducere: contra est; quia non est potior ratio, cur deficiat in causa actiua virtus efficiendi, quam in causa passiua virtus patiendi. Probatur hoc; quia

quia quemadmodum forma *A*, siue corrupta, siue non corrupta, est eiusdem omninò rationis, & consequenter semper eodem modo proportionata materiæ per modum actus ipsam complentis: ita etiam cum sit semper eiusdem rationis, est semper proportionata causæ efficienti in ratione effectus. Ignis *B*, v. g. siue olim fuerit, siue tanquam fuerit ante productus, semper est eadem entitas, adeoq; semper proportionatus in genere effectus cuilibet alteri igni.

Confirmatur hic discursus breuissima ratiocinatione. Non deficit in materia potentia passiua: ergo nec in agente potentia actiua: g. ex nullo capite deficit in natura potentia simpliciter, & absolutè ad reproductionem rei corruptę. Probatur hęc vltima conseq. quia per potentiam passiuam, & potentiam actiuam habetur potentia adæquata rei; habita potentia adequata potest haberi res: g. habita potentia cum passiua, tum actiua, potest haberi res.

Resp. neg. sequelam maior. Ad probationem respondeo primo, etiam data uirtute actiua cum potentia passiua non continuò dari quicquid requiritur ad existentiam rei: sæpe enim deficit potentia naturalis adæquata ad aliquid ex defectu conditionum: quæ conditiones, si naturaliter possint haberi, res est possibilis naturaliter: si nequeant, res est naturaliter impossibilis. Te calefieri ab igne, qui ardet Persepoli, est naturaliter possibile: non quidem si manes vbi es, & maneat ignis vbi est: sed si vel tu

Per.

per sepolim accedas; vel ignis, qui est Persepoli, Romam deferatur. Quamuis igitur concederes dari, & potentiam passiuam & potentiam actiuam, vtramq; naturalem; si desint circumstantiæ naturaliter requisitæ non propterea naturaliter fiet.

Dices: non est assignabile quid vltra requiratur ad hoc, vt res iam destructa iterum fiat, & naturaliter fiat, ergo data vtraque potentia debet dici, quod res naturaliter fiat.

Resp. neg. ant. Ad assignandum quid desit tenere oportet quod dictũ est in Logica, vbi de Indiuiduo. Diximus ibi indiuiduationem physicam nihil aliud esse, quam collectionem proprietatum, quæ ita insit vni, vt in altero nunquam sit eadem. Hæc autem collectio hoc versiculo continetur: *Forma, figuras, locus, stirps, nomen, patria tempus*. Quemadmodum aut nequit per potentiam naturalem duobus hæc eadem collectio conuenire: ita nec vni duplex collectio; si autem ponas rem, quę ante fuit, iterum fieri: nouam stirpem, nouum tempus, & alia huiusmodi eidem rei imponis. Hoc posito; finge in qualibet re dari characteristicam illam, quam suo loco reiècimus, & videbis dari repugnantiam naturalem, vt res illa, quæ anno præterito in hoc loco, & in his circumstantij producta est, produceretur hoc anno, & in his alijs circunstantijs. Et hæc est ratio sufficiens reijciendi reproductionem effectus ijs, qui huiusmodi characteristicam tenent.

Vide

Vide iam nos etiam, qui characteristicā repullimus, eadem ratione fulciri: nam etiā si res quælibet non petat determinatè hanc vel illam, præ alia, collectionem accidentium: petit tamen indeterminatè, & aliquā & vnam; huic autem exigentiæ, quæ est huius, vel illius, satisfacit auctor naturæ non dando indeterminatam, quod implicat, sed dando indeterminatam, adeoque hanc potius quā illā: cū igitur vnicuique rei determinatè suam assignauerit, esse contra ordinem in natura constitutum; vel si nolis saltem supra ordinem huiusmodi, si simul aliā daret; sicut quando determinatè exigitur hæc exei præter ordinem naturæ si alia daretur, vel simul cum hac, vel solitarie: magis autem si simul cum hac; est enim longe maior dispensatio si res reproducatur, quam si res in alio loco, vel tempore, quam sicut exigit, producatur.

Non tamen omittendum est hic non valere argumentum Aduersarij à causa passiua ad actiuam. Ratio est: quia etiam respectu formæ, quæ non potest per naturam produci, datur naturalis potentia passiua, igitur non valet argumentum ad hanc formam datur potentia passiua naturalis: ergo etiam actiua. Ad fidem, charitatem, & alias huiusmodi formas supernaturales non datur in natura principium actiuum; nemo enim à natura habet, aut credere Deo, aut Deum super omnia diligere; non enim sumus potentes cogitare aliquid boni ex nobis tamquam ex nobis: immò: nemo potest di-

dicere, *Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto*, & tamen datur in natura subiectum, seu potentia passiua ad huiusmodi, iuxtà axioma Augustini 1. de Prædestinatione Sanctorum cap. 5. *Posse habere fidem, sicut & posse habere charitatem naturæ est hominum habere autem fidem, & quemadmodū & habere charitatem gratia est fidelium.* Ex quibus habes potētiam receptiuam fidei, aliorumq; habitum supernaturalium esse naturalem, quamuis causa effectiua eorum sit supra naturā. Ratio à priori fit: quia posse recipere non est perfectionis simplicis, sicut posse dare: ex eo quod detur capacitas cum defectu, non argues dari capacitatem non solum non dicentem defectum, verum etiam dicentem de suo conceptu perfectionem simpliciter simplicem. Capacitas cum defectu est potentia passiua: capacitas non dicens defectum est potentia dandi, & actiua.

Aduerte autem argumentum esse non à pari, sed à fortiori: si enim in detur in natura capacitas recipiendæ formæ entitatiue supernaturalis, dabitur à fortiori capacitas recipiendæ formę entitatiue naturalis: qualis est quęlibet forma corrupta.

Quod si prædicta doctrina de indiuiduatione non sufficit; sufficit tibi hic reproductionem formæ non esse impossibilem ex capite materiæ primæ; vndecumq; tandem habeatur hæc impossibilitas. Sunt qui explicente naturalem hanc impossibilitatem redeundi ad esse per iustitiam quandam di-

stri.

ſtributiuam, qua Deus, vt auctor naturæ, quodammodo teneatur dare eſſe potius rei quæ nunquam fuit, qua rei, quæ fuerit, vbi in vniuerſo idem bonum cæteroquin per vnam habetur, ac per aliam. Puta ex hac palea generandus eſt ignis; eſt in poteſtate Dei, vel ignem dare, qui numquam fuit, vel illum reuocare, qui Troiam conbuſſit, & extinctus eſt: cũ vtrumque poſſit, tenetur, aiunt, per lege quandam, quã numquã citant, iuſtitiæ diſtributiuæ potius ponere in natura primum, quã ſecundũ; melius enim eſt, inquiunt, vt ille, qui numquam fruitus eſt eſſe, ſemel ſaltem fruatur, quam vt ille, qui iam ſemel fruitus eſt, iterum reuocetur, & iterum fruatur: nam ille ignis remanens in ſtatu poſſibilitatis inuideret igni iterum prodeunti in rerum naturam. & Deus quodammodo appellaret acceptorem non perſonarum, ſed ignium. Huiuſmodi diſcurſus euidenter demonſtrant imbecillitatem Intellectus humani.

QVÆSTIO VII.

An materia poſſit eſſe ſine omni forma.

ARTICVLVS I.

Ponitur duplex concluſio.

PRima eſt. Materia nequit naturaliter ſpoliari omni forma ſubſtantiali. Probatur autem ex communi proloquio: *Ge-*

ne-

neratio vnius est corruptio alterius, & vicissim: *Corruptio vnius est alterius generatio*: ergo quotiescumq; agens naturale expellit aliquam formam substantialẽ à materia, aliam item substantialem in eandem inducit, & consequenter ex vi agentis naturalis inquit materia prima spoliari vna forma, quin altera vestiatur. Conseq. est euidens: quia si actio expulsiua vnius formæ non esset alterius inductiua, esset mere corruptiua, non autem generatiua; g. vt verum sit axioma prædictum, debet cum expulsione vnius esse productio alterius.

Huic axiomati fidem inuenies apud omnes: nescio an etiam rationem. Philosophus enim habet illud adeo pro certo; vt vix examinet; Et quidem rationem huius veritatis à posteriori non est arduum inuenire; patet enim inductione tam ex nihilo nihil fieri, quam in nihilum nihil reuerti, & tam nullam substantiam de nouo fieri, nisi ex alia substantia, quam nullam substantiam perire, nisi abeat in aliam substantiam. Perit homo, & abit in cadauer; perit cadauer & fibit in vermes, &c. quæ omnia sunt substantiæ. Ratio autem à priori assignari potest hæc; quia omnis actio habet pro termino aliquid: non esse autem rei, quæ corrumpitur, non est aliquid, g. non esse rei, quę corrumpitur, non est terminus vllius actionis, sed eo ipso quod non esse non est terminus vllius actionis, implicat actio pure corruptiua, ergo, &c.

Breuis hæc ratiocinatio maximè facit ad

id,

id, quod dicturi sumus de concursu Dei immediato cum qualibet causa secunda ad quemlibet effectum; vbi ostendetur, & per puram suspensionem actionis, rem quæ antea erat, desinere, & per negationem actionis rem non poni. Sermo autem est hic de factione transeunte in externam materiam. Posset enim quis contra hoc principium: *omnis actio terminatur ad aliquid* siue: *omnis actio est alicuius rei positio*, sic litigare; multæ actiones nihil ponunt in natura nisi seipsas, g. falsum est quod omnis actio sit alicuius rei positio, & quod omnis actio terminetur ad aliquid, conseq. est euidens, nã actio quæ nihil ponit nisi se, adeoq. quæ nihil præstat, nisi in genere causæ formalis, non habet aliquid pro termino sui, nihil enim ad seipsum terminatur Ant. autem probatur ex dictis alibi, vbi de differentia actionis, & effectionis, dictum est enim multarum artium finem esse actionem ipsam. Item actiones immanentes quales sunt cognitio, volitio, visio, & aliæ huiusmodi non sunt vllius rei positio.

Propterea diximus axioma hoc intelligẽdum esse de actione transeunte, &c. Sunt tamen qui etiam actionibus immanentibus aliquid, sed etiam imanens pro termino assignent: distinguunt enim inter actionem, & actũ, assignantes pro actu quandam speciẽ qualitatis emanantẽ ab actione ipsa: sed non est locus hic hoc examinandi, pro conclusione sufficit inductio illa, quã ex Philosopho, & experientia attulimus.

Ra-

Ratio autem petita non ex natura actionis, sed ex natura materię, est; quia materia non amittit vnam formam, nisi propter incompossibilitatem illius cum accidentibus introductis ab agente: puta materia non amittit formam paleæ, nisi propter incompossibilitatem talis formę cum tanta intensione caloris, & siccitatis; contingit autem ea accidentia, quæ vni formæ aduersantur, esse alterius formæ propria: puta hæc ipsa caloris, & siccitatis intensio est propria formæ ignis: tam autem repugnat, deficiente collectione accidentium formę *A*, durare in natura formam *A*, quam repugnat existẽte collectione accidentium propria formæ *B*. non existente formã *B*: vnde prædictũ axioma, *Generatio vnius est corruptio alterius*, & è conuerso, verificatur etiam de generatione, & corruptione dispositiua. quæ enim accidentia disponunt ad corruptionem paleæ, disponunt etiam ad generationem ignis & è conuerso.

Deniq; dictum est alibi naturam non tendere ad non ens, sed ad ens; dum igitur corrumpit lignum non tendit primariò ad non esse ligni: sed ad esse ignis: quia vero incompossibilia sunt ista duo: ignis, & lignum, oportet vt vno accedente alterum recedat. Accessus est intentionis primariæ, recessus secundariæ.

Secunda Conclusio sit. Materia potest supernaturaliter spoliari omni forma substantiali. Probatur Conclusio: quia materia spoliata omni forma substantiali non inuo-

luit contradictoria: g. est aliquid possibile. Antec. negatur, & meritò à Thomistis. Nā idem est dicere; materia existens sine forma, ac materia existens sine existentia: hoc secundum repugnat, g. & primum. Ratio est; quia forma, siue existentia formæ, est formalissima ratio existendi materiæ;

Hanc Thomistarum responsionem reiecimus, vbi diximus materiā non existere per existentiam formę. Hanc eamdem conclusionem probant alij hoc argumento. Form. substantialis, etiam materialis, potest supernaturaliter esse sine omni subiecto; g. subiectum ipsum, siue materia prima potest supernaturaliter esse sine omni forma substantiali. Ant. probatur; quia formæ accidentales possunt supernaturaliter esse sine subiecto, vt constat ex Venerabili Sacramento Eucharistiæ: g. etiam formæ substantiales. Probatur autem conseq. quia maior est dependentia formæ materialis à materia; quam materiæ à forma. Valeat hoc argumentū quantum valere potest. Melius est id quod primo loco positū est. Deus enim censetur posse quidlibet, dummodo non appareat repugnantia. Hanc autem numquam ostendet Aduersarius in materia carente omni forma substantiali.

AR-

ARTICVLVS II.

Satisfit Aduersarijs.

OBijc. 1. Materiam esse sine omni forma accidentali est etiam supernaturaliter impossibile, g. est etiam impossibile esse sine omni forma substantiali. Ant. probatur; quia implicat materiam esse, & nunquam esse: esse & nusquam esse, g. eo ipso quod est, est & in aliquo loco, & in aliquo tempore esse autem in hoc loco non habet per seipsam, sed per vbicationem superadditam: esse in hoc tempore, per duratione superaditam: g. eo ipso quod est, necessario necessitate metaphysica habet, & durationem, & vbicationem sibi superadditam. Suppponitur hoc ex tractatu de loco, & tempore, vbi cum Philosopho dicetur id quod nullibi est & numquam, esse sicut Sphingem & Hyppocentaurum: hoc est non esse. Probatur autem conseq. quia absurdum est materiam magis pendere ab imperfectioribus, quam à perfectioribus formis: est autem euidens formas accidentales imperfectiores esse substantialibus.

Resp. transf. ant. neg. conf. Probationem antecedentis audiemus, vbi promittitur. Ad probationem consequentiæ negatur suppositum; materia prima, proprie loquendo, non pendet à formis, sed formæ pendent ab ipsa: ipsa enim est pro priori, & ad formam substantialem, & ad formas accidentales.

tales. Quod si pendere idem sonat apud Aduersarium, quod indigere: non est absurdum quod materia prima magis indigeat imperfectioribus, quam perfectioribus, sicut non est absurdum quod tu, domine mi, magis indigeas vestibus, quam seruis, & inter seruos magis infimis, quam dignioribus quis enim dominus non magis indiget Coquo, quã Perfecto cubiculi? & inter vestes ipsas quis non magis indiget subucula & caligis, quam pallio & alijs huiusmodi, quę pretiose circumtegunt infirmitatem nostram.

Obijc. 2. Si poneretur materia sine omni forma substantiali, non est diuinabile quid de ipsa eueniret, g. non potest poni in tam miserabili statu. Probatur ant. prouocando te ad diuinandum: dic enim an in tali statu connaturaliter deberet conseruari, an destruit? Non destrui, quia eo ipso non exi-steret sine omni forma substantiali: non conseruari; quia est in natura vt faciat totum tunc autem non faceret totum; g. &c.

Resp. primo etiam dato antecedenti negandam fore consequentiam.

Resp. secundo neg. ant. & diuino. Dico autem materiam primam in tali hypothesi seruatum iri. Ad rationem in contrarium dic materiam ita esse vt faciat totum, vt tamen non repugnet esse extra omne totum; non enim repugnat Deum dispensare tũ in legibus, tum in finibus naturæ. Addo quod etiam naturæ melius est materiam stare, quam perire ex ea enim, quæ petit, quid

natura faciet? ex ea autem, quę est, poterit quidlibet facere, vt patet.

Obijc. 3. Materia prima maiorem vnitatem habet cum forma substantiali, quam cum accidentali: ergo est magis inseparabilis à substantiali, quam ab accidentali; sed ab omni accidentali est metaphysice inseparabilis; ergo & à substantiali. Antec. probatur: quia materia cum forma substantiali habet vnitatem per se, cum accidentali vnitatem per accidens, vnitas per se est maior vnitas, quam vnitas per accidens. Hoc argumento frequenter vtuntur Scotistæ.

Resp. neg. suppositum antec. Materia prima non habet vnitatem, neque cum forma substantiali, neque cum forma accidētali: ab vtraque enim realiter, & physice distinguitur. Habet cum vtraque vnionem strictiorem quidem cum forma substantiali, quam cum accidentali: quis enim neget materiam paleæ, quamuis facillimè recipiat nouam formam, puta formam ignis, mutare facilius vbicationem, ac durationem, & hoc quidem stat cum exigentia, cui dispensari nequeat, alicuius vbicationis, & durationis. Ad id igitur quod dicitur: materiam esse inseparabilem ab omni forma accidentali; respondendum est negando. Immo separabilis est ab omni; quāuis necesse sit vt habeat aliquam; hoc est carere potest qualibet, sed non omni: carere autem potest, & qualibet forma substantiali, & omni ex quo non sequitur strictius vni-

vniri vlli formę accidentali, quam vlli substantiali.

Obijc. 4. Materia prima est propter formam substantialem, non autem propter accidentalem; ergo magis exigit formam substantialem, quam accidentalem. Probatur ant. quia materia prima est in natura, non vt faciat vnam per accidens, sed vt faciat vnum per se. Probatur autem consequentia, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; sed propter formam substantialem exigitur forma accidētalis, ergo magis exigitur forma substantialis. Maior est axioma, cuius veritas inductione patet: qui amat studium propter sapientiam, magis amat sapientiam, quam studium: qui amat medicinam propter sanitatem, magis amat sanitatem, quam medicinam, qui amat Mathematicam propter Physicam magis amat Physicam, quam Mathematicam, & sic de cæteris. Vbi nota non modo magis amari id, propter quod amatur aliud, sed illo eodem amore magis amari, quo amatur aliud: puta amor medicinæ propter sanitatem, est maior amor sanitatis, quam medicinæ. Minor autem est euidens, quia formæ accidentales habent rationem medij ad substantiales.

Respon. quod ijs formis, quæ sunt purè media ad substantiales, tam carere potest materia prima, quam ipsis substantialibus quis autem dixerit durationem, & vbicationem esse media ad hanc vel illam formā substantialem? Huiusmodi accidentia non

vocantur media ad aliud: sed necessario cõsequentia ad esse rei, quæ est. Posset igitur vel concedi totum: quandoquidem comparatio est inter formas, quibus omnibus carere potest materia, vel negari suppositum totius discursus: quod videlicet omnia omnino accidentia, tam realia, quam modalia habeant rationem medij ad formas substantiales. In forma ad argumentum negandum est antec. materia non est propter formam; sed tam forma, quam materia sũt propter totum, quod si dicas; totum nihil est præter materiam & formam: ergo materia & forma non sunt propter totum. Conseq. probatur, quia aliter essent propter seipsa. Resp. cum dist. vel enim accipis materiam, & forma collectiuè, & tunc sunt ipsamet substantia, quæ est gratia sui vel distributiuè, & tunc singulæ distinguntur à toto: suntque propter ipsum, quod est gratia sui.

Dices: forma substantialis dicitur finis materiæ, eo ipso quod est bonum ipsius: idem enim est bonum, & finis; ergo magis est propter formam substantialem, quam propter accidentalem, quæ non est finis ipsius: ergo magis exigit formam substantialem, quam vllam accidentalem. Probatur vltima consequentia: quia quod habet rationem finis & boni, magis exigitur, quã quod non habet rationem huiusmodi.

Iam dictum est finem materiæ esse substantiam; si tamen mauis aliter respondere: concessu primo entimemate: nega vltimã con-

conseq. Ad probationem dist. magis exigitur, &c. cæteris paribus: omitto: cæteris imparibus: nego. Materia prima, vt bene se habeat, indiget forma substantiali; hoc est vt sit in natura modo sibi debito, & connaturali; vt autem sit, indiget aliqua vbicatione, & aliqua duratione: quamuis autē melius sit illi esse modo debito, quā aliter, tamen melius est illi esse, quam nec saltem aliter esse. Sine forma substantiali non bene est: sine duratione non est.

Ex dictis aduerte non probari ex prædicatis materiæ primę quod ipsa nequeat spoliari omni forma accidentali: sed ex ratione communi, qua implicat aliquid esse, & nusquam, vel numquam esse, adeoque argumenta omnia, quæ ex appetitu materiæ ad formas peti solent, laborant in supposito: quasi vero non posse esse quin alicubi sit, illi conueniat quia est materia. Et hæc de materia satis.

QVÆSTIO VIII.

De Forma.

ARTICVLVS I.

In quo consistat ratio formæ, & an sit tota quidditas compositi.

DIctum est initio Physicæ, vbi de principijs rerum naturalium in genere, in vnaquaque substantia, præter materiam, quæ in diuersis est eadem, esse aliud principium, per quod habetur diuersitas vnius ab alia substantia. Hoc principium vocatur Philosopho Forma. Videtur igitur secundum sententia Philosophi formam nihil aliud esse, quam principium intrinsecum per quod substantia à substantia substantialiter differt. Et hanc definitionem proculdubio pro bona admittiter Aristoteles, qui centies formam appellat rationem ipsius quod quid est esse rei, speciem, pulchritudinem, &c. id genus, quæ omnia consonant huic dicto: *materiæ appetit formam, vt turpe pulchrum.*

Posset hoc idem probari ex dictis superius: Materia prima quæ est in igne, est illa eadem, quę erat in palea, ergo ignis à palea non differt per materiam; differt autem, & quidem substantialiter: ergo præter materiam datur in vtroque aliud principiū intrinsecum, & substantiale, per quod hoc qui-

quidē ignis, illud vero palea est. Hoc autem principium cum sit id, ex quo huius & illius species denominatur & est, recte & species, & forma dicitur. Consonat etiam hęc doctrina ijs quæ diximus agentes de gradibus metaphysicis, vbi de diximus genus & differentiam esse materiam, & formam metaphysicas: materiam autem, & formam esse genus & differentiam physicam.

Quia tamen dictum est alibi non repugnare de potentia absoluta materiam diuersę rationis ab hac, non videtur ratio specifica, seu differentialis vnius substantiæ ab alia sufficienter peti ex sola forma: probatur hoc; quia si forma ignis reciperetur in materia diuersa ab hac, quæ datur: faceret cum ipsa totum specie diuersum ab igne, qui de facto datur: hæc diuersitas non haberetur per formam, ergo malè definitur forma: id per quod substantia à substantia substantialiter differt.

Ad resolutionem difficultatis tenendum est quod alibi dictum est ex Philosopho, videlicet de materia rerum, naturalium philosophandum esse per naturalium ad materiam rerum artificialium. Quędam artificialia differunt inter se, & secundum materiam, & secundum formam; quædam solum secundum formam. Quædam solum secundum materiam. Habes exempla in phiala, & tunica; in phiala, & patina; in duabus phialis altera aurea, & altera ænea. Phiala, & tunica differunt, & secundum

materiam, secundum formam; vnius enim meteria lana est, alterius aurum. Phiala, & patina differunt solum secundum formam; vtriusque enim materia aurũ est. Duæ phialę, altera aurea, & altera argentea differunt solum secundum materiã: vtriusq; enim eadem figura est.

In his vltimis habes solutionem quęstionis propositiţæ: nam tam ænea, quam aurea phiala, phiala nominatur, & est. Vnde autem sic nominatur, nisi à forma? Vides igitur rationem vnde res nominatur hoc & illud, esse formam: nulla habita ratione materiæ. Ab artefactis transfer animum ad naturalia. Pone animam rationalem in materia, in qua de facto est: habes hominem pone illam eandem animam in materia diuersa specie: puta in materia cœlesti, & iterum habes hominem: homo autem hic ab olio homine differt, sicut phiala aurea ab ænea, & sicut vtrobique propter identitatem figuræ, hoc est formæ artificialis, retinetur nomen phialæ; ita vtrobique propter identitatem formæ naturalis retinetur nomen hominis, Ex quibus liquet formam rectè dici; *Principium intrinsecum specialiter determinans ad hanc, vel illam rationem substantia, siue rationem, qua res nomine proprio nominatur, seu rationem, qua res nominatur hoc, & illud simpliciter.*

Confirmatur hæc doctrina ex communi sensu omnium Philosophorum, & hominũ. Omnes conueniunt in hoc, quod hoc corpus celeste Lunam, illud aliud Solem ap-

pel-

pellent: non tamen conueniunt cuius materiæ sit hoc, & illud corpus. Alij enim materiam cœlestium diuersarentur à materia sublunarium, alii non diuersam; vtrique probabiliter; quia neutri vllam rationem afferuntur momenti vllius. Igitur ad esse Solem, vel Lunam nihil facit quod sit hæc vel illa materia. Idem etiam apparet in artefactis, in quibus conuenitur esse hoc, vel illud. Puta esse amphoram, vel vrceũ: dubitatur de materia, alijs stannum, alijs argentum, aliis plumbum, aliis aliud esse certantibus.

Propterea sapienter Philosophus *Forma* inquit, *est ratio ipsius quod quid est esse rei* idest ratio per se, & secundum propria prædicata expressa in definitione, per quã scitur quid res sit. Quamuis enim in re, præter formam detur aliquid aliud, videlicet materia, adeoque totum esse rei non sit sola forma; tamen quia hæc determinatè secundum suam propriam rationem; illa indeterminatè, & secundum præcisam rationem materiæ requiritur, vt res sit id, quod per nomen ipsius intelligitur: ideo ab eodem Philosopho sæpè sola forma nuncupatur nomine quidditatis. Hoc modo loquitur 8. Metaph. cap. 4. vbi quærens, an quidditas rei sit idem cum re? Respondet cum distinctione: sit res inquit, est forma & actus, quidditas rei est idem cum ipsa, ita quidditas animæ rationalis est idem cum anima ipsa. At si res est aliquid compositũ vt homo, tunc quidditas non est idem cum

re, quidditas igitur hominis non est idem cum homine, nisi, ait Philosophus, anima quis his homine vocet. Quæcumque igitur materia sit, cui rationalis anima vniatur, totum hoc erit homo, & ab anima habebit quod sit homo. En doctrinam de materia, & forma ab Aristotele adeò explicatam, vt vlteriori explicatione non egeat.

Dices. homo si esset ex diuersa materia ab ea, qua constat, esset quid diuersum spec e ab eo, quod est, ergo non sola forma, sed etiam materia determinat ad hanc speciem entis; ergo non habet ab hac forma solum quod homo sit,

Resp. neg. vlt. conseq. Qualibet enim materia constet, homo est; adeoque etiam si varies materiam, non varias id, quod determinatè requiritur vt sit homo. Non diximus hominem tunc fore eiusdem speciei cuius est nunc, sed fore hominem, sicut est nunc. Indifferentia igitur quædam est circa materiam ad rationem hominis, & cuiuslibet alterius, quæ indifferentia non est circa formam; non enim si quamlibet formã ponas cum hac materia habes hominẽ, sicut habes, quamcunque tandem materia ponas cum hac forma: ex quo manifestũ est rectè dici formam rationem specialiter denominationem hoc & illud.

Replicabis; homo ex materia cœlesti v. g. differret specie ab homine ex materia sublunari: ergo tam non esset homo vnus, quã alius.

Resp. conc. ant. neg. cons. Veritas antece-

cc-

cedentis patet ex dictis: patet & falsitas consequentiæ ex hoc, quod tam phiala ænea, quam aurea est phiala. Quę igitur differunt secundum materiam, differunt secũdum partem indifferenter, seu indeterminate: quæ autem secundum formã, differunt secundum partem determinatè requisitã ad nomen, quod sustinent. De hac re non potuit dubitare Philosophus, apud quem nec leuis suspicio fuit, possibile esse materiam diuersam ab hac quæ datur.

Quia vero Philosophus loco citato, & alibi formam appellat *rationem ipsius quod quid est esse rei*, *speciem*, & aliquando etiam *quidditatem*. Hinc suspicantur nonnulli in sola forma totam substantiæ physicæ quidditatem consistere. In quo quidem nequit esse quæstio nisi de voce, Nam si nomine totius quidditatis intelligas adæquatam essentiam rei, quæ non est forma & actus, vt ait Philosophus, sed quid ex forma & materia constans: manifestum est solam formam non esse totam quidditatem: cum compositum præter ipsam, aliam partem essentialem includat. Si autem nomine totius quidditatis intelligas id præcise per quod vnum compositum ab alio essentialiter differt: cum vna sit omnium materia, manifestum est formam esse totam quidditatem compositi. Non enim habetur hic ratio vnionis, quæ totam suam speciem sumit ab extremis. In prima acceptione anima nec est homo, nec tota quidditas hominis. In secunda est quidem tota quidditas hominis, sed est homo.

Hinc si homo purè secundum naturam, & vt consideratur a Philosopho, est capax alicuius felicitatis; non sola eius quidditas in secunda acceptione habet hanc capacitatem; si autem non homo, sed sola anima: tunc tota hominis quidditas in secunda acceptione, non autem homo hanc capacitatem habet. An autem homini an soli animę hæc capacitatis insit, impertinenter quæritur hic. Quia tamen quæritur. Respondetur non solam animam sed hominem esse secundum naturam capacem felicitatis. Nam naturę rationalis, vt talis, est aliquis vltimus finis, & summum bonum.

Dices. Homo etiam pura philosophice consideratus nequit esse felix nisi felicitate æterna: nequit naturaliter esse felix felicitate æterna: ergo nequit naturaliter esse felix. Min. probatur; quia nequit naturaliter esse æternus.

Resp. omissa mai. dist. min. nequit naturaliter &c. si li *naturaliter*, importet solum vires naturæ creatę; conc. si includat etiam Deum vt authoritatem naturæ: nego min. & eodem modo distinguo conseq. & probationem minoris. Vide D. Thomam 4. contra Gent. c. 79. vbi de anima sic: *Est enim secundum suam essentiam corporis forma, est igitur contra naturam animæ absque corpore esse, nihil autem quod est contra naturam potest esse perpetuum, non igitur perpetuo erit anima absque corpore.* Quamuis igitur in natura creata non detur principium actiuum illius reunionis animæ

ad corpus, quæ secundum finem, siue, vt ait Commentator, secundum terminum est naturalis quia est secundum animæ inclinationem; posset tamen Deus in hypothesi possibili, etiam vt autor naturæ, animam per mortem separatam ad eiusdem exigentiam suo corpori reunire, & sic homini simpliciter illam contemplationem optimi inteligibilis perpetuam dare, in qua idem D. Thom. 1. p. qu. 63. art. 1. ait Philosophum vltimam hominis felicitatem posuisse.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectis.

OBijc. Idem est constitutiuum intrinsecum rei, & distinctiuum illius à qualibet alia re: sed per solam formam vna substantia distinguitur ab alia; ergo sola forma est constitutiuum intrinsecum huius & illius substantiæ; consequenter sola forma est adæquata quidditas rei. Maior est effetum. Minor probatur: quia Petrus v. g. non distingitur à Bucephalo per materiam.

Resp. conc. mai. neg min. Ad cuius probationem dic Petrum distingui à Bucephalo per materiam, & per formam: tam enim materia Petri non est materia Bucephali; quam forma vnius non est forma alterius. Aduersarius æquiuocatur inter differre, & distingui materiam Petri distinguitur à ma-

teria Bucephali; sed non propterea differt: vnde sicut diximus in Logica Petrum conuenire cum Bucephalo in ratione animalis, differre autem in ratione talis animalis: ita dicimus in Physica Petrum similem esse Bucephalo secundum materiam, dissimilem autem secundum formam.

Obijc. 2. Sequitur ex conclusione posita hominem, quando est puer, non esse illum eundem, qui fuit infans, nec senem illud eundem, qui fuit puer: cons est absurdum; ergo & ant. Probatur sequela mai. quia ad identitatem hominis huius requiritur non solum identitas. Animæ, seu formæ; sed etiam identitas materiæ: non est autem eadem materia in puero & sene; ergo &c. Maior patet ex dictis. Minor autem probatur: quia per nutritionem adduntur nouæ partes materiæ, & simul aliquæ partes ex præistentibus amittuntur: animal enim aliquid veteris materiæ amittit, aliquid nouę acquirit.

Probatur iam minor primi syllogismi. Nam vnusquisque de se loquitur vt eodem in quacunque ætate. Senex est laudator temporis acti, se puero. Igitur supponit eundem se esse senem qui fuit puer. E conuerso sperat puer fore se aliquid, quando erit senex: suponit igitur eundem se fore senem, qui nunc est puer. Et si quis tibi diceret te non eundem hominem esse, qui fuisti ante quatuor annos, irrideretur.

Resp. hoc argumentum, quod est propter

pter antiquitatem venerabile, etiam militare contra eos, qui ponunt totam qnidditatem in sola forma. Est enim opinio satis communis formas viuentium saltem imperfectorum esse diuisibiles easque augeri, & dimini secundum ætates. serpens igitur aut draco, qui olim non erat maior lucerta, iam autem immaniter creuit, ita vt terreat viatores, non erit idem serpens qui facit. Idem dic de quercu, quæ nunc a nrosa tam altè exurgit, olim vero plantula erat vix semipalmaris. Est ne eadem vel diuersę cum etiam secundum formam tale habuerit incrementum.

Dicendum est igitur multipliciter contingere quod aliquid per maneat, seu perseueret idem, quod erat. Primò dicitur aliquid esse semper idem, eo quòd nullam in se mutationem patiatur, neque secundum substantiam, neque secundum accidens: & hoc modo solus Deus est semper idem, iuxta illud: *Egos Deus & non mutor*: & illud aliud: *sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Ly *non deficient* idem est ac: numquam poterunt deficere. Anni enim Dei non est aliqua dierum succęssio venientium, & abeuntium, vt sunt anni hominum, sed est vnium, & indiuisibile instans, quod est tota æternitas indefectibilis eadem indefectibilitate, qua indefectibilis est est Deus ipse, qui non per infinitam seriem sæculorum, sed per seipsum est sibi sua ęternitas, sicut & quælibet alia perfectio.

Post

Post Deum sunt substantiæ creatæ purè immateriales, videlicet Angeli, qui quamuis secundum suum esse substantiale non varientur per amissionem, aut acquisitionem partium; cum sint substantialiter, indiuisibiles: mutari tamen possunt secundum esse accidentale, acquirendo nouas perfectiones, puta nouas cognitiones, volitiones, vbicationes, & alia huiusmodi, quæ cum perfectissima identitate substantiali perfectissimè compatiuntur. Hinc est quod Angelus quamuis dicere possit; non mutor secundum substantia: tamen nequit absolute dicere; non mutor.

Post substantias purè immateriales est homo substantiarum materialium caput, & princips. Hic non habet perpetuam identitatem sui esse tam perfectam, quam Angeli. Patitur enim mutationem non solum secundum rationem accidentium, in quibus continuò variatur, sed etiam secundum partem sui substantialem, videlicet secundum materiam. Habet autem partem sui precipuam, Animam videlicet rationalem, inuariabilem omninò secundum decrementum, aut incrementum: neque enim putandum est Animam tum in corpore iam longiori, longiorem esse, quã fuerit in curtiori.

Post hominem sunt substantiæ imperfectiores, in quibus quid contingat circa decrementum & incrementum nihil est certi inter Philosophos, sunt enim qui Bruta ipsa in plures classes diuidunt; aientes bruta perfectiora, qualia sunt Elephas, Equus, Asi-

Aſinus, & alia huiuſmodi, habere Animas indiuiſibiles; imperfectiora vero, qualia ſunt ſerpentes, vermes, & alia, quæ dicuntur inſecta, habere animas diuiſibiles. In primis incrementum fieret non ſecundum Animam: ſecus in ſecundis. Quid autem in hac re ſentiendum ſit, nemo hic determinat, niſi qui extra chorum ſaltat. Eſt autem communis ſententia multa ex viuentibus, puta plantas omnes Animabus conſtare diuiſibilibus, eaſque per additionem partis ad partem augeri, decreſcere per detractionem.

H c tamen omnia, non obſtantibus prædictis mutationibus, ex communi modo loquendi dicuntur etiam diuerſis temporibus eadem eſse; idem homo ſenex, quia puer: idem canis, qui catulus; eadem quercus annoſa quæ paruula. Igitur ad ſaluandum quod res ſit eadem, non requiritur quod eadem omninò ſint eiuſdem conſtitutiua. Ex his patet ad argumentum. In forma nega te non eſſe eundem qui fuiſti. Philoſophus ait per motum argumentationis illud idem, quod erat, fieri maius: vnde docet motum vniuerſaliter acceptum rectè diuidi in quatuor ſpecies. Prima eſt generatio quæ eſt motus ad ſubſtantiã: ſecunda alteratio, quæ eſt motus ad qualitatem: Tertia augmentatio, quæ eſt motus ad quantitatem: vltima, latio, quæ eſt motus ad locum.

Apparet ex dictis hominem ſtrictius eſſe eumdem quando ſenex eſt, qui fuit puer; quam

quam sit eadem quercus antiqua, quæ fuit noua. In hac enim mutatio fit secundum materiam & formam, illo solum secundum materiam. Et quia mutatio secundum materiā fit insensibiliter; ideò homo secundum considerationem phycam dicitur simpliciter, & absolutè idem. Hanc identitatem numericam hominis iam grandis cum se ipso olim paruulo exemplificat D. Thomas in igne, qui quamdiu per subministrationem noui alimenti durat, dicitur idem, quamuis continuo fluat materia, ex qua alitur. Longè tamen rigorosius, idem es, qui fuisti; quia mutatio in te non fit nec adeò sensibiliter, nec secundum vtramque tui partem, vt dictum est.

Obijc. vltimò. Ijdem resurgimus, qui morimur: materia non erit eadem in resurgentibus, quæ fuerit in primo viuentibus; ergo materia non pertinet ad quidditatem nostri, Maior est propositio dogmatica, & veritatis indubitatæ: *rursus* enim *circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deū Saluatorem meum*. Minor autem probatur primò: quia qui moritur infans & minimæ molis, resurget in mensura ętatis plenitudinis Christi: hoc est in statura hominis perfecti: sed ad mensuram huiusmodi non sufficit materia, quæ sufficiebat corpusculo infantis igitur resurgit cum alia materia, adeoque cum alio corpore, quam cum eo quod moriens reliquit. Secundo eadem materia fuerit in multis hominibus: puta materia hominis ab alijs hominibus

deuo-

deuorati, fuerit, & in eo qui deuoratus est, & in ijs, qui deuorauerint. Immo cum aliquæ nationis humanis vescantur carnibus, in vno homine materia, quæ fuerit per primam productionem, fuerit etiam in alijs successiuè tum per nutritionem, tum etiam per productionem: cum enim homo generet ex superfluo alimenti, homo deuoratus ab alio superfluet potest alimento deuorantis, & euadere materia alterius hominis generandi de nouo. Cuius igitur erit in illa die vaga illa materia pertinens ad tam multos? Hæc, & alia huiusmodi obijciunt Ethnici contra Mysterium Resurrectionis, vt videre est apud D. Thomam lib. 4. contra Gentes cap. 81. vbi S. Doctor facili labore has omnes difficultates dissoluit.

Resp. igitur quod ita resurgemus ijdem qui morimus, sicut viuimus ijdem qui viximus; & consequenter quoad hoc soluta est difficultas. Hoc enim non impedit vnitatem in homine dum continuè viuit, non igitur impedit vnitatem resurgentis: in corpore autem hominis, quamdiu viuit, non semper sunt eędem partes secundum materiam, nec propterea impeditur quin homo sit vnus numero à principio vitæ vsque in finem. Hæc D. Thomas loco cit. Ad illud de corpusculo infantis respondet D. Thomas quod si quid defuit ad complementum debitæ quantitatis, vel quia aliquis præuentus est morte, antequam natura ipsum ad perfectam quantitatem de-

duce-

duceret, vel quia forte aliquis mutilatus est; aliunde hoc diuina suplebit potentia, nec tamen hoc impedit resurgentis corporis vnitatem, quia etiam operæ naturæ super id quod infans habet aliquid additur aliunde, vt ad perfectam perueniat quantitatem, nec talis aditio facit alium numero: idem enim numero est homo puer, & adultus.

Quoad eos autem, quiscuntur carnibus humanis adeoque in quorum pluribus eadem materia successiuè reperitur; respondet quod si aliquid materialiter fuit in pluribus hominibus resurget in eo, ad cuius perfectionem magis pertinuit. Exemplum ponit in costa, quam ex Adamo sumptam ædificauit Deus in mulierum, & consequenter quæ ab Adamo transmigrauit in Euam. Costam hanc dicit Binus Thomas resurrecturam in Eua, quia magis principaliter fuit in Eua, quam in Adam. Ex eadem rationes pars quæ fuit in generante, & genito, resurget in genito, quod enim superfluum fugit generantis est principalis materia geniti. Quod si quid secundum eandem perfectionem in vtroque fuerit, resurg t in eo, in quo primitus fuerit. Hæc D. Thomas.

Præterea docet Magister in quolibet homine remanere semper partes primigenias, quæ per actionem caloris, aut cuiuslibet alterius qualitatis numquam absumuntur. Vocant autem partes primigenias illas, quibus per generationem, non au-

autem per aggenerationem, seu augmentationem, primo vnita est Anima rationalis; & consequenter hominem, præter identitatem omnimodam formæ substantialis habere etiam semper identitatem omnimodam materiæ primigeniæ: siue eamdem in omni rigore materiam primigeniam.

Hanc Magistri doctrinam confirmare possemus experientia, qua constat periculosissimum esse, atque lethale, quosdam næuos, qui nobis adnascuntur, abscindere; cum cæteroquin sine periculo mortis etiam manus, vel brachium abscindatur. Puta si quis cum dente aprino nascatur ex aliqua matris imaginatione, vt sæpe accidit, sine periculo omnium aliorum dentium iacturam faciet, præterquam aprini. Idem vic de alijs huiusmodi.

QVÆSTIO IX.

De Priuatione.

ARTICVLVS I.

Tam Priuationes, quam Negationes formales nihil sunt.

DEeus ita est simpliciter, & absolutè, vt non possit non esse. Chimera ita simpliciter, & absolutè non est, vt non possit esse. Cætera omnia, vel ita sunt, vt possint non esse; vel ita non sunt, vt possint esse.

Na-

Rationem formalem per quam sunt non esse aliud ab eo quod sunt: demonstratum est vbi de essentia & existentia. Rationem formalem, qua non sunt quando non sunt, rectè inuenerimus, quando nihil esse statuerimus. Non quærimus hic rationem veluti causalem, qua non sit id, quod re ipsa non est, cum tamen posset esse. Scimus enim omnia contingentia esse, vel non esse, seu existere, vel non existere ad placitũ eius, quo volente est id quod est, quo volente non est id, quod non est: adeoque si rogeris cur existat mundus, qui posset non existere, recte respondebis: quia Deus vlt. Si autem rogeris cur non extitit antequam existeret, cum tamen existere potuerit, recte respondebis quia Deus noluit, sed aliud est cur non sit: aliud non esse.

Rursus non esse rei, quæ contingenter non est, vel est non-esse formæ in subiecto, vel non esse rei, non in subiecto, Puta & alius mundus non est, & Antichristus non est, & visio non est in oculo domientis, & calor non est in hoc ligno. Neque alius mundus, neque Antichristus est res natura sua petens esse in alio: neque visio, aut calor est tres petens natura sua non esse in alio; non esse caloris in ligno, lucis in aere, visionis in oculo dicitur priuatio; non esse alterius mundi, aut non esse Antichristi in mundo solet appellari negatio. Hoc idem nomen *Negatio*, applicatur etiã non esse formæ in subiecto tali formæ recipiendæ inepto; V.g. non esse potentiæ

vi-

visiuæ in ligno, dicetur negatio, non esse potentiæ visiuæ, in homine dicetur priuatio. Propterea audies aliquando negationem à priuatione differre, quod hæc sit carentia formæ in subiecto apto, illa verò carentià formæ in subiecto inepto. Vndè aliquando per iocum homo stupidus dicit solet habere, non solum priuationem, sed etiam negationem scientiæ: quod est non solum carere scientia, quod in adolescentibus etiam ingeniosis sine vituperio reperitur, sed insuper capacitate sciendi, quod etiam pueri erubescunt. Negatio tamen etiam de ijs dicitur, quæ ita non sunt, vt si essent, non propterea essent in subiecto, vt patet ex dictis.

Quærimus igitur hic quid sint huiusmodi negationes, & priuationes. In qua quæstione sunt qui negationibus, & priuationibus, vt ita dicam, formalibus cum negationibus, & priuationibus causalibus omninò confusis, nihil aliud intelligunt per non esse cuiuslibet rei, quam quodlibet impedimentum, ne res illa sit, quæ re ipsa non est. Ita si fingas obturari iam fenestras huius scolæ, itaut totus hic aer tenebrosus euadat: non esse lucis in aere, seu priuatio lucis in hoc medio formaliter erunt illa obstacula, vel ignea, vel lapidea, quibus impeditur lux ab ingressu huius scholæ. Et vbi nihil aliud est, aut inueniri potest, a quo impediatur ne sit id, quod esse potest paratum habent Deum prohibentem ne sit, & propterece sustinentem de-

no-

nominationem negationis formalis, vel Antrichristi, vel Apostoli, vel Elephantis, vel cuiuslibet alterius huiusmodi. Ideque ratione decreti liberi, quo hæc omnia excludit ab esse.

Quod autem ita non est vt necssario non sit, hoc est quod impossibile est esse, impeditur per ipsummet Deum formaliter ne sit; qui propterea dicitur esse per suam essentiam negatio omnium impossibilium, per suam voluntatem liberam, eorum contingentium, quæ non sunt. Si igitur consideres Deum decernentem vt non sit Antichristus: habes in huiusmodi decreto negationem formalem Antichristi: si autem eumdem Deum contemplari velis, vi negationem chimeræ, imaginare illum, ita plenitudine suæ essentiæ implenté vniuersum, eiusdemque rimas ita obturantem, vt ne tenuissima quidem chimerarum sese insinuare possit in rerum naturam; ne videlicet magno naturæ malo omnia susdeque vertat. Hanc sententiam excogitarunt ij, quibus visum est non pòsse esse veram vllam propositionem, nisi aliquo existente, quod illam verificet: sicut non potest vllus paries esse albus, nisi aliquo existente, quod illum albificet. Hi sibi ipsis semper cohærentes, quamuis in falso fundamento, dixerunt multas propositiones nec esse determinatè veras, nec determinatè falsas. Et vbi necessitas coegit admittendi verum circa obiecta, quæ numquam sunt, excogitauerunt ideas plusquam Platonicas,

cas, quibus nihil dicendo non tuerentur quidem, sed tueri viderentur sanam doctrinam.

Alij contra admittentes veras esse propositiones innumerabiles nullo vmquam existente obiecto, per quod verificentur, nescio qua incohærentia istis propositionibus: *Chimera est impossibilis. Antichristus non est. Aer est tenebrosus. Cæcus non videt*, vt veræ sint, dixerunt assignandum esse obiectum per quod veræ sint: quod obiectum reipsa existat. Adeoque diuina essentia per seipsam verificat hanc propositionem: *Chimera non est*, & *Chimera est impossibilis*: voluntas autem libera Dei verificat has alias: *Aer est tenebrosus. Cæcus non videt*: cum sit formalis priuatio lucis in aere; visionis in cæco, & sic de cæteris.

Dicendum est tamen. Incomposibile, cum re, quæ non est, non nisi per tropum dicitur negatio rei. Negationes autem, & priuationes, vt aiunt, obiectiuæ, proprie loquendo nihil sunt.

Hæc conclusio est expressa sententia Augustini latè illam explicantis tum in libro de Beata Vita: tùm in lib. de Gen. contra Manichæos, tum alibi passim. En eiusdem verba in libro de Beata vita. *Nescio quomodo dicamus habet egestatem, aut habet stultitiam. Tale est enim, ac si locum aliquem, qui lumine careat, dicamus habere tenebras: quod nihil est aliud, quam lumen non habere. Non enim tenebræ quasi veniunt, aut recedunt; sed carere lumine hoc ipsum*

est iam tenebrosum esse ; vt carere veste, hoc est esse nudum. Non enim veste accedente, veluti aliqua res mobilis, nuditas fugit. Sic ergo dicimus aliquem habere egestatem: quasi dicamus habere nuditatem. Egestas enim verbum est non habendi. Quamobrem vt quod volo explicem sicut possum, ita dicitur ; habet engestatem, quasi dicatur : habet non habere. Hæc Augustinus, quibus nihil aut pressius, aut elegantius dici potuit ad veritatem.

Ex his habes ipsum non esse rei, quæ negatur, non esse aliquid, multo minus esse ipsam rem, quæ negatur: vnde ineptum est dicere tenebras, v.g. esse lucem, quæ negatur: aut nuditatem esse vestem, quæ negatur. Vestis enim, quæ negatur quando homo dicitur nudus, est illa eadem, quæ illi tribuitur, quando dicitur vestitus: sicut sapientia, quæ negatur quando aliquis dicitur stultus, est illa eadem, quæ ponitur, quando aliquis dicitur sapiens. Non igitur rectè dixeris ignorantiam secundum id pro quo supponit, esse sapientiem; secundum autem id quod significat, esse voluntatem Dei; bene autem hanc vocem: *ignorantia* [supponere enim & significare de vocibus dicitur, non de obiectis) non supponere pro vlla re; significare autem sapientiam quam excludit, vel subiectum à quo excludit sapientiam, vel vtrumque.

Hoc idem explicat idem Augustinus de Genesi contra Manicheos cap. 4. *Vbi lux non est* [ait ille] *tenebræ sunt; non quia ali-*

aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed vbi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore, vbi tegumentum non est, nuditas dicitur: & inanitas non est aliquid, sed locus vbi corpus non est, inanitas dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed vbi lux non est, tenebre dicuntur. Hoc ideo dicimus, quia solent dicere: vnde erat ipsa tenebræ super abyssum antequam facere Deus lucem? Quis illas fecerat, vel genuerat? Aut si nemo fecerat, vel genuerat eas; æterna erant tenebræ, quasi aliquid sint tenebræ. Hæc Augustinus, & post aliqua alia: *Sicut autem silentium nihil est, sic & tenebræ nihil sunt.*

Hoc argumento expugnantur, qui priuationes, & negationes identificant, vel cum aliquo ente positiuo, vel cum quolibet alio genere entis, quod sit distinctum à nihilo, siue illud vocetur abusinum, siue diminutum. En argumentum Manichæi. Tenebræ erant super faciem abyssi: ergo aliquid erat super faciem abyssi: rursus illud aliquid, vel est genitum; vel ingenitum; si genitum, quis illud genuerat? cum de Deo non dicatur quod illud genuerit; cuius tamen vniuersa creatura hic enarratur; est igitur quid ingenitum, & consequenter quid æternum: vel si genitum, ab alio genitum, quam à Deo, qui & lucem, & alia genitur, quæ ibi exponuntur, vbi dicitur. *In principio creauit Deus, &c.* Ex quo rursus infert in quod

vnicè intendit; videlicet quod quemadmodum est quoddam principium, quod fecit lucem: ita est aliud principium, quod fecit tenebras: & quia lux est bonum, tenebræ autem malum: dantur duo principia, vnum bonorum, alterum vero malorum omnium.

Hæc omnia Manichæorum machinamenta paucis euertit Augustinus, negando primam consequentiam in hoc enthimemate: Tenebræ erant super faciem abissi; ergo aliquid erat super faciem abissi. Nam esse tenebras non est esse aliquid: sicut enim dixit superius: egestas est verbum non habendi: vnde si habes egestatem habes non habere; ita tenebræ sunt verbum non essendi; vnde si sunt tenebræ super abyssum, est non esse super abyssum. Qui autem cum Manichæis clamat; quid est illud non esse, & quis fecit illud? ridiculus est, nec aliam responsionem meretur.

Hanc Augustini responsionem nequit afferre, qui priuationes & quælibet non entia identificat cum ente abusiuo, aut quolibet alio ente reali. De hoc enim iure suo petit Manichæus responderi sibi quid nam illud sit, & quisnam illud fecerit; cum nonnisi ridiculè quæri posit quisnam fecerit non ens. Dicere autem id quo supponit priuatio non esse; id autem quod significat non esse aliquid factum, petit iterum explicari quid sit illud, pro quo supponat; Si respondeatur esse id ipsum quod negatur, puta esse lucem; contra est: quia

lux

lux eſt creatura, cum tamen tenebræ non ſint creaturæ: dum autem dicitur, quod tenebræ non ſunt creatura, nec aliquid; hoc dicitur de *tenebris* ſecundum id, pro quo ſupponit hæc vox: *tenebræ*: quod nihil eſt aliud dicere, quam *tenebræ* non ſupponere pro aliqua re. Si autem dicatur tenebras ſecundum id quod ſignificant, eſſe aliquid, rectè quidem dicitur, ſi id intelligitur quod intelligimus nos, videlicet hanc vocem *tenebræ* non ſupponere quidem pro vlla re; ſignificare autem vel ſubiectum, vel formam excluſam à ſubiecto, vel vtrumque ſed tunc de re ſignificata ineptè dicitur, quod non ſit aliquid; ſicut & inepte illud idem diceretur ſi pro re ſignificata acciperetur voluntas Dei, quod nec venit, nec venire potuit in mentem Auguſtini.

Denique vlterius probabitur hæc noſtra concluſio argumentorum ſolutione.

ARTICVLVS II.

Reſpondetur obiectionibus.

OBijc. 1. ſi priuationes, & negationes nihil ſunt; ſequitur inter priuationem ſapientiæ, & priuationem auditus non dari vllam differentiam; conſeq. eſt abſurdum; ergo & antec. Sequela mai. probatur: quia tam ignorantia, quam ſurditas nihil eſt; inter nihil & nihil non datur vlla differentia; ergo inter ignorantiam, & ſurditatem non datur vlla differentia. Pro-

batur autem minor: quia si inter ignorantiam, & surditatem non datur differentia, esse surdum non est aliud, quam esse ignorantem, nec esse ignorantem est aliud, quam esse surdum. Hoc autem dicere est ignorantis.

Resp. neg. seq. mai. Nam vt docet D. Thomas secunda secundæ qu. 87. art. 2. corp. omnis defectus, seu priuatio speciem sortitur secundum habitum oppositum: differunt enim cæcitas, & surditas secundum differentiam visus, & auditus. Idem dic de quibuslibet alijs huiusmodi. Ad probationem dic vnum nihil ab alio nihilo non differre secundum id, pro quo supponunt voces ipsorum significatiuæ; quia nec vnum, nec alterum, nec vtrumque simul est aliquid: iuxta illud, zero cum zero facit zero: differunt tamen secundum id, quod prædictæ voces significant, hoc est secundum formam, seu rem, per ordinem ad quam concipiuntur.

Obijc. 2. quod est aliquod bonum est aliquid: aliqua negatio est aliquod bonum; ergo aliqua negatio est aliquid. Maior est euidens. Min. probatur per illud Christi Domini dictum de Iuda: *Melius illi erat si datus non fuisset homo ille*; quo dicto probatur non solum futuram fuisse aliquid boni negationem Iudæ, sed etiam futuram fuisse aliquid melius, quam ipsemæt Iudas. Vnde roboratur argumentum. Iudas, seu existentia Iudæ est aliquid boni; negatio existentiæ Iudæ est melior existentia Iudæ,

ergo

ergo à fortiori negatio existentiæ Iudæ est aliquid boni. Maior est euidens: quis enim neget hominem, etiam malum esse aliquid boni? Immo ijs, qui mirantur homines malos sustineri à Deo, respondet Augustinus, mirandum potius esse quod sustineat bonos equos, quam quod sustineat malos homines; cum certum sit, inquit, hominem malum esse quid melius, quam equum bonum. Min. est Euangelica. Conf. est euidens: quod enim est melius bono, euidenter est bonum.

Resp. quod hoc dictum Christi Domini multipliciter explicatur, & à multis non explicatur, sed magis implicatur. Res tamen est satis facilis: vnde omissis aliorum explicationibus, sit nostra hæc. Iudas existens est aliquid boni cum magno malo: est enim aliquid boni in genere boni physici cum magno malo in genere mali moralis. Loquitur enim Christus de Iuda, vt proditore. Si autem Iudas non existat, non existit neque illud bonum in genere boni physici, neque illud malum in genere mali moralis. Suppone autem hic pro certo malum morale in sua malitia vincere ex toto genere bonitatem in genere boni physici; vnde si omne bonum in genere physico comparetur cum leuissimo malo in genere morali, illius bonitas superabitur ab huius malitia; hoc aque certum est, ac certum est omnes asinos non esse tantum boni, quantum boni est vel minimus homo.

Ex his manifestum est, quod existente

Iuda proditore, tantum mali habes in scelere, vt bonitas ipsius Iudæ in genere boni physici nullo modo compenset illud malum, adeoque plus incomparabiliter mali habes, quam boni. Rursus illud malum in genere moris, Iuda non existente, non habetur; malum enim huiusmodi non habetur, nisi existente subiecto, cui debetur bonum oppositum, & eodem à tali bono sponte, & libere recedente. Melius est autem non existere illud subiectum cum tanto malo, hoc est cum priuatione talis boni, quam existere; hoc est minus malum est non existere Iudam, quam dari cum Iuda priuationem boni, in qua consistit illud malum, propter quod dicitur: *Melius ei erat si natus non fuisset homo ille.*

Sic autem dicitur melius non esse ipsum simul cum malo, quam omnino non esse; quia omnino non esse est minus malum, quam esse cum culpa: quamuis nec non esse, nec non esse cum culpa dicat vllum bonum; sed minus malum in comparatione maioris, nomen boni non semel obtinuit: vnde si ægrotantem amicum conuenias putans illum peste laborare, & audias illum non peste, sed leui febricula torqueri: lætaris quasi de bono amici, dicisque & sine scrupulo: melius est illum febri teneri, quam peste. Quamuis nec febris bona sit, nec pestis. Eodem modo melius est te non esse, quam esse cum culpa: quia te non existente, deficit quidem aliquid boni, sed in genere physico, & quidem indebiti: te autem exi-

existente cum culpa, hoc est sine iustitia, deficit magnum bonum in genere moris, & quidem debitum eo ipso quod sis; teneris enim esse bonus.

Ex his patet ad argumentum. In forma concede maiorem, nega minorem. Ad probationem distingue: melior est negatio existentiæ Iudæ quomodocumque quam existentia Iudæ: nega: negatio existentiæ Iudæ cum culpa, quam existentia: iterum subdistingue: melius vt minus malum, quã esset malum negatio existentiæ: concede, alio modo, nega. Minus malum est non existere Iudam, quam non existere cum existentia Iudæ Iustitiam debitam Iudæ. Hæc doctrina consonat omninò doctrinæ Augustini, vbi agens de malo etiam in genere moris minus malum respectu maioris appellat melius. Puta: melius est te mentiri vt prosis, quam vt noceas: cum tamen certissimum sit, & ipsi Augustino indubitatum semper malum esse mentiri. Huiusmodi comparationes inter mala, & mala, siue in eodem, siue in diuerso genere habes satis frequentes in eiusdem Augustini Enchiridio. Sæpissime enim vbi dici posset; hoc est maius malum, illud deterius; habes hoc est melius, illud deterius. Ex quo vides non valere; hoc est melius, ergo est bonum.

Philosophus etiam in libris de Cœlo docet aliquid dici de subiecto comparatiue, quod tamen dici nequeat absolute; u. gr. recte dixeris: aer est grauior igne: aqua

est leuior terra: quamuis nec recte dixeris: Aer est grauis, aqua est leuis: Elementorum enim duo grauia sunt terra, & aqua; duo leuia, ignis, & aer.

Obijc. 3. Ista propositio: datur nunc negatio Antichristi: est vera. Item si media nocte dixeris: nunc sunt tenebræ, dixeris verum: g. & nunc existit negatio Antichristi, & media nocte existunt tenebræ. Conseq. probatur; quia hæc propositio: datur nunc negatio Antichristi, & aliæ similes affirmant existere negationem Antichristi, & alias negationes, & priuationes rerum; quæ negantur, g. si sunt veræ, debent huiusmodi negationes, & priuationes existere. Probatur secundum antec. quia prædictæ negationes affirmant aliquid existere per quod sint veræ [voco hic negationes propositiones negatiuas) non nisi negationes, aut priuationes obiectiuas, g. affirmant existere negationes, & priuationes obiectiuas. Hoc vltimum argumentum probat etiam has propositiones: *non existit Antichristus: non est lux*, veras esse per aliquid quod sit negatio Antichristi, negatio lucis, &c.

Resp. totum hunc discursum penitùs abire in nihilum per doctrinam Philosophi partim adductam alibi, partim huc adducendam. Dictum est alibi. *Eo quod res est, aut nõ est, propositio vera, vel falsa dicitur*, quod principium omnibus habentibus intellectum est euidens. Est autem etiam euidens quod non esse rem, non est formaliter esse aliam rem incompossibilem cum ipsa;

Pu-

Putà non esse Antichristum non est formaliter esse aliam rem incompossibilem cum Antichristo. Demonstratur hoc. Quia Deo nullam rem faciente verum est: non est Antichristus; falsum est: est alia res incompossibilis cum Antichristo: igitur non esse vnam rem non est formaliter, imò nec consequenter esse aliam rem incompossibilem cum ipsa. Est igitur verum: non est Antichristus per hoc præcise, quod non sit Antichristus: adeoque habes iam vnde sit vera negatio, seu propositio negatiua circa existentiam Antichristi. Idem dic de cæteris huiusmodi. Hæc responsio est simul conclusionis probatio.

Ad alias propositiones, quæ videntur affirmatiuæ iam dictum est, Idem enim est: datur negatio Antichristus, & datur tenebræ, ac, non datur Antichristus, &, non datur lux. Vt tamen ad prædictas propositiones breuiter respondeas: distingue: datur negatio Antichristi, dantur tenebræ, in esse rei: nego; in esse veri: concedo. Non dantur in esse rei; quia non est aliquid quod sit negatio, aut priuatio. Dantur in esse veri, quia verum est, non esse Antichristum; non esse lucem. Huc facit quod habes apud D. Thomam 1. parte quæst. 48. art. 2. ad secundum. *Ens dupliciter dicitur: secundum quod significat entitatem rei, prout diuiditur per decem prædicamenta, & sic conuertitur cum re, & hoc modo nulla priuatio est ens. Alio modo dicitur ens, quod significat veritatem proposi tionis, quæ in cōpositione*

consistit, cuius nota est hoc verbũ est, & hoc est ens, quo respõdetur ad quæstionem an est. Et sic cæcitatem dicimus esse in oculo.

Vides secundum Doctorem Angelicum quid respondeas huic argumento cęcitas uere est in oculo Petri. Surditas in aure Pauli, & sic de cæteris: ergo & cæcitas, & surditas, & alia huiusmodi sunt aliquid. Probatur consequentia, quia nec Petrus per seipsum est sua cæcitas, nec Paulus per seipsum sua surditas, Ergo & cæcitas Petri est aliquid supra Petrum, & surditas Pauli est aliquid supra Paulum. Concedit D. Thomas antecedens, & negat consequ. uel distinguit consequens: cæcitas, & surditas sunt aliquid in ratione rei: negat: in ratione ueri: concedit. Petrus non est cæcus per aliquid quod habeat, sed per hoc quod non habeat aliquid, quo sit uidens. Non est igitur cæcus per aliquid sibi superadditum, sed per aliquid quod ipsi desit, siue potius per hoc, quod aliquid ipsi desit, quod est esse cæcum non per habitum sed per defectum.

Dices: debet dari aliquid distinctum à Petro quod sit cęcitas Petri, hoc non potest esse nisi formalis priuatio potentiæ uisiuæ in Petro: g. debet dari formalis priuatio potentiæ uisiuæ. Sed hæc formalis priuatio nequit esse nisi uel aliqua forma incompossibilis cum potentia uisiua intrinseca subiecto, uel aliqua uoluntas Dei remouens à Petro potentiam visiuam: ergo illa cæcitas Petri consistit formaliter uel in for-

forma recepta in Petro incompoſſibili cum potentia viſiua, vel in aliqua voluntate Dei remouente à Petro potentiam viſiuam. Propterea aliqui vocant cæcitatem formalem vel qualitates receptas in organo impeditiuas viſus, vel decretum Dei remotiuum viſus à Petro.

Reſp. quod neque prædicta forma intrinſeca organo, neque decretum Dei formaliter excæcant Petrum. Et potius dicerem cæcum videre: quam voluntatem Dei eſſe formalem cœcitatem cœci. Voluntas Dei & excœcat & facit videntem Petrum in genere cauſæ efficientis, non autem in genere cauſæ formalis. Facit videntem dando potentiam videndi, facit cæcum illam eandem non dando; tam autem non eſt ratio formalis qua ſit cæcus: quam non eſt ratio formalis qua ſit videns. Quod ſi quæras quid ſit ratio formalis qua ſi cæcus? iam dictum eſt non eſſe cæcũ per hoc quod ſit aliquid, ſed per hoc quod non ſit aliquid in ipſo. Si igitur quæris rationem formalem cæcitatis in eſſe rei: nego ſuppoſitum: ſi in eſſe veri: reſpondeo: quia non habet potentiam viſiuam. Si vlterius quæratur quid ſit non habere, interroga quid ſit habere, & reſponſioni quæ dabitur adde particulam *non*: nec aliud reſpondeas, niſi forte mutandus ſit ſermo è latino in italicum, vel aliquem alium prout ſors feret.

Aduerte autem hic nos de priuationibus loqui ſecundum quod dicunt de non eſſe. Non enim dubitamus denominationes pri-

ua-

uatiuas ponere aliquid in natura; cum ponant subiectum & in subiecto aptitudinem ad formam, quæ per huiusmodi denominationes excluditur: puta denominatio cæci ponit in natura animal, cum aptitudine ad potentiam visiuam, idem dic de cæteris Non tamen idem dices circa denominationes pure negatiuas. Hæc enim propositio *non datur Antichristus*: aut huic æquiualens: *datur negatio Antichristi* nihil ponit, vt patet ex dictis.

Ad argumentum in forma distingue: Petrus per aliquid à se distinctum, &c. distinctione entis ab ente: nego; distinctione non entis ab ente; omitto. Cæcitas Petri non superaddit aliquid Petro, sed aliquid tollit à Petro, adeoq; cęcus est, non per aliquod esse, sed per aliquod non esse seu per defectum alicuius esse.

Dices, ergo Petrus per se ipsum præcise est cæcus. Probatur consequentia: quia ad hoc vt Petrus sit cæcus nihil debet superaddi Petro; ergo Petrus per seipsum præcise sustinet denominationem cæci. Probatur conquentia comperando hanc denominationem *homo* cum hac alia denominatione *albus* respectu eiusdem Petri. Denominatio hominis in tantum conuenit Petro præcise secundum se accepto, in quantum non habet esse hominem per aliquid sibi superadditum: denominatio autem albi in tantum non conuenit Petro secundum se præcise accepto, in quantum conuenit illi per aliquid ipsi superadditum: sed denomi-

mi-

minatio cæci conuenit Petro sine vlla re superaddita, non autem per aliquid superadditum; ergo ita Petrus est per seipsum præcise cæcus, sicut est per seipsum præcise homo.

Resp. negando consequentiam. Ad probationem nego maiorem. Denominatio hominis nec ponit nec excludit; seu potius nihil dicit aut ponendo aut excludendo supra rationem Petri; ideoque dicitur præcisiua, etiam dum dicitur de Petro vt patet ex alibi dictis? denominatio autem cæci non est præcisiua sed exclusiua, adeoque ita nihil ponit in Petro vt excludat à Petro id quod secundum se est debitum Petro. Petrus secundum se & secundum rationem hominis præscindit à vidente & cæco: denominatio videntis ponit aliquid supra Petrum, debitum Petro; denominatio cæci tollit à Petro illud idem, videlicet potentiam visiuam. Idem hoc argumentum sed aliter personarum sic obiici posset.

Obijcitur itaque 4. ista propositio: *non datur Antichristus* per seipsam præcise est indifferens vt sit vera vel falsa: g. per aliquid à se distinctum debet determinari ad rationem veræ vel falsæ: si Antichristus est, per existentiam Antichristi contrahitur ad rationem falsæ; si autem Antichristus non est, contrahitur ad rationem veræ per non esse Antichristi: g. non esse Antichristi est aliquid. Probatur hæc vltima conseq. quia si non esse Antichristi nihil sit, hæc propositio per nihil contrahitur ad rationem ve-

ræ

te implicat autem in terminis propositionem indifferentem ad verum & falsum determinari ad verum potius quam ad falsum & per nihil determinari ad verum potius quam ad falsum. Confirmatur per hanc illationem quæ videtur innegabilis: nihil determinat hanc propositionem ad verum potius quam ad falsum, ergo hæc propositio non est vera potius quam falsa; Esset mirabile si concederetur antecedens & negaretur conseq. sicut esset mirabile hoc aliud nihil est quod te determinet ad esse potius hic quam alibi, ergo non es potius hic quam alibi. Dicendum est igitur vel propositiones negatiuas &c.

Resp. hanc obiectionem esse solutam vbi diximus cum Philosopho, *eo quod res est vel non est, propositio vera vel falsa dicitur.* Non est igitur per seipsam præcisæ vera; quandoquidem ad sui veritatem exigit vt non sit res quam negat. Quod seipso præcise est tale, siue detur, siue non detur aliud est tale: quod autem exigit vt detur vel non detur aliud vt sit tale, eo ipso non est per seipsum præcise tale. Ad argumentum in forma, concesso antecedenti, distingue consequens: debet, &c. per aliquid à se distinctum per modum entis; nega, distinctum per modum non entis, conc. conf. Ad probationem patet ex dictis. Ad probationem vltimæ consequentiæ; distingue: propositio per nihil contrahitur ad rationem veræ, si si nihil accipias præcisiue: nego; si exclusiuè; concedo. Veritas enim propositionis

prædi-

prædictæ non præscindit ab esse & non esse, sed excludit esse obiecti quod attingit. Non est igitur dicendum propositionem negatiuas per seipsas præcise esse veras; quandoquidem ad veritatem sui exigunt vt non sit in natura res quam negant. Hæc etiam dicendum est eas ad veritatem sui exigere vt existat aliquid per quod sint verę, quandoquidem per hoc sunt verè formaliter quod non sit res per ipsas negata.

Replicabis:g. veritas est in sola propositione;ergo non est partim in propositione, partim in obiecto.

Resp. distinguendo consequens;est in sola propositione, si li *sola* sonet exclusiue; concedo, si præcisiue; nego; ad vltimum consequens distingue: non est partim in propositione partim in obiecto: quod sit: concede; in obiecto quod non sit: nega. Denominatio veri cadit supra propositionem comparatiuè ad obiectum. Si neget esse obiectum. & obiectum sit:est falsa: & illa falsitas habetur formaliter per propositionem & existentiā obiecti. Si autem neget dari obiectum, & reipsa obiectum non detur; vera est, & veritas habetur per hoc quod propositio sit, & non sit obiectum aduerte veritatem,quamuis consistat in propositione,& obiecto,& esse tamen denominatiuè in sola propositione.

Obiicitur 5. Est impossibile quod neque existat Antichristus neque negatio Antichristi; nunc non existit Antichristus;ergo existit negatio Antichristi. Minor est certa,

tà. Maior probatur; quia necesse est alterũtrum ex contradictorijs dari: Antichristus & negatio Antichristi sunt contradictoria, ergo necesse est vel dari Antichristum, vel negationem Antichristi. Maior secundi syllogismi est primum principium: impossibile enim est aut vtrumque contradictorium simul dari, aut neutrum; iuxta illud: *quodlibet est vel non est*, quo principio vsi sumus in Logica ad probandum propositionem etiam de futuro contingenti esse vel determinate veram vel determinate falsam.

Resp. negando mai. Ad probationem distingue maiore: necesse est alterum ex contradictoriis dari in esse veri: concedo; in esse rei: nego suppositum. Insinauauimus in Logica falsum esse, quo aliqui putant, dari contradictoria obiectiua: itaut propositiones contradictoriæ obiecta etiam contradictoria respiciant. Propositiones sunt contradictoriæ per hoc quod ambæ circa idem versentur, vna affirmando & altera negando. Qui dicit: *Antichristus est*; respicit Antichristum: & qui dicit: *Antichristus non est*; eundem respicit Antichristum; primus affirmando, secundus negando. Qui autem dicit: *est negatio Antichristi*, vel dicit falsum, si affirmet existentiam negationis obiectiuæ; vel si dicit verum; ideo dicit, quia facit sensum secundò intentionalem: videlicet: *verum est non esse Antichristum*: in quo sensu docet ex Philosopho D. Thomas accipi nonnumquam *est*.

Obi-

Obiicies insuper: forma incompossibilis cum alia forma recte dicitur exclusiuum formale alterius formæ, sed exclusiuum formale alterius formæ est priuatio alterius formæ; ergo forma incompossibilis cum altera forma recte dicitur priuatio alterius formæ. Maior probatur inductione. Calor dicitur exclusiuum formale frigoris. Nigredo albedinis & sic de cæteris.

Resp. distinguendo maiorem: est exclusiuum formale per modum contrarii: concedo; per modum contradictorij; nego. Nunquam inuenies calorem & frigus appellari contradictoria. Appellantur autem contradictoria calor & non calor; quia affirmatio & negatio caloris: hoc est duæ propositiones quarum altera sit: *est calor*; altera: *non est calor* sunt contradictoriæ. Contradictio igitur non est in re, sed in dictione vt apparet ex hoc ipso vocabulo: *contradictio.*

ARTICVLVS VLTIMVS.

Inferuntur aliqua ex dictis.

INferes primo priuationem, quam diximus esse principium rei naturalis in fieri per modum termini à quo, sustinere rationem principij per ipsammet rationē formalem priuationis, secundum id quo dicit de non esse. Vnde recte diximus subiectum in mutatione substantiali transire à non forma ad formam. Hanc ratione termini à quo vix sustinebis in aliena sententia. Neque

que enim recte dixeris subiectum transire à decreto Dei ad formam; aut à forma quæ non est, ad formam quæ fit; forma enim quæ ante non est, & postea est, non sunt duæ formæ, neq; duæ res, & consequenter non sunt duo principia quorum alterum sit terminus à quo alterum autem sit terminus ad quem: oportet igitur vt ipsum non esse sit terminus à quo. Ipsum autem non esse non est forma, vt patet ex terminis. Sed neque potest esse terminus à quo ipsummet decretum Dei, & consequenter, nequit esse ipsummet formale non esse formæ, secundum rationem secundum quam est terminis a quo: est enim ineptum dicere tria esse principia corporis naturalis in fieri; materiam, formam, voluntatem Dei.

In priuatione; si accipias (aiunt qui confundunt obiecta cum vocibus) id pro quo supponit, est ipsamet forma quæ non est: si autem id quod significatur, est voluntas Dei; quæ propterea recte dicitur ipsummet formale non esse formæ quæ negatur. Verum vtrumlibet ex his accipias, inepte assignas principium rei in fieri: nec enim forma quæ non est, recte assignatur sit principium distinctum à forma quæ postea est: nisi reduplices supra ipsummet non esse ipsius si autem ita reduplices, vel reduplicas supra nihil, vel supra decretum. Si supra decretum: absurde reduplicas, cum absurde ponatur pro principio intrinseco rei in fieri; supra nihil; recte quidem reduplicas, sed veniš in nostram sententiā assignando

do

do pro priuatione purum nihil: Reipsa dum defendũt principia ita philosophantur; neq; enim nostrum est, sed omnium id quod ibi diximus formã fieri ex nihilo sui, quamuis non ex nihilo subiecti: sed huius responsionis, aut signficati per hanc responsionem deinde obliuiscuntur & quidlibet aliud dicunt de priuationibus.

Inferes 2. quod quamuis voluntas Dei recte adscribit posset pro verificatiuo huius prositionis: *est lux*, non tamen recte adscriberetur pro verificatiuo huius alterius; *non est lux*, ratio à priori euidens est; quia re ipsa vt sit lux requiritur voluntas Dei; est enim impossibile aliquid de facto existere, nisi Deo positiue volent vt existat; at vero vt aliquid non sit, sufficit vt præcise non velit, siue sit non habeat voluntatem vt res illa sit. Hinc est, quod diximus; quod entis recte quæritur causa; non entis autem inepte. Vt sis, oportet Deum velle vt sis: vt autem non sis, non oportet velle vt non sis, sed sufficit non velle vt sis. Hoc facile intelliges si videas differentiam quæ est manifesta inter nolle & non velle. Voluntas potest velle aliquod obiectum; potest non velle; potest & nolle: tam velle quam nolle exercetur per actum elicitum voluntate: tam enim nolle est actus voluntatis, quam velle: ipsum autem non velle recte intelligitur sine vllo actu; puta dormiens nec elicit actum quo velit, nec actum quo nolit, & tamen de dormiente recte dixeris ipsum non velle.

Si

Si igitur intelligas Deum præcisè non decernentem vt sit lux, non continuo intelligis Deum decernentem vt non sit lux, per hoc autem præcise, quod non decernat, deficit vene sit lux; nec tamen habetur vllus actus voluntatis diuinæ remouens lucem ab esse & consequenter voluntas Dei non requiritur neque vt formale, neque vt causale verificantuum propositonis negatiuæ.

Quod dictum est de te dormiente, dic de te etiam vigilante. Vigilans enim potes & habere actum quo velis; & habere actum quo nalis; & vtroque carere: neque enim ex eo quod nunc non habeat actum quo velis Imperium Turcarum, recte arguetur te habere actum quo nolis: idque etiamsi contes de Imperio Turcarum. Eodem modo etiamsi Deus omnia contingentia cognoscat; ex eo quod non habeat actum quo velit alium mundum, male inferes: ergo habet actum quo nolit; neque ex eo quod alius mundus non sit, recte inferes Deum habere actum quo nolit: recte autem; non habere actum quo velit; ad hoc enim vt res non sit, non requiritur formaliter vt nolit, sufficit vt non velit: sicut ad hoc vt res aliqua fiat, requiritur vt Deus influat: vt non fiat; non requiritur aliud genus influxus, sed sufficit vt non influat. Negatio illa omnis actus hoc est tam volitionis quam nolitionis vocatur omissio, de qua disputatur ex professo in libris de Anima à Philosophis, vel in tractatus de acti-

bus

bus humanis à Theologis controuertentibus inter se an sit possibilis pura omissio libera. Hanc litem non diriminus hic; sed solum dicimus quod intellecta omissione huiusmodi in voluntate diuina, eo ipso non est obiectum, seu non existit in rerum natura res illa, quam implicat existere nisi volente Deo.

Inferes 3. non dari causam siue motiuum non videndi hic Elephantem: quia non visionis non datur causa neque motiuum. Recte tamen dicis; *ideo apertis oculis non video hic Elephantem, quia Elephas non est hic*: qua oratione significas te non ex defectu potentiæ, vt accidit Cæco, sed ex defectu obiecti non videre Elephantem, quem, si adesset, videres. Sicut autem defectus obiecti, ita nec defectus visionis est aliquid, nisi in esse veri. Ex hoc autem quod sit aliquid in esse veri, recte inferes esse quid cognoscibile, cum omne verum sit cognoscibile.

Quærenti autem per quid determineris ad hunc actum *Non est hic Elephas*; dic te determinari à specie Elaphantis vel casu, vel per interrogationem, vel quolibet alia modo excitata cum negatione Elephantis hic: quæ species in circumstantia opposita, hoc est cum existentia Elephantis hic determinaret ad actum oppositum. Ad hunc autem alium; *Non video Elephantem*, determinaris à specie visionis & Elephantis cum negatione vtriusque, determinandus ad oppositum per easdem species in

cir-

circumstantia opposita. Roganti quomodo influat in actum non esse Elaphantis aut visionis, negatur suppositum; aliud enim est quod *non esse* influat, aliud quod species oppositi esse in circumstantijs ipsius non esse determinet potius ad hunc, quam ad oppositum actum. Hoc modo idem ventus in absentia Naturæ, quæ nihil est, determinat nauim ad hunc; in præsentia eiusdem, & eodem concurrente, ad oppositum motum.

Ex his obiter nota Cęcum qui aliquando vidit, cognoscere se non videre secundum rationem propriam videndi; habet enim species proprias visionis: cæcum autem à natiuitate non cognoscere se non videre nisi ænygmaticè; quia non habet species nisi ænygmaticas visionis, acquisitas videlicet per auditum aut alios sensus in quibus nequit esse visio secundum species proprias visionis. His autem qui petunt quid sit non videre, quid sit non esse, responsum est supra.

Inferes 4. Nonnisi absurde quæri rationem cur impossibile non existat: cum ex ipsomet suo conceptu quidditatiuo excludat se ab esse, quemadmodum igitur necessarium simpliciter est sibi sua ratio essendi; adeoque in sui definitione includit formaliter ipsummet esse; ita impossibile est sibi suaratio non essendi, & in sui quidditate includit sui non esse? dicitur enim; *id cui repugnat existere*. Propterea dicimus impossibile esse formalissime negationem

sui

sui ipsius : non quod neget se esse id quod est : puta se constare ex prædicatis repugnantibus : nam hoc modo nec ipsum, nec vlla alia res, est negatio ipsius ; sed quia per hanc ipsammet sui quidditatem habet non solum non esse, sed non posse esse. Putamus autem absurdū ponere aliquid physicè, vt excludat ab eodem esse, id cui per se seipsum formaliter repugnat esse. Hinc negatio obiecti impossibilis est necessaria in esse veri : impossibilis in esse rei. De hoc valet illud quod in multis alijs importune dicitur : si esset, esset & non esset ; quod probatur ex eo ipso quod esset ; nam impossibile est non esse sui ipsius, igitur si esset esset eo ipso non esse eiusdem : sed per hoc formaliter quod sit non esse eiusdem, ipsum non est, ergo eo ipso quod esset non esset : sed ex hypothesi esset, ergo esset & non esset. Hinc negatio intrinseca obiecti impossibilis dicitur negare seipsam ; hoc est excludere se ipsam ab esse, quia ipsummet impossibile est negatio sui, hoc est, est sibi sua impossibilitas ; aliæ autem negationes dicuntur negare terminum cuius sunt negationes ; quæ propterea dicuntur ponere intransitiue seipsas, tollere autem transitiue aliud. Melius dices; negationes nihil ponere cum nihil sint, vt dictum est satis.

Inferes 5. quomodo intelligendum sit id quod habes ex D. Thomas in qq. de Verit. *Extra animam duo inuenimus, rem ipsam, & priuationes, & negationes rei.* Sensus est non minus denominationes priuati-

uas, seu negatiuas quam positiuas aut affirmatiuas esse indepédenter ab actibus intellectus, & in hoc sensu reales. Puta tam realiter Homerus est cæcus, quam Virgilius est videns. Non quod æque per formam quæ insit, aut aliquid aliud quod sit, ille cęcutiat, quam per formam quæ inest, hic videt, sed quia tam ille independenter ab intellectu visu caret, quam hic visum habeat. De negationibus iterum sermo incidet in quæst. de Infin. & de Mundo.

QVÆSTIO X.

De Vnione.

ARTICVLVS I.

Ponuntur aliquæ conclusiones.

PRæter formam quæ dicitur ratio quod quid est esse rei, diximus ad quidditatem substantiæ pertinere & materiam. Ex his duabus tamquam ex potentia, & actu tota substantia constat. Controuertitur autem an præter vtramq; requiratur tertium quid, quod sit nexus & vinculum vtriusq; Sunt qui affirment, sunt qui negent.

Ad resolutionem controuersiæ notandum est quod docet D. Thomas 3. parte quæst. 2. art. 1. videlicet tripliciter aliquid vnum ex duobus vel pluribus constitui. Vno modo ex pluribus integris perfectis remanentibus; sicut v. g. ex pluribus lapidibus fit

vnus aceruus, aut etiam ex pluribus tum lapidibus tum lignis fit vna domus, & in his ratio faciendi vnum est mera iuxta positio, seu dispositio secundum locum. Alio modo fit aliquod vnum ex perfectis, sed transmutatis, sicut v.g. ex pluribus elementis quę sunt substantiæ completæ, fit mixtum, & in his ratio faciendi vnum est mixtio.

Tertio modo fit aliquod vnum ex aliquibus non permixtis vel permutatis, sed imperfectis vno videlicet habente rationem potentiæ, altero rationem actus; adeoque vtroq; secundum se imperfecto, sicut ex anima & corpore fit vnum. De hoc vno quęrimus hic qua ratione fiat ex pluribus; an per vnionē ab vtroq; extremo distinctam: an sine tali vnione. Hæc vnio ab Ocamo & Nominalibus reijcitur satis communiter: à D. Thom. Suario alijsque quam pluribus admittitur.

Sit prima conclusio. Materia & forma non faciunt vnum per hoc præcise quod sibi coexistant. Probatur conclusio; quia coexistant, materiæ ad formam & formæ ad materiam nihil est aliud quam vtriusque in eodem instanti existentia, vel etiam si vis modus quidam relationis ad vtriusque in eodem instanti existentiam necessario resultans: sed hoc non sufficit vt habeatur vnum, siue vna substantia; ergo per hoc pręcise quod materia & forma sibi coexistant, non faciunt vnum. Maior est definitio coexistentiæ tam in nostra, quam in aliena sen-

tentia. Minor probatur; quia nunc de facto non est in rerum natura Petrus nuper mortuus: tamen materia & forma eiusdem Petri sibi coexistunt. Nam materiam cuiuslibet corrupti remanere in natura ostensum est supra de anima autem rationali nefas est aliter suspicare. Præterea forma ignis nunc existentis coexistit materiæ ligni & cuiuslibet alterius substantiæ, quæ de facto est in rerum natura, & tamen euidens est non fieri unum de facto ex hac forma ignis, & qualibet materia existente: ergo idem quod prius.

Dices: præter coexistentiam extremorũ requiri intimam præsentiam unius in alio, actus uidelicet in potentia, formæ in materia.

Sit 2. conclusio, ad unum per se non sufficit intima præsentia unius in alio, etiãsi unum sit natura sua actus, alternm uero natura sua potentia. Probatur hæc conclusio quia contingere potest unum esse intime præsens, hoc est compenetratum cum altero, absque eo quod faciant unum per se, & tamen unum sit natura sua actus, alterum uero potentia, ergo intima præsentia non est ratio faciendi unum ex pluribos huiusmodi. Consequentia est euidens. Anteced. proqatur; quia non repugnat absolute corpus cum corpore penetrari. Est enim certum corpus Christi Domini cum marmore, & parietibus uel ianuis penetratum fuisse, in tali casu forma unius corporis sit intimè præsens materiæ alterius, & tamen con facit

cit vnum per se cum materia alterius: cum & forma sit natura sua actus, materia vero potentia; ergo, &c Igitur ad habendum vnum requiritur aliquid aliud præter rationem actus in forma, rationem potentiæ in materia, & vtriusque intimam vnius cum altero præsentiam.

Dices. Præter intimam præsentiam extremorum, requiri dispositiones in materia per quas materia si proxime idonea formæ cum qua compenetratur.

Sed contra est: quia potest dari intima præsentia formæ in materia recte disposita absque eo quod faciant vnum per se: ergo hactenus dicta non sufficiunt ad rationem vnius per se. Consequentia est euidens. Antecedens probatur; Non repugnat duo corpora homogenea: puta duos lappides aut duo ligna compenetrari: in tali hypothesi forma ligni *A* erit intimè præsens materiæ ligni *B* recte disposite ad formam ligni, & tamen ex forma ligni: *A* & materia ligni *B* non fiet vnum per se; ergo potest forma esse intime præsens materiæ rite dispositæ absque eo quod faciat vnu m per se: probatur hoc secundum antecedens ex doctrina Philosophi: quicquid aduenit enti in actu facit vnum per accidens; sed in tali hypothesi forma ligni *A* aduenit materiæ iam actuatæ per formam *B*; adeoq; enti in actu simpliciter; ergo facit non vnum per se, sed vnum per accidens.

Replicabis; præter intimam præsentiam & dispositiones requiri absentiam omnis

alterius formæ ſubſtantialis ab eadem materia.

Contra eſt iterum; nam cum tota præſentia alterius formæ ſubſtantialis, materia cum ſua forma non deficiunt à ratione vnius per ſe. Puta lignum *A* per hoc quod penetretur cum ligno *B*, non deficit propterea à ratione ſubſtantię Aliud enim eſt quod cum ſubſtantia aut cum parte ſubſtantiæ cui cõpenetratur non faciat vnum per ſe; aliud quod ipſum per ſeipſum etiam in ſenſu compoſito talis compenetrationis non maneat vnum per ſe: hoc ſecundum eſt falſum, primum eſt verum. Homo penetratus cum lapide, neque cum lapide, neque cum forma lapidis facit vnum per ſe: eſt tamen etiam ſic penetratus vnum per ſe. Aduerte obiter nos dicere: *etiam penetratus*; non autem: *etiam quatenus penetratus*: quam reduplicationem à male reduplicantibus ſæpe audies vel in hac, vel in alia materia. Conſtat enim experientia ſæpe ſenſum compoſitum à male reduplicantibus confundi cum ſenſu reduplicatiuo. Verum eſt hominem penetratum cum lapide etiam in ſenſu compoſito talis penetrationis eſſe vnum per ſe: quia talis penetratio non tollit ab homine rationem hominis, quæ eſt ratio vnius per ſe: falſum eſt hominem quatenus penetratum cum lapide eſſe vnum per ſe: quia penetratio cum lapide non ponit in homine rationem vnius per ſe. Aliud enim eſt non tollere, aliud ponere.

Præterea quemadmodum duo corpora præexi-

præexiſtentia poſſunt ſimul compenetrari; ita poſſunt cum tali penetratione produci: non enim repugnat Deum ſimul producere duo ligna ſibi mutuo intimepræſentia. In tali caſu non eſt aſſignabile neque cur hæc materia potius cum hæc quam cum illa forma; neque cur hæc forma cum hac potius, quam illa materia faciat vnum per ſe: & tamen ex ipſa hypotheſi eſt hoc & illud lignum; adeoque hoc & illud compoſitum ex hac & illa tam materia quam forma: neque enim dici poteſt aut hanc materiam eſſe magis proportionatam huic, quam illi formæ, aut è conuerſo: vnde igitur hæc forma cum hac potius quam cum illa materia faciet vnum per ſe?

Fuere qui dicerent in tali caſu determinari hanc formam ad illam materiam per decretum Dei: ſed contra eſt; quia præterquam quod ineptum eſt vniuerſaliter loquendo adhibere decreta huiuſmodi in alio genere cauſæ quam in genere efficientis reſpectu creaturæ; non eſt aſſignabile quid velit tale decretum præter prædicta, quæ tamen ad rationem vnius nuſquam ſufficiunt. Debet igitur tale decretum eſſe ratio formalis faciendi unum ex hac materia & illa forma quod eſt ridiculum Si enim ponit ſolum ſeipſum, & præſcindendo ab ipſo non habetur ultima ratio faciendi unum, neceſſe eſt ipſum eſse rationem huiuſmodi.

Sit ultima concluſio. Inter materiam & formam requiritur modus unionis utrique

superadditus. Probatur conclusio: quia habitis cæteris omnibus & non habito modo huiusmodi, non habetur vnum ex materia & forma: ergo ad hoc vnũ requiritur prædicta vnio. Antecedens patet ex dictis. Porro de hoc modo eodem modo loquendum est quo solent loqui Philosophi de aliis modis: aiunt autem ita affixos esse rebus quas modificant, vt impossibile sit ipsos existere, prædictis rebus non existentibus, quamuis res quas modificant possint existere sine ipsis. Iuxta hanc doctrinam communem, impossibile est existere vnionem qua meum corpus & mea anima mutuo vniuntur, non existentibus & corpore & anima: non autem è conuerso repugnat existere & corpus & animam, non existente tali vnione.

ARTICVLVS II.

Satisfit Obiectionibus.

OBiicitur 1. Materia, & forma immediate vniuntur; ergo non vniuntur mediante vnione superaddita. Probatur cõsequentia: quia quæ vniuntur mediante alio non vniuntur immediate; materia & forma vniuntur mediante alio: ergo &c.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ad probationem vel nega maiorem vel distingue; que vniuntur mediante alio quod sit ratio quiens, non vniuntur immediate; nega mediante alio quod non sit ratio huiusmodi;

omit-

omitte maiorem, & eodem modo distincta minoris: nega consequentiam. Videt aliqnid immediate non est videre nulla visione mediante. Efficere aliquid immediate non est efficere nulla mediante effectione. Similiter vniri immediate non est vniri nulla vnione mediante. Vniuntur autem immediate materia & forma, per hoc quod ipsamet vnio terminetur immediate ad vtrumque extremum, non autem mediante aliquo tertio, quod ipsa prius afficias: sicut ignis immediate producit calorem, per hoc quod actio eiusdem ignis terminetur immediate ad calorem.

Obiic. 2. formæ accidentales non indigent vnione superaddita, qua vniantur suis subiectis: ergo nec substantiales. Consequentia probatur; quia tam calor & lignum sunt indifferentia vt faciant vel non faciant vnum calidum, quam materia & forma ligni sunt indifferentia vt faciant vel non faciant vnum lignum: ergo non plus requiritur vnio superaddita materiæ & formæ, qua faciant vnum lignum, quam vnio superaddita ligno & calori, qua faciunt vnum calidum. Vbi enim non est dissimilis indifferentia, ibi nec datur disparitas in necessitate determinatiui, siue ablatiui indifferentiæ. Antec. autem probatur; quia curuitas, rotunditas & aliæ huiusmodi eo ipso quod sunt, sunt formalissime in subiecto, faciuntque illud curuum rotundum, &c. ergo non indigent vnione superaddita; neque vt sint in subiecto, neque vt subiectu ita denominent.

Resp. negando antec. Ad cuius probationem conc. totum. Accidentia quæ huc afferuntur sunt accidentia modalia, de quibus non est eadem ratio quæ de alijs modi enim eo ipso quod sunt, sunt in subiectis; & subiecta modificant. Cætera autem accidentia, cuiusmodi sunt frigus, calor, color &c. non sunt in subiecto per hoc formaliter quod sit: & propterea dicuntur accidentia absoluta. In Sacramento Eucharistiæ, destructa substantia panis. remanent accidentia panis, non tamen curuitas aut rotunditas panis, quæ habentur vel adequate vel inadęquate per vbicationem eiusdem requiritur ergo inter calorem & lignum vnio ab vtroque distincta propter eandem rationem, propter quam requitirur inter materiam & formam.

Obij. 3. Philosophus 8. Metaph. cap. vlt. reprehendit Licophrontem, & alios quosdam eo quod inter corpus & animam imaginarentur copulam quandam, qua ex corpore & anima fieret vnum; asseritque ex materia & forma fieri vnum per hoc, quod hoc quidem materia, hoc forma est, & hoc quidem potentia, hoc verò actus. Immo expresse ait eos errare in hoc quod potentiæ & actus, hoc est materiæ & formæ quęrant rationem vnientem, siue facientem vnum ex potentia & actu, cum ex hoc ipso faciant vnum quod sint potentia, & actus, sed nos etiam quærimus & assignamus rationem vnientem, seu facientem vnum ex potentia & actu: ergo nos etiam cum Li-

co-

cophronte erramus.

Resp. Philosophum ibi disputare contra nonnullos qui corpus & animam, materiam & formam conglutinari imaginabiliter mediante tenui aliquo & viscoso corpore, sicut v. g. duæ tabulæ vel alia huiusmodi, mediante glutine vniuntur. Nos autem dum dicimus mediare vnionem nihil tale imaginamur. Assignat autem ibidem Philosophus rationem cur ex materia & forma fiat vnum, quale non fit ex ligno & ligno, ex ebore & ligno, alijsue huiusmodi; quia videlicet materia & forma se habent sicut potentia & actus, alia verò non.

ARTICVLVS III.

An talis vnio sit accidens.

COmmunis sententia inter Peripateticos, vnionem quæ est inter materiam & formam vocat modum substantialem. Aliqui tamen existimarunt vnionem huiusmodi esse purum accidens: adeoque dixerunt vnionem huiusmodi dici substantialem non intransitiue, sed transitiue; dicitur substantialis non intransitiue, quia se-ipsa est accidens; substantialis autem transitiue, quia est modus faciens substantiam.

Dicendum est cum communi, modum prædictum non esse accidens. Probatur hęc conclusio ex conceptu communi substantiæ, siue vnius per se. Sciendum est enim

vnum per se ab vno per accidens differre, per hoc quod primum quidem inter sui constitutiua non admittat vllum accidens, secus secundum; sed inter constitutiua vnius per se siue substantiæ reperitur vnio; ergo vnio non est accidens. Hinc facilè ostenditur ex eo ipso quod non esset substantialis intransitiue, nec fore substantialem transitiuè. Implicat enim substantiam in esse substantiæ per vllum accidens constitui. Neque enim vnum per accidens, ab vno per se, differt per hoc, quod illud sit complexum plurium accidentium, hoc vero complexum plurium substantiarum. Imo non datur vnum per accidens in natura quin in illo vno detur aliqua substantia; quando quidem accidentia ipsa non sunt nisi in substantia: & propterea accidens recte dicitur *entis ens*, per li *entis* intelligendo substantiam.

Quod autem vnio sit ex constitutiuis substantiæ patet ex eo quod cæteris intellectis & non ipsa, non habetur substantia: Hinc D. Thomas 3. parte quæst. 50. art. 4. quærens vtrum Christus in triduo mortis fuerit homo, statuit conclusionem negatiuam, quia inquit, in triduo mortis defuit vnio inter corpus, & animam, & quia alij aliter sentiebant Magistrum sequuti, propterea addit D Thomas hæc verba: *Magister sententiarum posuit quod Christus in triduo mortis fuit homo, quia credidit quod vnio animæ & carnis non esset de ratione hominis, quod est falsum*. Igitur iuxta D.

Tho-

Thomasti vnio est de ratione hominis: accidens autem non est de ratione substantiæ; & consequenter vnio non est accidens.

Notanter dixi iuxta D. Tomam, quia s Doctor adeo pro certo habet vnionem pertinere ad rationem hominis vt dicat eos qui dixerunt Christum Dominnm in triduo mortis fuisse hominem, dixisse verba erronea, quamuis non omnes sensum erroris habuerint in fide, Dixerunt verba erronea, quia in triduo mortis defuit vnio inter animam & carnem, & consequenter defuit homo; sensum erroris non omnes habuerunt in fide, quia aliqui existimarunt animam: esse hominem, vt Hugo de S. Victore; alii hominem esse animam & corpus siue coniuncta, siue non coniuncta, vt Magister sententiarum.

Dices vnionem non pertinere ad rationem substantiæ qua substantia est, sed ad rationem substantiæ qua vnum compositum est; & non esse de ratione vnionis facere substantiam, sed facere vnum.

Sed contra est primo; quia quod pertinet ad rationem hominis vt homo est, pertinet ad rationem substantiæ vt substantia est: sed ex dictis vnio animæ & carnis pertinet ad rationem hominis vt homo est, ergo pertinet ad rationem substantiæ vt substantiæ.

Contra est secundo: quia vnio non requiritur vt ex pluribus fiat vnum quomodocunque: nam etiam per puram dispositionem secundum locum, siue sine certo ordi-

ordine, quæ à. D. Thoma dicitur commassatio, siue cum certo ordine, quæ dicitur ab eodem figura, fit ex pluribus vnum: nam & ex pluribus lapidibus temere coaceruatis & ex ijsdem certo quodam ordine inter se collocatis fit vnum, sed vnum per accidens, vt dictum est alibi, ergo non requiritur vnio distincta ab approximatione, vt ex materia & forma fiat vnum præcisè & quomodcunque, hoc est, quolibet genere vnitatis, sed vt fiat vnum substantiale. Ergo vnio requiritur vt ratio formalis constitutiua non vnius quomodocunque, sed vnius substantiali siue vnius per se.

Hæc eadem argumenta quæ contra rationem accidentis in vnione adduximus, contorquere poteris contra eos qui intimam præsentiam vnius extremi cum alio dicunt suficere pro ratione formali qua ex pluribus fiat vnum. Hæc enim intra præsentia habetur formaliter per vbicationem vel vnam vtriusque extremi, vel duplicem in eodem loco extrinseco, hoc est in eadem distantia vel propinquitate cum reliquis locatis. Denique patebit conclusio solutione obiectionum.

AR-

ARTICVLVS IV.

Respondetur obiectionibus.

OBijc. 1. non est necesse quod omnis denominatio conueniens toti conuenit cuilibet constitututiuo totius : ergo ex hoc quod ratio substantiæ conueniat toti, non infertur quod debeat conuenire vnioni aut cuilibet alteri constitutiuo totius ; Ergo etiamsi totum sit substantia poterit vnio esse accidens.

Resp. concesso toto primo entimemate : negando vltimam consequentia. Non probamus vnionem non esse accidens, ex hoc principio : quia omnis denominatio quæ conuenit toti, conuenire debet & parti ; seu cuilibet constitutiuo totius. Hoc enim principium est euidenter falsum ; toti conuenit esse totum, esse substantiam simpliciter, esse compositum ex potentia & actu ; quorum nihil conuenit vlli ex constitutiuis. Probamus conclusionem nostram ex alio principio, videlicet: Accidens non est de constitutiuo substantiæ : & hoc probamus cum ex conceptu substantiæ, tum ex conceptu accidentis communiter recepto in Scholis. Hoc dictum: *accidens est entis ens* rite intellectum, est argumentum euidens nostræ veritatis : nihil enim aliud significat quam accidens esse totum quantum est, in gratiam alterius entis, hoc est substantiæ : datur igitur substan-

ſtantia contradiſtincta ab accidente in gratiam cuius ipſum ſit; cum autem hoc valeat de omni accidente, neceſſe eſt omne accidens ſupponere ſubſtantiam ſimpliciter, cuius ſit, & in cuius gratiam ſit: implicat autem in terminis omne accident, ſupponere ſubſtantiam ſimpliciter à ſe contradiſtinctam, in cuius gratiam ſit, & aliquod accidens eſſe conſtitutiuum intrinſecum ſubſtantiæ.

Obijc. 2. vnio eſt quid modale, & tamen ſubſtantia ſeu totum eſt quid abſolutum: ergo non repugnat aliquod abſolutum conſtitui intrinſece per aliquod modale; ſed tam abſolutum & modale opponuntur inter ſe, quam ſubſtantia & accidens; ergo non repugnabit aliquam ſubſtantiam conſtitui intrinſece per aliquod accidens. Hoc idem argumentum ſub alijs terminis ſic proponitur: vnio eſt quid relatiuum, totum vero eſt quid abſolutum: ſed totum conſtituitur intrinſece per vnionem: ergo abſolutum conſtituitur intrinſece per relatiuum: abſolutum & relatiuum non minus opponuntur quam ſubſtantia & accidens: ergo ſubſtantia poterit intrinſece conſtitui per aliquod accidens, vnionem eſſe quid modale dictum eſt à nobis, eſſe relatiuum ſeu potius relationem ipſam ſui ad extrema, patet ex ijs quæ paſſim diximus de modis: eos videlicet eſſe per ſeipſos relationem tranſcendentalem ad res quas modificant.

Hoc

Hoc argumentum laborat in æquiuoco, quod solutum est obiectione præcedenti, ostendendo conclusionem non probari ex hoc principio quod nulla pars possit sustinere denominationem diuersam ab ea, quam sustinet totum. Pars sustinet denominationem formæ, materię, quarum neutram sustinet totum. Responde igitur in forma distinguendo minorem subsumptam absolutum & modale; item absolutum & relatiuum non minus opponuntur quam substantia, & accidens: eodem genere oppositionis; nega: diuerso genere oppositionis; conc. Quod si quærat Aduersarius, cur ratio accidentis in constitutiuo officiat rationi substantiæ in constituto: cum ratio modalis aut relatiui non officiat rationi absoluti: petendum est discrimen ex conceptu vtriusque. Relatiuum idem est ac; ad aliud: manifestum est autem neque ex eo quod in aliquo toto includatur aliquid quod sit ad vtrumque extremum totius; neque per hoc quod in eodem pars sit ad compartem, totum ipsum esse ad aliud. Absolutum igitur à modali seu relatiuo non differt in hoc quod modale seu relatiuum includat aliquem modum aut aliquam relationem; secus vero absolutum. Cum tamen vnum per se, ab vno per accidens differat in hoc; quod primum non includat vllum accidens, secus secundum; vt patet ex dictis.

Confirmatur hæc doctrina: quia hoc concretum: materia & forma locatæ: & hoc

hoc aliud: materia & forma durantes, sunt concreata per accidens seu tota accidentalia; ergo pariter hoc aliud: materia & forma vnitæ erit concretum per accidens, seu totum accidentale. Consequentia probatur; quia ideò prædicta duo concreta sunt tota per accipens quia important supra materiam & formam vbicationem & durationem, quæ sunt formæ accidentales: sed etiam hoc concretum: materia & forma vnitæ supra materiam & formam important vnionem quæ est forma accidentalis; ergo etiam hoc concretum est totum accidentale. Iam autem se habet vt quò vbicatio in locato, & duratio in durante, quam vnio in vnito; Quod dictum sit ad auerruncandam distinctionem per *vt quo & vt quod* qua sæpe vel ad rem, vel extra rem nonulli vtuntur. Quod si dicas vbicationem vnire non vt quo, sed vt quod in denominatione locati; quia est forma facies locatum. Etiam vnio venit non vt quo, sed vt quod, in denominatione vniti: quia est forma faciens vnitum.

ARTICVLVS V.

An vnio sit vna vel duplex.

HVmana imbecillitas quæ nonnullos impulit vt vnione negarent, impellit alios vt geminent: vtrosque contra nostram veramque sententiam: quę virtutis instar & à defectu recedit dum statuit

vnam,

vnam, & ab excessu dum vnicam.

Dicendum est igitur. Sufficit vna vnio in composito. Probatur conclusio; quia vnio de suo conceptu est nexus plurium, & ratio formalis qua plura coalescunt in vnum; ergo vnica vnione intellecta inter materiam & formam, habes vnum ex materia & forma. Explicatur hoc idem: materiam esse unitam formæ, est materiam facere vnum cum forma: materiã facere vnum cum forma, est haberi vnum ex materia & forma; ergo materiam esse vnitam formæ, est haberi vnum ex materia & forma; sed per vnicam vnionem habes materiam esse vnitam formæ; ergo per unicam unionem habes unum ex materia & forma. Conclusio est euidens, sed hanc deserunt, qui hanc deserunt, apparenti difficultate deterriti.

Dices igitur. Potest intelligi materia formaliter unita formæ, quin intelligatur forma formaliter unita materiæ: ergo ponenda est duplex unio: una quæ sit formalis communicatio materiæ ad formam, altera quæ sit formalis communicatio formæ ad materiam. Antecedẽs probabis exemplo relationis, hoc est exemplo non faciente ad rem. Sit album *A* & album *B*. Album *A* refertur ad album *B* formaliter per relationem similitudinis receptam in albo *A*: & uicissim album *B* refertur formaliter ad album *A* per relationem similitudinis receptam in albo *B*: nec sufficit una relatio ad hoc ut formaliter *A* ad *B*, & uicissim *B* ad *A* referantur. Quamuis enim impossibile si album *A*

&

& album *B* ſibi coexiſtere, quin mutuo referantur relatione ſimilitudinis, tamen ratio illa per quam mutuo referuntur non eſt vna ſed duplex. Si enim fingas modum relationis pullulare in albo *A*, non autem in albo *B*, habes relationem formalem albi *A* ad album *B*, ſed non è conuerſo: tunc enim album *B* non formaliter ſed fundamentaliter tantum refertur ad album *A*.

Explicabis hoc idem mirabilius. Poteſt Petrus exiſtens Conſtantinopoli diſtare formaliter à Paulo exiſtente Romæ, quin Paulus exiſtens Romæ diſtet formaliter à Petro exiſtente Conſtantinopoli: ſi nimirum intelligas in Petro pullulare modum diſtantiæ, non autem in Paulo; Eodem modo niſi intelligas præter vnionem quæ communicat materiam formæ, aliam vnionem quæ communicet formam materiæ, habebis quidem materiam vnitam formæ, ſed non formam vnitam materiæ.

Hoc argumentum continet duo vitia: Primum eſt falſitas antecedentis. Secundum eſt peruerſitas conſequentiæ. De relatione ſatis dictum eſt in Logica, vbi oſtenſum eſt per illud idem album *B* che ſimile albo *A*, per quod album *A* eſt ſimile albo *B*, & ſic de cæteris, quas appellauimus relationes reciprocas. Sunt autem præterea quædam relationes quæ non conſtituunt mutuo relata. Puta relatio creaturæ ad creatorē conſtituit quidem creaturam relatam ad Deū, ſed non è conuerſo: & iuxta Philoſophum 5. Metap. relatio cognitionis ad cognitum nō eſt reci-

pro-

proca, vt explicatum est à nobis in Logica.

Vel igitur arguens comparat vnionem cũ rationem relationis vt sic, & tunc est inepta comparatio: quia vnio est essentialiter plurium vnitorum vnio. Sermo est enim de vnione physica: cum relatio non sit essentialiter plurium relatorum relatio: vel solum cum aliqua speciali relatione, quam putat haberi formaliter per modum aliquẽ receptum in re, quæ dicitur relata, & hic dupliciter errat; primo quia vidimus suo loco relationem non consistere in modo huiusmodi: secundo, quia si relatum idem sit apud arguentem ac subiectum relationis; non est idem apud nos; nec debet esse idem apud ipsum vnitum, ac subiectum vnionis: est enim de ratione vniti esse extremum quod vnitur; non autem de ratione eiusdem est, esse subiectum rationis quæ vnit. Adde quod etiamsi de ratione vniti esset esse subiectum rationis vnientis, non propterea duorum vnitorum deberet esse duplex vnio: cum eadem in extremis simul compenetratis recipi possit.

Ad argumentum in forma transmitte antecedens, quod falsum est: & nega consequentiam. Hoc est, da arguenti duo relata puta album *A* & album *B* per duplicem relationem haberi, alteram quæ sit in *A*, alteram quæ sit in *B*: sed nega hinc sequi materiam & formã vnitas duplici vnione vniri, altera quæ sit in materia, altera que sit in forma. Disparitates sunt multæ. Prima sit quod de ratione eorum quorum vnum est

ad

ad aliud, non est quod aliud sit vicissim ad ipsum: at de ratione vnionis est vt si vniat *A* cum *B*, etiam vniat *B* cum *A*: est enim imperceptibile quod aliquid sit physice vnitum cum aliquo sibi realiter & physice non vnito, sicut est imperceptibile quod aliquid sit physice distans ab aliquo sibi physice proximo. Dixi physice: quia si loquamur de vnione morali seu affectiua, sæpe contingit vnum esse intentionaliter vnitum alteri intentionaliter à se diuiso; hoc est vnam amare alterum cui sit odiosus: quamuis nec proprie loquendo talis affectus dicendus sit vnio: dum enim dicimus vnionem, intelligimus amorem mutuum, vt legere poteris apud eos qui de vnione & charitate fraterna, qualis debet esse inter. Christianos, religiose philosophantur.

Secunda disparitas sit quod similia, æqualia, & alia huiusmodi etiam dum similia & æqualia sunt, loco separantur; & consequenter si per formã in se receptum debent hanc similitudinem habere, non sufficit vna duobus; cum vna in duobus loco separatis esse non possit. Nec dicas quod etiamsi illa duo similia compenetrarentur, adhuc singula suam in se relationem haberent. Hoc enim non facit ad rem: nam per idem sunt similia dum penetrantur, per quod similia sunt dum separatim existunt: & consequenter per aliquid sunt similia ad quod impertinenter se habet penetratio aut impenetratio, adeoque singula singulas formas habent per quas sibi mutuo similia sint.

Ter-

Tertia sit quod munus relationis non est facere ex pluribus vnum: at munus immo totum esse vnionis est facere vnum ex materia & forma: & consequenter eo ipso quod est, facit illud vnum: implicat autem in terminis fieri vnum ex materia & forma & non ex forma & materia. Nos autem non aliam vnionem quærimus, quam qua fiat vnum ex materia & forma.

Quarta sit: quod relatio recipi debet in fundamento quia est secundum se, & per seipsam formalis perfectio fundamenti: at vnio non est ipsa per se formalis perfectio extremorum, sed est solum ratio qua vnum ab altero perficitur:. adeo vt ipsamet vnio hypostatica non per seipsam formaliter, sed per verbum diuinum cuius est formalis communicatio perficiat & sanctificet humanitatem assumptam. Vnio igitur materiæ cum forma, est ratio qua materia per formam perficitur, perficitur autem per hoc quod trahatur in vnitatem substantiæ: per hoc vero ipsum quod trahatur materia in vnitatem substantiæ cum forma, forma trahitur in vnitatem substantiæ, vt patet ex terminis. Et hoc est quod intelligi debet, quando dicitur per vnionem communicari materiam formæ, & formam materie: coalescere videlicet ista duo in vnam substantiam constantem ex vtroq; adeoq; ex perfectione vtriusque.

Obijc. 2. vino est connexio vnius extremi cum altero extremo, sed non est de ratione connexionis esse mutuam, ergo non

non est de ratione vnionis. Maior patet ex terminis: nam esse vnionem, esse nexum, esse vinculum, esse connexionem sunt synonima. Minor autem probatur; quia creatura quælibet connectitur essentialiter cum Deo, & non è conuerso: g. connexio non est à toto genere mutua. Antecedens est euidens, implicat creaturam esse sine Deo, non autem Deum esse sine creatura.

Resp. argumentum propositum esse simile huic: homo est animal: sed non est de ratione animalis esse rationale, ergo nec de ratione hominis. Minor probatur; quia brutum est animal, & tamen non est rationale. Concede maiorem & minorem; nega consequentiam. Vel si maius distingue maiorem: vnio est connexio quomodocunque vnius extremi cum altero: nega; est connexio in vnitatem substantiæ; concede maiorem, & eodem modo distincta minori, nega consequentiam. Non est de ratione cuiuslibet connexionis esse mutuam: quod patet in modis, qui essentialiter connectuntur cum rebus modificatis, quamuis res modificatæ non connectantur cum ipsis; est autem de ratione modi, cuius totum esse sit facere vnum ex pluribus.

Obijc. 3. Vnio materiæ cum forma debet esse materialis, formæ verò cum materia, saltem in homine, debet esse spiritualis; eadem nequit esse materialis, & spiritualis; ergo debet esse duplex. Maior probatur; quia vnio recepta in materia nequit esse spiritualis, aut recepta in anima materia-

rialis: sed vnio per quam materia vnitur formæ debet recipi in materia, & vnio perquam forma vnitur materiæ debet recipi in forma: ergo debent dari duæ vniones, altera materialis, altera spiritualis; quarum hæc in anima, illa in materia recipiatur. Item in homine vel duo extrema sunt ambo subiectum vnionis, vel alterum tantum: non alterum tantum, quia non est potior ratio de uno, quam de altero; ergo utrumque; sed si utrumque est subiectum, erit duplex unio: nequit enim unica in duobus subiectis subiectari.

Resp. quod siue extrema, quæ uniuntur, sint ambo materialia, siue alterum materiale, alterum spirituale, nihil facit ad unitatem, aut duplicitatem unionis. Nam & unio spiritualis poterit recipi in materia; sicut & anima ipsa, quamuis spiritualis sit, tamen informat materiam, & in materia recipitur: & multa materialia, iuxtà communem sententiam, recipiuntur in anima rationali. Huiusmodi sunt actus sentiendi: quia tactio, auditio, uisio, &c. recipiuntur in toto. Igitur ex hoc capite non requiritur duplex unio.

Præterea unio sub conceptu unionis non respicit terminum, siue extremum quod unit sub ratione subiecti, sed sub ratione extremi: immò cum certum sit apud omnes unionem hypostaticam præstare effectum formalem uniendi, etiam respectu Verbi diuini, quod uerè unitur Humanitati; negant tamen præstantissimi Theologi Ver-

bum diuinum respectu vnionis habere rationem subiecti. Est igitur de ratione vnionis physicæ attingere extremum quod vnit, non autem esse in illo tamquam in subiecto.

Dices: vnio etiam in ratione vnientis perficit extrema, saltem si sint perfectibilia: ergo debet subiectari in extremis. Antec. probatur, per vnionem non solùm perficitur materia, sed etiam forma, ergo &c. Notanter dicitur, si sint perfectibilia; quia sint qui sic philosophentur, vt per formam intrinsecè receptam velint illud solum perfici, quod perfectibile est ex natura sua: immò per receptionem illud solum immutari, quod ex natura sua mutabile est. Putà inuenies qui admittant vnionem hypostaticam intrinsece recipi in Verbo, & simul negent Verbum immutari per vnionem huiusmodi. Contra quos si sic argumenter: omne quod intrinsecè recipitur in aliquo immutat illud: sed vnio intrinsecè recipitur in verbo; ergo intrinsecè immutat verbum: audies sic respondentes: omne quod intrinsecè recipicitur, immutat intrinsece; si sit capax mutationis: concedo; si sit incapax mutationis: nego; & eodem modo distincta minori: negatur conseq Hic modus respondendi non placet.

Resp. igitur rogando Aduersarios, an materia, & forma se se mutuo perficiant. Respondent affirmatiuè. Sic contra: Non solùm forma perficit materiam, sed etiam materia perficit formam: g. non solum for-

ma

ma recipitur in materia, sed etiam materia recipitur in forma. Antecedens est doctrina Aduersarij; conseq. probatur; quicquid perficit alterum recipitur in altero; sed non solum forma perficit materiam, sed etiam materia perficit formam, ergo non solum forma recipitur in materia, sed etiam materia recipitur in forma. Aduersarius si neget maiorem, vt re ipsa neganda est, oro te, qui substinebit hanc illationem: vnio perficit vtrumque extremum; ergo recipitur in vtroque extremo.

Sapienter igitur Suarius tomo 1. in tertiam partem disp.8.sect.3. ad 3. dicit, quod ad rationem perfectibilis, seu complebilis per alterum non requiritur ratio subiecti: dicuntur enim duo mutuo se complere per hoc, quod vtrumque dum simul sunt, se habeant secundum modum suæ naturæ, puta forma secundum rationem actus, materia secundum rationem potentiæ: & per hoc ex vtroque consurgit vnum, quod dicitur simpliciter & absolute: hoc & ens.

Dices materiam non perfici per formam, sed per vnionem formæ: hoc posito æque poterit perfici forma, ac materia, absque eo quod atque forma sit subiectum materiæ, ac materia formæ; ergo, &c.

Resp. falsum esse, quod non forma, sed vnio perficiat materiam: non enim vnio, sed forma est actus. Vnio est ratio, qua forma perficit materiam, non autem ipsummet perfectiuum materiæ, & hæc propositio: forma non perficit ma-

teriam, est apud Peripateticos inaudita.

Dices iterum. Ergo vnio nec recipitur in forma, nec in materia. Probatur conseq. quia nec vt perficiat formam requiritur vt subiectetur in forma, nec vt perficiat materiam requiritur vt subiectetur in materia; ergo etiam si in neutra subiectetur, vtramque perficit.

Resp. negando consequentiam. Ad probationem concesso antec. nega conseq. Ad hoc vt perficiat vnum, & alterum, siue potius ad hoc vt extremum extremo communicet, necesse est vt sit; si autem est, in aliquo subiecto est; ergo si communicat actu extremum extremo, in aliquo subiecto est. Argumentum probat debere esse in aliquo vt in subiecto; cum autem nihil sit in toto præter materiam, & formam, probat consequenter debere esse vel in materia, vel in forma, Non autem aut in forma potius, quam in materia, aut è conuerso, aut in vtraque potius quam in alterutra.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Expediuntur alia de Vnione.

Circa vnionem, qua accidens vnitur subiecto, dicendum est rationem illam, quam attulimus contra vnionem intransitiue accidentalem, siue contra vnionem, quæ sit accidens, non militare. Est enim euidens quod, ex capite accidentis non repugnat hanc esse de constitutiuo totius acci-

dentalis. Patet etiam intimam præsentiam non posse reiici; vt insufficientem pro vnione formali accidentis cum subiecto, ex hoc capite, quod sit merum accidens. Ex hoc eodem capite constat, quod quamuis actio eductiua formæ substantialis de potentia materiæ repellatur à ratione constitutiui intrinseci substantiæ; nequit tamen ex hoc repelli à constitutiuo intrinseco vnius per accidens. Hinc sequitur controuerti posse, an vnio illa quam diximus requiri inter subiectum & accidens, saluari possit, vel per meram intimam præsentiam, vel per actionem productiuam eiusdem, seu eductiuam accidentis de potentia subiecti. In hac controuersia.

Dicendum est primo vnionem accidentis, qua subiectum fit tale, non haberi formaliter per intimam præsentiam vnius in alio; v.g. vnio albedinis cum subiecto, qua videlicet subiectum fit album non habetur formaliter per intimam præsentiam albedinis in subiecto. Probatur hæc conclusio ex alibi dictis. Per hoc quod Aetiops penetretur cum hoc pariete, vel quolibet alio corpore albo, non est formaliter albus: & tamen per talem compenetrationem albedo fit intime præsens Aetiopi; ergo intima præsentia qualitatis in subiecto non est ratio formalis faciendi subiectum tale, vel tale. Vbi nota idem dici posse de quolibet subiecto etiam capaci huius, & illius denominationis, quam tamen non sustinet per compenetrationem cum qualitate nata

facta denominationem huiusmodi tribuere subiecto, cui vniatur.

Dices: in tali casu albedo vniretur homini; albedo per vnionem sui ad hominem facit hominem album; ergo in tali casu albedo faceret hominem album.

Resp. dist. mai. vniretur vnione locali: conc. alio genere vnionis; nego mai. & eodem modo dist. min. nego conseq.

Dico secundò. Neque actio eductiua est ratio formalis faciens vnum ex subiecto, & accidenti. In hac materia facile est decipi. Est enim certum, quod quælibet, & qualiscumque aggregatio plurium facit aliqualiter vnum: dictum est enim supra etiam per iuxta positionem siue ordinatam vt est in domo, siue causalem, vt est in aceruo, fieri vnum; dicitur enim & vna domus, & vnus aceruus. Sensus conclusionis est subiectum non esse formaliter tale, puta calidum, aut album formaliter per hoc quod qualitas, puta calor, aut albedo educantur ex ipso. Probatur autem conclusio; quia calidum, & frigidum est denominatio importans permanentiam in constitutiuis ipsius, & idem remanens post actionem eductiuam, quod erat stante actione eductiua, manifestum est autem, quod post actionem eductiuam non remanet actio eductiua; igitur actio eductiua non est ratio formaliter constitutiua calidi, aut albi. Explicatur hæc ratio. Hic paries est albus, & permanenter albus; datur igitur in hoc pariete ratio, qua hæc

albe-

albedo faciat album, & permanet in hoc pariete ratio, qua hæc albedo faciat album: sed non permanet in hoc pariete actio eductiua albedinis ex ipso; ergo actio eductiua albedinis, non est ratio qua albedo faciat hunc parietem album. Breuiter: ratio faciens hunc parietem album per albedinem, est quid permanens, actio eductiua non est quid permanens; ergo actio eductiua non est ratio huiusmodi. Aduerte hoc idem argumentum militare pro vno per se: & tam enim vnum per se; puta lapis, aut planta est permanenter lapis, & planta, quam album, aut calidun sunt permanenter album, & calidum: & consequenter debet & in lapide & in planta, & præter actionem effectiuam vtriusque formæ, dari alia ratio faciens formaliter unum ex materia, & forma.

Dices: per hoc præcise quod forma educatur de subiecto, potentia reducitur in actum; ergo per hoc præcise potentia actuatur: sed per hoc præcise quod potentia actuetur fit vnum ex potentia, & actu; ergo per hoc præcise quod forma educatur de subiecto, fit vnum ex potentia & actu: sed per actionem formaliter educitur forma de de subiecto; ergo per actionem formaliter fit vnum ex subiecto, & forma: per hoc autem per quod fit vnum ex subiecto, & forma, subiectum fit formaliter tale; ergo per actionem eductiuam subiectum fit formaliter tale.

Confirmatur hoc, & roboratur: quia per

actionem eductiuam albedinis subiectum intrinsece immutatur, quandoquidem pati est formaliter immutari; supponimus autem hic actionem à passione non distingui: Quod si oppositum supponeres: manet idē argumentum pro passione, quod attulimus pro eductione. Si autem subiectum intrinsece immutatur; immutatur in ratione albi, hoc est: ex non albo fit album; igitur per actionem ipsam eductiuam, seu per passionem, subiectum fit formaliter tale; ita quidem vt forma denominans sit albedo, ratio autem qua forma denominat sit actio, vel passio.

Hoc argumentum ex dictis facile diluitur. Quamuis enim concedas actuari subiectum per ipsammet actionem, non concedis actuari actione permanenti, & consequenter illo genere actuationis quo habetur permanenter vnum. Ratio faciens calidum debet permanere, quamdiu permanet ipsūmet calidum in esse calidi; actio eductiua non permanet, igitur actio eductiua non est ratio huiusmodi.

Præterea aliud est esse in subiecto per modum effectus, aliud per modum formæ. Istæ duæ rationes non solum ratione, sed re separantur. Anima rationalis est in corpore, vt in subiecto, non tamen per modum effectus, sed per modum formæ. Anima enim rationalis non educitur de potentia subiecti, quamuis informet verè, & proprie subiectum. Potest igitur iste conceptus: pars in parte, seu in comparte, separari ab

hoc

hoc alio: effectus in causa, & quidem passiua. Hinc aliud est immutari in ratione patientis, aliud in ratione informati. Materia prima per animam rationalem immutatur secundum rationem informatæ, non tamen secundum rationem patientis, seu causæ passiuæ. An autem vicissim possit immutari causa in rationem passiuæ, quin eo ipso immutetur in ratione informatæ, paulò difficilius est determinare; non enim quemadmodum in promptu est materia, quæ informatur à forma cuius non est causa passiua: ita etiam in promptu est materia, quę sit causa passiua alicuius formæ, à qua tamen non informetur. Veniendum est igitur ad conceptum vtriusque rationis. Conceptus causæ passiuæ in actu secundo est conceptus concurrentis patiendo ad existentiam formæ, quæ producitur. In hoc conceptu præcise considerato non videtur includi conceptus informati, qui est; hoc vel illo modo qualificati per hanc vel illam formam. Hinc etiam si dares rationem causæ passiuæ esse realiter inseparabilem à ratione informatæ, non propterea dares esse vnam eandemque cum illa. Sed quia quæcumque forma educitur de subiecto informat etiam subiectum, recte dices ipsammet eductionem esse radicaliter vnionem, seu rationem, qua subiectum fit tale. Quod dices de actione eductiua, dices etiam de actione conseruatiua formæ in subiecto: hæc enim etiam fluit. Adde quod si actio ipsa siue eductiua, siue conser-

uatiua sit vnio, idem calidum quod sit à Deo simul, & causa secunda, non posset fieri à Deo solo, vt explicatur disput. 5. Physic. quæst. 2.

De vnione necessario aliquid aliud dicendum erit vbi de causis. Interim ad argumentum in forma patet ex dictis. Potentia reducitur in actum per actionem, actuatur, immutatur intrinsece, & alia huiusmodi immutatione, actuatione causæ per effectum, & quidem transeunti: non autem actuatur aut immutatur actuatione, siue immutatione informationis, & permanenti. Hoc secundum genus actuationis requiritur ad calidum, & frigidum, & alia huiusmodi; quod non habetur per actionem eductiuam, nisi radicaliter.

Obiter nota quod ad probandum vnionem quæ est inter materiam & formam substantialem non esse accidens, non vtimur veteri quodam sed inani argumento: quod videlicet homo non generaret substantiam, dum homo generat hominem, ex eo videlicet quod humana generatio non terminaretur nisi ad accidens. Nam neque terminatur ad materiam, neque ad animam; igitur solum ad vnionem, hęc igitur si sit accidens, terminatur ad accidens, & consequenter non est generatio substantiæ. Hoc argumentum laborat in supposito, & æque militat contra quamcunque sententiam. Videbimus in loco generationem terminari ad totum substantiam; immo eundo per partes etiam ad singulas partes substantiæ;

ad

ad animam seu formam quamlibet, tamquam ad terminum non quidem factum à se, sed à se communicatum materiæ, ad materiam tamquam ad extremum cui forma communicatur, ad vnionem tamquam ad ipsammet rationem communicandi: vt æque proprie homo generet hominem, ac ignis ignem.

DISPVTATIO III.

In Aristotelis libros de natura & arte.

QVÆSTIO I.

De Natura.

ARTICVLVS I.

Definitur Natura.

DEFINITIO definitur à nobis in Summulis: *Oratio explicans naturam rei*: ex quo patet naturam sæpe pro eodem accipi ac essentiam & quidditatem. Natura hoc modo accepta reperitur in omnibus: cuiuslibet enim rei sua est quidditas & essentia.

Præterea naturam accipiunt aliquando pro mente diuina, quæ rerum omnium parens & opifex à patribus & à Philosophis præcipue Stoicis naturæ nomine nuncupatur: vnde est illud quod dici solet

de Atheis: eos nimirum Deum asserere, dum illum negant omnia tribuentes naturæ.

Dixerunt nullo mundum rectore moveri.
Natura voluente vices & mēsis & anni.

Quænam est enim illa natura nisi mens diuina, cuius ordinatione perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt ipsi? Est enim certum per gubernationem vniuersi demonstrari existentiam Dei. Hæc eadem naturæ acceptio frequens est apud Augustinum aientem supra hanc nostram naturam esse aliam naturam, non creatam sed creatricem. mentem diuinam naturam naturantem appellant; naturam vero creatam vocant naturam naturatam.

Accipitur præterea natura pro vniuersitate rerum creatarum, immo rerum simpliciter omnium. Hoc modo dicimus Petrum esse in rerum natura, secus Antichristum.

Vlterius accipitur natura pro causis secundis & etiam pro ipsomet Deo operante juxta propensionem agentium creatorum: & hoc modo accipitur natura in illis effatis quæ per vniuersam Philosophiam circumferuntur. *Natura semper facit optimū quod potest. Deus & natura nihil faciunt frustra:* & sic de cæteris. sunt & aliæ naturæ acceptiones quibus non est operæ pretium immorari. Hic autem accipitur natura a Philosopho pro principio quodam substantiali motus & quieti sensibilis, intrinseco illi substantiæ quæ sensibiliter mouetur, aut quiescit. Iuxta hanc acceptionem.

Philoſophus 2. Phyſic. textu 3. Naturam definit principium & cauſam motus & quietis, in eo in quo eſt primo & per ſe, & non ſecundum accidens Hanc definitionem cõfirmat 5. Metaph. cap. 4. prope finem, vbi ſic habet. *Igitur prima, & quæ proprie dicitur natura, eſt ſubſtantia eorum, quæ in ſeipſis, vt ipſa ſunt, motus principium habent.*

Dicitur *principium & cauſa*: cuius nullum eſt aliud myſterim quam eiuſdem rei explicatio per duo uocabula: quamuis aliqui Myſtagogi diu hic hæreant. Dicitur: *motus & quietis*: non quod requiratur ad rationem naturæ utrumque; moueri nimirum, & quieſcere. Fortaſſe enim & in eo, quod ſolum mouetur, & in eo quod ſolum quieſcit, puta & in Cęlo & in Terra naturæ ratio reperitur. Dum igitur dicis *motus & quietis* accipe particulam, *&*, in ſenſu accommodo; ita vt in eo quod mouetur ſit principium motus, in eo quod quieſcit principium quietis: ita D. Thomas, Toletus & alij. Sic idem Philoſ. 2. de Anima dicit animam eſſe, id quo viuimus & mouemur, & ſentimus, intelligimus. Qua definitione, ſi particula, *&*, copulatiue accipitur, non compræhenditur omnis anima vt eſt euidens. Anima bruti non intelligit. Anima plantæ non ſentit. Per particulam igitur, *&*, fit diſtributio accommoda: anima in intelligente, eſt id quo intelligit, in ſentiente, id quo ſentit, ſaltem radicaliter, vt præſcindamus hic an anima per ſeipſam an

per

per potentias à se distinctas huiusmodi actus eliciat.

Aduertendum est autem motum in definitione naturæ non accipi solum pro motu locali. Dicit enim Philosophus quod naturalia videntur habere principium motus & status, hæc quidem secundum locum, illa vero secundum augmentum & decrementum; quædam autem secundum alteratioñe Iuxta quam doctrinam Philosophi, principium illius motus quo aqua reproducit in se suum frigus; dicendum est narura.

Quemadmodum autem non solus motus localis dicitur motus, ita nec sola quies à motu locali, dicitur quies. Hinc ex eo quod Cęlum semper moueatur localiter, male inferes illud numquam quiescere; & ex eo quod terra numquam localiter moueatur male inferes illam semper quiescere. Non enim est bona consequentia. Cęlũ non quiescit à motu locali, ergo non quiescit: sicut nec alia: Terra nunquam mouetur localiter; ergo numquam mouetur. Nam & hæc motu alterationis moueri potest, etiam dum quiescit à motu locali: & illud vel à motu alterationis si forte alterabile est, vel in possessione alicuius prrfectionis quiescere, etiam dum mouetur localiter. Sicut enim per tendentiam ad aliquam perfectionem dicitur quid moueri, ita per possessioñe illius eiusdem dicetur quiescere. Hinc est quod aiunt quiescere dupliciter accipi posse, priuatiue scilicet & positiue. Priuatiue accipitur pro non moueri, positiue pro pos-

sideœ-

ſidere terminum ad quem erat motus; qui terminus non eſt ſemper locus, ſed aliquando hæc, aliquando illa perfectio.

Dicitur: in eo in quo eſt: quibus particulis denotatur ad rationem naturæ requiri vt illud principium ſit intrinſecum rei in qua recipitur talis motus, aut quies, ſicut v. g. principium radicale motus deorſum eſt intrinſecum lapidi, in quo recipitur tam motus ad centrum quam quies in centro. *Dicitur: in quo eſt primò*: quia ad rationem naturæ non ſufficit quod principium motus & quietis ſit intrinſecum rei motæ vel quieſcenti quomodolibet, ſed requiritur vt ſit in ipſa primo, hoc eſt ipſi eſſentiale non autem aduentitium ac ſuperadditum eſſentiæ. Ita quamuis grauitas ſit intrinſeca lapidi & ſit principium & cauſa tendentiæ deorſom: quæ eſt in lapide, non eſt tamen natura lapidis; quia eſt aliquid contradiſtinctũ; à lapide. Ipſa autem ſubſtantia à qua & grauitas, & per grauitatem motus oritur, dicetur natura lapidis.

Denique additur, per ſe & non ſecundum accidens: quibus particulas excludũtur à ratione naturæ quædam principia, quæ intrinſece quidẽ recipiuntur in eo quod mouetur ſed neq; ſunt ipſius ſubſtantia, nec ab ipſius ſubſtantia per ſe & neceſſario profluũt. Hæc ex duplici capite à ratione naturę excluduntur; quatenus videlicet nec primo, nec per ſe in eo ſunt, quod per ipſa mouetur. Tã Philoſophus quam D. Tho. rem exẽplificant in Medico ſeipsũ curante: hic enim per artem

sibi intrinsecã, hoc est in se receptã, intrinsece mouetur ad sanitatem acquirendã. Medicina tamen siue ars medica, quãuis sit aliquid intrinsecũ ipsi, & per ipsam moueatur, non tamen est natura: est enim in ipso non primo & per se, sed per accidens; vnde dicitur curari non per natura sed per artem.

ARTICVLVS III.

Satisfit nonnullis quæsitis.

QVæres primo an materia prima dici possit natura.

Resp. affirmatiue cum Philosopho multis in locis & præcipuè textu 4. huius libri, & 5. Metaph. cap. 4. Probatur autem quia materia est principium & causa motus in eo in quo est nimirum in composito, in materia enim recipiuntur motus innumeri augmentationis, alterationis, &c. motus ipse eductionis formæ materialis, motus receptionis siue informationis animę rationalis, qui sunt secundum inclinationem materiæ primæ, vt patet ex dictis.

Dices; materia prima secundum se non magis inclinat ad hanc formam quam ad aliam: ergo non magis apperit productionem huius quam alterius; ergo non magis hunc motum quam alterum: ergo nullus motus huiusmodi est naturalis materiæ.

Resp. concedendo totum; præter vltimã consequentinm. Ex eo quod materia prima non appetat magis productionem huius

quam

quam alterius formæ, sed omnem æqualiter, non sequitur quod nullus, immo sequitur quod omnis quilibet motus productiuus formæ est illi naturalis.

Quæres secundo an forma sit natura?

Resp. affirmatiue cum eodem Philos. locis citatis, vbi docet quod forma magis principaliter est natura, quam materia. Ratio est quid forma est pars potior compositi naturalis, & magis à forma quam à materia sunt præcipui & nobilissimi motus, qui recipiuntur in composito. Immo motus qui sunt secundum naturam propriam huius compositi vel illius, sunt simpliciter à forma, vt patet ex dictis.

Dubitari posset hic an ratio naturę conueniat formæ quatenus ipsa est principium actiuum eorum motum qui recipiunrur in toto cuius est forma; an vero quatenus est principium passiuum eorundem. Si enim prædicti motus recipiuntur in toto, recipitur saltem partialiter in forma.

Resp. formam dici naturam per hoc præcise quod sit principium & causa motus qui recipitur in toto cuius est forma, præscindendo ab hoc quod sit actiuum vel passiuum de quo nihil hic. Est enim euidens per hanc præciserationem competere illi definitionem naturæ.

Quæres 3. Vtrum vnio sit natura?

Resp. negatiue. Vnio enim nihil est aliud quam nexus quo duo extrema coalescunt in vnam substantiam: adeoq; est quidem ratio qua hoc & illud extremum est formaliter

in

In toto, adeoq; qua exercet munus naturæ, ipsa autem non est natura: nisi addas particulam distrahentem: *vt quo*.

Quæres 4. An totum physicum sit natura?

Resp. proprie loquendo totum non dici naturam sed naturale. Ita Philos. 2. Physic. textu 12. *Quod autem ex his*.ait, hoc est ex materia & forma, *natura quidem nō est, sed à natura: vt homo*. Non est tamen alienum à locutionibus eiusdem Philos. D. Thomæ & aliorum dicere quod etiam totum ipsum natura sit, cum frequentissime dicant materiam & formam, corpus & animam in vnã naturam coalescere. Vnde dicitur Verbum Diuinum naturã humanam assumpsisse, cũ nec solam animam, nec solum corpus, sed insuper vnionem ipsã assumpserit. Hæc quæstio nō potest esse nisi de nomine. Certe ad rationem naturæ requirit Philosophus vt sit in aliquo, vt apparet ex definitione: totum autem non est in aliquo, vt patet. Posset excogitari ad hoc ipsũ aliqua responsio: sed iam durius in re tam leui moramur.

Dices Philosophus 5. Metaph. cap. 4. sic habet; *maxime autem & proprie natura dicitur substantia eorum, quæ in seipsis vt ipsa sunt, motus principium habent*, sed substantia est totum vt dictum est alibi: ergo totum maxime & proprie dicitur natura.

Resp. Philosophum ibi nomine substantiæ intelligere formam, quæ ideo substantia appellatur, quia est potior & principalior pars substantię: & ad hanc potius quam

ad

ad illam ſubſtantiam determinans totum. Hoc idem explicuimus ſatis.

Quæres 5. An anima rationalis ſit natura? Ratio dubitandi eſt quia anima rationalis eſt intellectiua: dicit autem Philoſ. 1. de part. animal. cap. 1. non pertinere ad ſcientiam naturalem hoc eſt ad Phyſicam de omni anima ſpeculari. *Alias*, inquit, *ſcientia naturalis omnia ſpeculabitur. Intellectus enim ſiue mens rerum intelligibilium eſt, adeoque omnium rerum notiones Naturalis vna tenebit*. Præterea 2. Phyſ. textu 12. ait formam illam ſeu ſpeciem eſſe naturam quæ non eſt ſeparabilis, niſi ſecundum rationem; ſed anima rationalis eſt ſeparabilis pluſquam ſecundum rationem; ergo, &c.

Ad reſolutionem; dici animam rationalem ſecundum rationem intellectiuę prçciſe conſideratam non eſſe naturam: eſſe autem naturam ſecundum rationem taliter intellectiuæ, ſicut & ſecundum rationem vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. Ratio eſt; quia ſecundum primam conſiderationem non eſt principiũ & cauſa motus ſenſibilis in eo in quo eſt; ſecus ſecundum alias conſiderationes; ergo ſecundum has, non autem ſecundum illam, natura eſt. Vt taliter intellectiua, eſt intellectiua dependenter à ſenſibus & elaboratiua phantaſmatum & inſtrumentorum depẽdẽter à quibus intellit. De ratione autem vegetatiuæ & ſenſitiuæ non eſt dubium.

Ex his patet ad ea quæ dicebantur. Non eſt naturalis Philoſophiæ ſpeculari omnem ani-

animam, nec ipsam animam rationalem secundum præcisam rationem mentis, seu Intellectus: potest autem naturalis Philosophia speculari illam vt ratiocinantem dependenter à sensibus, ad aliud de forma separata: dic sensum Philosophi esse de formis quæ natura sua separatæ existunt ab omni materia, nec aliter mouent corpora quam Sessor equum & auriga currum.

ARTICVLVS III.

Colliguntur aliqua ex dictis.

EX definitione naturæ cuius existentiam supponimus, nō demonstramus, ne ridiculi simus Philosopho; facile est colligere quod si fingas corpus aliquod omnino immobile, fingis eo ipso corpus non naturale.

Dices; in corpore huiusmodi daretur principium quietis; ergo in corpore huiusmodi daretur natura.

Resp. distinguendo antecedens: principium quietis negatiue acceptæ; concedo: positiuè vel priuatiuè acceptæ: nego antec. & conseq. Dicitur natura principium intrinsecum positiui motus & positiuæ quietis, aut saltem priuatiuæ, hoc est dicentis relationem ad motum qui fuerit, & cuius ipsa sit terminus, iuxta illud? *motus est propter quietem*.

Collige secundo quod aliud est non posse, aliud non exigere moueri; vnde male argueres: ratio naturæ saluatur in eo quod

non exigit: ergo & in eo quod non potest moueri. Si enim potest moueri eo ipso priuari potest illa quiete & illo termino, ad quem deinde natura sua, si sibi relinquatur, redibit. Ita si fingere terram ab eo loco moueri quem occupat, impellente Archimede, deficiente huiusmodi impulsu, rediret in locum pristinum.

Dices iterum. In corpore omnino immobili saluaretur ratio corporis; ergo potest saluaris ratio naturæ: Antecedens probatur quia etiam in omnino immobili saluatur trina dimensio, longitudo videlicet, latitudo & profunditas, ergo saluatur ratio corporis.

Resp. disting. antec. ratio corporis naturalis; nego: corporis mathematici; omitto: Corpus autem mathematicum siue habeas, siue imagineris, es eodem modo Mathematicus.

Instabis: corpus huiusmodi haberet accidentia sensibilia ergo esset corpus sensibile; ergo naturale. Confirmatur quia corpus incapax quietis potest retinere rationem corporis naturalis: ergo etiam corpus incapax omnis motus. Antecedens probatur, quia corpus cæleste etiam vt mobile localiter habet rationem corporis naturalis; ergo &c.

Resp. quod corpus habens accidentia sensibilia eo ipso est mobile secundum illa. Ad confirmationem dic corpus impotens quiescere habere motum positiuum, qui motus si sit secundum inclinationem ipsius dicitur naturalis. Huiusmodi est corpus cæleste. At

vero

vero corpus incapax motus non habet quietem quæ sit terminus vllius motus vt patet.

Collige vltimo ad rationem naturæ sufficere quod motus sit secundum inclinationem rei quæ mouetur, etiamsi sit ab extrinseco: in quo casu prncipium motus quod habet rationem naturæ est principium passiuum cum appetentia. Cælum mouetur, vt sentiunt plerique, ab Intelligentia assistente, & tamen motus cæli dicitur naturalis; quia est ipsi bonus & ab ipso exigitus, adeoque secundum naturam illius. Nō enim ad rationem boni naturalis sufficit quod sit mihi bonum, sed requiritur vt sit aliqualiter mihi debitum.

Denique quod natura hic definita sit principium motus sensibilis aperte mentem suam explicat Philosophus loco citato. Quod aduertendum fuit ad vitandas æquiuocationes in tam multiplici acceptione naturæ.

✠ † ✠
✠

QVÆSTIO II.

De Violento.

ARTICVLVS I.

Definitur violentum.

NAturali, inter cætera, opponitur violentum. Sed quia facile est decipi circa id quod opponitur naturali: oportet breuiter aliqua alia recensere. Naturali autem opponitur supernaturale liberum, artificiale; non tamen eodem modo quo violentum. Dicitur supernaturale ex communi Theologorum, quibus hic credimus; id quod est supra vim & exigentiam cuiuslibet substantiæ creatæ: vt habes apud Vasquez in prima parte disp. 224. Huiusmodi est visio beatificat, & alia id genus. Liberum item opponitur naturali non quod non detur in natura vis productiua actus liberi, sed quia naturale aliquando idem sonat ac necessarium. Necessarium autem & liberũ opponuntur. Hinc dicitur natura esse determinata ad vnum. Ignis v. g. necessario calefacit. Petrus autem non necessario pugnat, sed indifferenter se habet ad pugnandum & non pugnandum.

Artificiale etiam opponitur naturati; non quod non detur in natura vis effectiua vestis vel domus: sed ob alias rationes quas breuiter afferemus vbi de arte. Naturali autem

maxime opponitur violentum, cuius definitionem afferre hic & examinare debemus.

Philosophus igitur 3. Ethic. cap. 1. violentum sic definit. *Violentum est cuius principium extrinsecum huiusmodi est vt ei neq; qui agit, neq, qui patitur quidpiam conferat.* Hæc definitio communiter sic circumfertur. *Violentum est quod est à principio extrinseco nullam vim conferente passo.* Exemplum violenti habes in motu lapidis, quo hic sursum fertur à proijciente: motus enim ille est à mouente extrinseco, nullam vim lapide conferente; immo innata sua grauitate, quantum potest, tali motui renitente.

Est autem sẽsus communis Philosophorum definitionem hanc ita intelligi oportere: vt non solum nullam vim conferat passum, sed etiam renitatur: adeoque violentum esse id quod est à principio extrinseco renitente passo. Ita definitionem Aristotelicam reddidit Scotus: quem communiter sequuntur Scholastici omnes & nos cum omnibus. Hoc ipsum autem multis in locis presertim in libris de Cęlo & Ethicis docet Philosophus. Violentum est, inquit, igni deorsum impelli, violentum lapidi impelli sursum: est enim contra inclinationem & renitentiam vtriusque.

Occasione definitionis adductę ex Philosopho dubitatur an agere violentum esse possit ipsi agenti: hoc est an aliquando agẽs ita agat vt illi ipsi actioni renitatur qua agit. Dicit enim Philos. *Violentum esse id*

cuius

cuius principium ita est extra, vt ei neque qui agit, neque qui patitur quidpiam conferat: hoc est vt ei & qui agit & qui patitur repugnet & contranitatur. Igitur ex mente Philosophi potest aliquid ita agere vt ipsi motui quo agit contranitatur.

Negant tamen satis communiter quod vllum egens violenter agat. Ratio est, aiunt quia ipsamet actio est propensio & inclinatio agentis in effectum: repugnat autem in terminis violentam esse propensionem & inclinationem in terminum. Verum Philosophus non solum hic, vt ex ipsius verbis manifestum est, sed etiam alibi, & nominatim libro secundo moralium Eudemiorum cap. 9. possibile affirmat vt aliquod agens violenter agat. Potest, inquit, aliquis renitente Socrate arripere manum ipsius & percutere alterum. In tali casu ipsa percussio non solum percusso, sed percutienti violenta erit; ergo actio potest esse violenta agenti. Hoc modo Simia vtitur pede Felis ad detegendas castaneas latentes sub prunis.

Quod si dicas in prædicto casu socratem non habere rationem agentis simpliciter, sed potius acti; Non contradico; immo in hoc sensu facilè intelligitur Philosophus in definitione prædicta. Tunc autem verum erit agens ita agere vt actioni renitatur, sed agens ab alio impulsum, & ad hanc ipsam actionem qua agit, violenter actum.

An autem quædam actiones quæ simul sunt passiones agentis non sibi complacentis in actionibus huiusmodi, sed potius illas

quantum in ipso est reprobatis dici possint violentæ agenti; est quæstio minus de re, quam de nomine. Puta si quis pungat te, elicis eo ipso sensationem tibi molestã quã non elicit lapis si eadem actu pungatur. An huiusmodi sensatio quę simul est actio, & passio tibi fit violenta, si quosdam interroges respondebunt negatiue: quia, inquient hæc ipsa sensatio est secundum naturam si quosdam alios, respondebunt affirmatiuè; quia, inquient, hæc sensatio est contra naturam. Vtrique ita se explicabunt vt non dissentiant. Est enim secundum naturam animalis huiusmodi sensationem elicere applicato pungente: sed est contra naturam ipsius talis applicatio, qua determinatur ad sensationem huiusmodi. Est etiam secundum naturam lapidis sursum impulsi moueri sursum, at contra naturam eiusdem est sursum impelli.

Obijc. 1. omne quod mouetur, confert aliquid motui quo mouetur: ergo nihil mouetur violenter. Consequentia est clara, antecedens probatur; quia omne quod mouetur est subiectum motus: ergo omne quod mouetur confert, seu exhibet, seu dat seipsum motui, pro subiecto.

Resp. neg. antec. Ad probationem concedo totum, quia nihil facit ad rem. Posses etiam conc. antec. probationis, negare cõseq. quia vere non dat seipsum, sed accipitur. Dum autem dicitur nihil conferre, idem dicimus intelligi: ac si diceretur, reniti.

Obij-

Obijcitur 2. Aliquis motus violentus est ab intrinseco, ergo non est de ratione violenti esse ab extrinseco. Probatur antecedens. Motus corruptiuus viuentis plerunque oritur à noxia qualitate intrinseca ipsi viuenti, & tamen huiusmodi motus est violentus; ergo potest motus violentus inesse mobili ab intrinseco.

Resp. hoc idem apparere in lapide qui mouetur sursum: motus enim huiusmodi in est lapidi ab impetu recepto intrinsece in ipso lapide; ergo est illi ab intrinseco. Aequiuocatio est in hoc vocabulo *ab intrinseco*; quod in obiectione idem sonat, ac à qualitate intrinseca: in definitione autem naturalis idem quod secundum proportionem rei, quæ mouetur, cum motu, tamquam cum bono suo. Ad argumentum in forma nega antecedens. Ad probationem tolle æquiuocationem. Ab intrinseco in sensu definitionis: nega: in sensu impertinente: concede.

Dices: mors alia est naturalis alia violenta, ergo alia est ab intrinseco alia ab extrinseco.

Resp. concedo totum. Sed quid inde? Si mors ab intrinseco est naturalis quomodo probat Aduersarius aliquod violentum esse ab intrinseco? Naturale multipliciter dicitur. Mors dicitur naturalis quæ est secundum præuiam dispositionem viuentis: vt cum quis diù male affectus in febrim vel aliam pestem incidit, ex qua moritur, non quod hoc ipsum non sit illi violentum;

natura enim quantum potest huic diuisioni animæ à corpore renititur. Dicitur autem violenta mors quæ ab aliquo extrinseco: puta à Sicario vel saxo irruente properatur morienti. Sed hoc ex modo loquẽdi. Vni enim non minus quam alteri morti; quantum potest, natura contranititur.

ARTICVLVS II.

Satisfit quæsitis nonnullis.

VIolentum vt melius intelligas, varias inclinationem species distinguere oportet. In quibusdam subiectis non datur alia inclinatio quam innata: in quibusdam præter innalam datur elicita: in quibusdam ipsæ inclinationes elicitæ sibi inuicem repugnare videntur. In igne, in lapide datur inclinatio tantum innata, in hoc quidem ad motum deorsum, in illo autem ad motum sursum. In homine datur inclinatio & inna & elicita. Rursus inter inclinationem innatam & elicitam hominis potest dari repugnata. Puta inclinatio ad incrementum staturæ in adolescentulo est innata; contra hoc incrementum posset esse aliqua inclinatio elicita in desiderante semper esse pusillum.

Præterea etiam per inclinationes elicitas contingit idem appeti & quodãmodo odio haberi; vt cum ex metu maioris mali, malũ aliquod eligis, quod contingit, ait Philosophus, in iacturis quæ in tempestatibus fieri

con-

consueuerunt. Nemo enim sponte absolute sua abijcit, sed ob salutem tum suam, tum aliorum, omnes, modo mentis compotes sint, facere id videntur. Propterea de multis dubitari potest an sint violenta an secus.

Quæres igitur an sit tibi violentum crescere siue augeri, dum inclinatione elicita appetis remanere in pusillitate tuæ staturæ.

Resp. negatiue: quia quod est secundum inclinationem naturæ, non est violentū: sed crescere in homine est secūdum inclinationem naturæ: ergo non est violentum.

Dices: crescere in tali casu est contra inclinationem elicitam; sed inclinatio elicita est potior inclinatio hominis: ergo est contra inclinationem potiorem: ergo est violentum.

Resp. concessa maiori; distinguendo minorem: inclinatio elicita est potior quoad quoslibet effectus, & quaslibet denominationes; nego; quoad aliquos, & aliquas; concedo. Quoad denominationes conuenientes homini vt animal est, vt viuens est; inclinatio elicita non est potior: quoad denominationes conuenientes eidem vt rationalis est, liber & electiuus; inclinatio elicita est potior. In hoc quod est crescere per alimentum Homo non differt à Sambuco.

Quæres 2. an qui laqueo se suspendit aut alio modo se perimit: patiatur aliquid violenti.

Resp. quod qui hoc facit dicitur eleganter sibi violentas manus inferre. Quia de facto facit violentiam naturæ: ex quo vi-

des actum huiusmodi quamuis sit voluntarius, esse tamen violentum. Est violentus quia est renitente natura: est voluntarius, quia est ex electione voluntatis.

Quæres 3. Quid dicendum sit de actu, quo quis proijcit merces in tempestate ob salutem tum suam, tum aliorum.

Resp. cum Philosopho actiones huiusmodi recte dici mixtas, magis tamen spontaneas quam violentas, imò simpliciter nō violentas, sed voluntarias. Ratio est, ait Philosophus, quia actiones donominantur ab illa voluntate quam homo habet hic & nunc dum operatur: voluntas autem quam habet homo dum proijcit merces, est voluntas electiua proiectionis præ non proiectione; ergo illa actio est voluntaria. Vnde si proijcere merces secundum se esset peccatum, sicut v. g. est peccatum mentiri: nec in tali casu talis proiectio esset licita. Non enim vel vt viuas licet peccare.

Ex dictis habes violentum multipliciter dici, prout modo cum natura, modo cum voluntate, modo cum vtraque opponitur: & consequenter eundem motum eidem subiecto esse aliquando ex duplici capite violentum. Mors perimenti seipsum, violenta est ex repugnantia naturæ, non est violenta ex repugnantia voluntatis. Eidem, si ab alio & retinens perimatur, violenta mors erit, & ex repugnantia naturæ, & ex repugnantia voluntatis. Primam posses dicere violentiam physicam? secundam tam physicam quam moralem. De alijs generi-

neribus violenti secundum quod voluntario opponitur; sicut & de comparatione voluntarij cum inuoluntario, ad Ethicos magis quam ad nos agere pertinebit.

QVÆSTIO III.

De Arte.

ARTICVLVS I.

Quid sit ars.

IMitatricem naturæ artem vetus adagium vbique deprædicat: idque ob rationes innumeras. Ars enim naturam imitatur, tum quia naturæ operibus vtitur ceu prototypis, ad quorum similitudinem sua opera exequatur: v. g. pictor picturus cucurbitam, naturalem cucurbitam sibi ob oculos ponit, quam imitetur in tela; tum etiam quia ex ijs quæ natura fiunt, occasionem habuit ars multa artificialia faciendi; immo artes plurimæ ex consideratione eorum quæ natura fiunt eorum habuere. Ita ex cauernis & speluncis ferarum, ex niuis auium nata est in hominibus ars ædificandi, & ex auium volatu didicerunt Argonautæ pandere vela, ex piscium pinnis mouere & disponere remos; & ex eoruudem cauda gubernacula nauibus adaptare. Denique quemadmodum natura, ita etiã ars ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur: vt consideranti patebit.

Dupliciter autem considerari potest ars. Primo ex parte Artificis, & hanc definiuimus in Logica cum Philosopho rectam rationem factibilium. Siue habitum recta cũ ratione effectiuum. Diuisimus etiam ibi artem in actiuam & factiuã, de quibus iterum hic agere non decet nos grauioribus curis intentos.

Secundo cõsiderari potest ex parte ipsius operis, seu artefacti: & consistit in modificatione illa secundum quam dicitur opus esse conforme regulis siue præceptis artis. Patet hoc in quolibet artefacto: puta in calceo, in domo, in syllogismo. Calceus habet modum essendi conformem præceptis Sutoriæ, domus præceptis Architecturæ, Syllogismus præceptis Logicæ: vnde non solum in ijs, qui huiusmodi opera efficiunt, sed etiam in operibus ipsis solemus dicere artem in esse.

Porro naturam & artem certum est assimilari in multis, & in multis differre. Assimilantur in hoc quod quemadmodum natura, ita & ars aliquid præsupponat circa quod operetur, & ex quo opus à se intentum efficiat. Immo dictum est alibi, modum operandi naturæ nusquam melius explicari quam per analogiam ad modum operandi artis. Præterea quemadmodum subiectum naturæ, ita & artis est ad plura opera indifferens, puta cera indifferens est vt ex ipsa ceruum vel leonem effingas. Item quemadmodum natura, ita & ars opus suum paulatim molitur & elaborat, donec ad vltimam

per-

perfectionem perducat. Denique quemadmodum ex redundantia vel inopia, vel indispositione aliqua materiæ, aut ex aliquo alio impedimento monstruosa sunt opera naturæ, ita & opera artis, &c.

Differunt autem ars & natura primo in hoc quod natura est ipsamet, substantia, vel pars substantiæ eius quod naturaliter mouetur; ars autem non est substantia eius, quod artificialiter. Hinc quæ mouentur ex arte moueri dicuntur ab extrinseco. Præterea omnia constitutiua operis naturalis sunt à natura: operis vero artificialis non omnia sunt ab arte, sed hoc quidem ab arte, illud vero a natura: in domo lapis à natura, dispositio lapidis ab arte. Denique artificiale non habet vim aliud sibi simile faciendi, secus naturale. Si enim vt ait Philosophus, lectum humi defodias, non germinabit alium Lectum: sed vt lignum putrescet, & germinabit fungum.

Contingit autem naturam & artem in eodem reperiri. Exemplum habes in saltatore, qui præter naturalem potentiam mouendi se secundum locum, habet præterea artem motus huiusmodi ita disponendi vt hoc vel illud repræsentent; vel hunc: vel illum numerum habeant.

Constat ex hoc quod quamuis non sit de conceptu artis, esse intra id quod per artem mouetur, non est tamen contra conceptum eiusdem. Præter exemplum saltatoris habes exemplum Medici seipsum curantis. Idem diceres de infinitis iisq; præstantissi-

mis artibus; quæ in eodem subiecto sunt in quo sunt opera earundem. Inter cæteras fit ars artium & ianua scientiarum Logica, cuius laudes alij recensebunt.

Præterea accipiendo artem minus proprie secundum quod est in opere, videlicet pro modificatione illa qua conformatur opus præceptis & regulis artis, contingit motus aliquos oriri in mobili partim à natura, partim ab arte. Exemplum habes in horologijs quorum motus partim materiæ ex qua constant, puta æri, ferro vel auro tribuitur, partim etiam dispositioni & figuræ partium componentium. Figura autem & dispositio est ab arte, materia autem à natura. Hæc dispositio in alia materia non sufficeret ad huiusmodi motus. Propterea recte diximus alibi diuersorum artefactorum diuersam esse materiam.

ARTICVLVS II.

An opera naturæ fiant per artem.

TEnendum est quod supra diximus artem esse virtutem intellectus ex cuius dictamine operamur. Loquimur autem hic de arte factiua quæ circa externam materiam occupatur: qualis est Frænifactoria, Chimica: aliæq; huiusmodi. In his artibus potentia executiua est potentia loco motiua, hoc est approximatiua agentis ad passum. Puta Faber applicando malleum ferro tundit, & extendit ferrum: Chimica applicando

cando ignem huic vel illi corpori illud resoluit in hæc vel illa componentia.

Dicendum est. Ars mediate potest efficere multa opera naturæ. Conclusio est euidens. Potes enim ex dictamine artis disponere causas naturaliter productiuas horum & illorum effectũ. Hoc autem est artem mediate efficere opera naturæ. Immo artes ad vitem humanam maxime necessariæ nihil aliud agunt quam applicare actiua passiuis, & res naturales ita componere vt nascantur effectus intenti. Semen tritici, & aliæ fruges huiusmodi, satæ & cultæ iuxta dictamen Agriculturæ, suis temporibus erumpunt in fructus. Per artem medicam applicantur ægroto ea quæ naturalem vim habet hos & illos effectus producendi, puta emolliendi dilatandi, expellendi hos & illos humores.

Præterea aiunt animalia quædam etiam per artem nasci. Ita ex folio basilici intra duos lateres incluso nasci aiunt Scorpionem & ex cadauere Bouis soli exposito, si Virgilio credamus, apes. In quibus vides vim actiuam atq; passiuam esse in natura, applicationem autem vnius ad alterum esse ex arte. Hinc habes quod ad effectus huiusmodi per artem obtinendos duo requiruntur. Primum est cognitio virtutis naturalis, secundum potentia applicatiua eiusdem. Secundum est facile, primum difficile nobis. Dæmones autem quibus natura maxime innotescit mirabilia mirabili celeritate efficiunt applicando actiua passiuis.

Habes præterea quomodo intelligendum

sit quod ait Philos. cap. primo libri secundi Physic. videlicet artificialia quatenus talia, sunt, non habere in se principium vllius motus: puta statua secundum id quod habet de arte, non habet in se principium eundi sursum, aut deorsum, sed prout lignea aut lapidea est. Quod Philosophi dictum repugnare videtur ijs quæ diximus, videlicet in quibusdam motum esse partim à natura, partim ab arte, quod exemplificauimus in horologijs, & exemplificari posset in statuis Veneris & Dianæ quarum excellentiam laudat idem Philosophus in Politicis, ex eo quod ipsę se mouerent aut saltem arte intrinsecus latente mouerentur. Huiusmodi etiã opera fecisse dicitur Albertus Magnus.

Dicendum tamen est, & Philosophum sibi & nos nobis constare. Quæ enim sic mouentur, non mouentur ab arte, nisi mediate. Nam ex dictamine artis hoc & illud principium naturale motus ita disponitur, vt oriantur huiusmodi motus. Puta motus deorsum in pondere horologij, vel aliquid æquiualens, totam rotarum machinam mouet; & mercurius seu argentum fusile in fusum à Dædalo in Statuas prædictas, easdem hoc & illo modo mouebat.

Verum autem aurum per artem efficere infiniti hactenus Chimici conati sunt: vnus aut alter, vel per fabulam, vel per historiam id assequtus esse perhibetur. Credat qui potest. Inter cætera quæ ad probandum aliquando factum esse aurum contactu lapidis Philosophici est clauus quidam in Mu-

ſæo Magni Ducis Etruriæ ,cuius altera medietas ferrea eſt, & altera aurea. Perhibent autem olim, totum ferreum fuiſse: ſed alteram medietatem ipſius contactu lapidis philoſophici, euaſiſſe in aurum, alteram autem de induſtria manſiſse intactam, vt in vno clauo remaneret perpetuum argumentum quo configi poſsent, qui lapidem philoſophicum negant. Confirmant hoc ratione quam philoſophicam putant; ferrum aiunt & aurum, non ſunt inter ſe ita vnibilia vt non minus tenaciter ſibi mutuo adhæreſcant quam ſi eſsent partes vnius eiuſdemque ſubſtantiæ. Poſset hæc ratio ratione à priori firmari ab ijs qui per perfectionem philoſophantur: eſt enim talis exceſſus perfectionis in auro ſupra ferrum vt merito dedignerunt tanta tenacitate ipſi adhærere. Hæc dicta ſint obiter.

Reſp. tamen hunc clauum non eſse vllum argumentum lapidis philoſophici. Ratio philoſophica quæ adducitur probat id quod non intendit, & deſtruit id quod intendit probare. Si verum eſt, aurum cum ferro non poſse coniungi, ſtatim ac vna pars euaſit aurum, deberet ab altera ſeparari. Sicut ſi vna pars huius ligni mutaretur in aquam, ſepararetur ab alia. Præterea falſum eſt aurum non intime vniri ferro. Patet enim ferrum ita inaurari, vt non prius conſumatur aurum quam ferrum.

Afferuntur præterea quædam experimenta quibus conſtat facta fuiſse per artem Chimicam metalla inferioris ordinis. Non

minus

minus autem continentur in natura causæ factiuæ auri quam aliorum metallorum, igitur tam poterit fieri aurum. Probatur conseq. quia applicatio agentium non est difficilior pro auro, quam pro argento.

Resp. omittendo circa alia metalla. Quis enim velit litigare in re de facto quam tam multi testantur? & concedendo minorem, negando consequentiam. Non ideo non fit aurum per artem quia causæ factiuæ auri deficiant in natura, sed quia vel latent nos, vel earum acquisito est adeo difficilis, vt credibile sit an nemine hactenus fuisse habitas, & debite applicatas.

Hinc censemus esse moraliter impossibile fieri aurum per artem. Probamus à posteriori: quia hactenus auri effectio tentata est ab innumeris Chimici: semper autem frustra, quod autem ita est, est moraliter impossibile; vnde eorum Principum sapientiam commendare oportet, qui subditos suos ab artibus huiusmodi serio auocant, prudenter rati veram artem ditandi vrbes & prouincias esse laborem, & industriam ciuium.

Non est hic omittendum, esse artẽ quandam extrahendi ab auro animam, vt aiunt, auri; quæ deinde refusa in massam vilioris metalli, tantundem auri efficit, vel etiam aliquid minus quantum erat illud à quo extracta est. Sed in hac nihil est lucri, multum laboris & vigiliæ.

Ex iis omnibus quæ dicta sunt hac disputatione apparet motum non diuidi adæ-

qua-

quate in naturalem & violentum. Motus enim supernaturales nec naturales sunt, nec violenti. Præterea artificiales & violenti non ita opponuntur vt nequeant in vnum eundemque coalescere. Patet hoc in ramorum & arborum inflexionibus, quæ ab Olitoribus fiunt, dum ramos sponte sua sursum tendentes ita circumflectunt, vt cogant ex Plantis fieri feras, dum concinant eas in Canes, Pauones, &c.

Deniq; aliquando forma ita est naturalis subiecto vt ipsius opposita sit violenta; aliquando itaut opposita sit æque naturalis; aliquando itaut vtraque naturaliter carere possit subiectum; & quidem æque bene se habens. Exemplum primæ habes in frigore respectu aquæ. Frigus enim ita est naturale aquę, vt eidem sit violentus calor: Exemplum secundæ sit in pariet, ligno, aut quolibet alia huiusmodi, quod æque bene se habet cum albedine ac cum nigredine, & è conuerso. Exemplum tertij sit in aere æque bene se habente cum quolibet sono, ac cum carentia omnis soni. Atque hæc de natura, & arte sufficiant.

DIS-

DISPVTATIO IV.

De causis extrinsecis.

QVÆSTIO I.

De Causa efficiente.

ARTICVLVS I.

Quid sit causa efficiens, quid eius causalitas.

PHILOSOPHVS 2. Physic. cap. 29. causam efficientem definit: *id vnde principium mutationis primum aut quietis.* Quam definitionem paucis referuntur: *primum vnde motus aut quies;* quia videlicet ab ipsa incipit moueri quod mouetur, & ipsa cessante, quod mouebatur, quiescit. Hæc definitio passim à Peripateticis admittitur, estque admittenda à nobis: quamuis aliquæ contra ipsam difficultates prius enucleandæ sint.

Prima difficultas est propter ly *Primum*. Hæc enim particula videtur excludere à ratione efficientis omnem causam creatam. Nulla enim causa creata est principium mutationis primum, cum hoc soli Deo conuenire videatur, qui propterea dicitur simpliciter, & absolute primum mouens.

Præterea per eandem particulam videtur excludi causa instrumentalis, quæ tamen est pro-

proprie efficiens. Malleus enim, & ſerra, & alia huiuſmodi non ſunt primum vnde mutatio in ligno, aut ferro, quod ſecatur, aut tunditur; hæc enim inſtrumenta non mouent, niſi præmota à cauſa principali, puta ab artifice.

Denique principium mutationis primum videtur eſſe cauſa finalis: nam ipſa cauſa efficiens ad operandum mouetur à fine; prius igitur moueri debet agens, quam moueat, & conſequenter non eſt dicendum primum mouens, ſeu principium mutationis primum. Hæc quoad hanc particulam *Primum*.

Secunda difficultas eſt in illa particula, *Mutationis*. Videtur enim per hanc particulam excludi à ratione cauſæ efficientis cauſa creatiua: quæ tamen propriiſſime efficit. Nam cauſa creatiua ſua actione nihil immutat: non ſubiectum, quia creatio proprie dicta eſt productio rei abſque præiacente materia. Huius exemplum habes in actione productiua Angeli. Non terminum: quia terminus ipſe non præſupponitur, qui immutetur, vt patet ex terminis.

His non obſtantibꝰ bona eſt definitio Ariſtotelica. Prima difficultas fundatur in æquiuocatione, quæ per partes diſsoluenda eſt. Motus ille, ſiue mutatio per ordinẽ ad quam definitur cauſa efficiens, eſt mutatio in ſubiecto, ex quo aliquid efficitur. Quamuis autem cauſa creata prius moueatur à Deo, quam moueat; non autem Deus prius mouet ſubiectum, ex quo fit ignis, quam cauſa

crea-

creata. Ignis *A* indiuisibiliter cum Deo mouet, seu immutat paleam, ex qua fit ignis *B*, & ex hoc patet ad primam partem primæ difficultatis.

Ad secundam. Causa instrumentalis, vt malleus, mouetur ab artifice prius quam tundat ferrum: non tamen artifex prius quã malleus tundit ferrum, sed vel solus malleus vel indiuisibiliter faber, & malleus.

Ad vltimam. Causa finalis non mouet subiectum, ex quo aliquid fit, sed agens quod aliquid facit ex subiecto: puta ornamentum domus, vel templi, qui est finis facientis statuam, non mouet marmor, ex quo fit statua, sed hominem, qui ex marmore statuam facit.

Ad secundum difficultatem. Dic ampliandam esse acceptionem mutationis ad mutationem pure logicam, qua videlicet à non esse res transit ad esse. Certum est ad actionem creatiuam non respexisse Philosophũ, cui pro oraculo fuit. *Ex nihilo nihil fit*.

Vt autem quæ nam sit eius causalitas, hoc est per quid formaliter causet, statuamus: sciendum est, esse aliquos effectus secundum se indifferentes, vt pendeant ab hac, vel illa causa: quamuis de ratione cuiuslibet effectus sit ab aliqua causa pendere. Effectus huiusmodi sunt formæ, vel res absolutæ. Calor v.g. qui pendet ab igne *A* est indifferens pendere à Deo solo, vel à Deo simul, & igne *A*, vel etiã à Deo simul & igne *B*. Idẽ dic de qualibet alia re, quæ pendet à causa secunda, puta de igne *B* pẽdẽte ab igne *A*. His positis.

Di-

Dicendũ eſt. Effectus huiuſmodi penden à cauſa per actionem ſuperadditam ſibi, & cauſæ. Hæc actio dicitur cauſalitas in actu ſecundo, ſeu cauſatio. Probatur autem concluſio vnico argumento. Ignem *B* pendere ab igne *A* eſt denominatio importas aliquid realiter præter ignem *A*, & ignem *B*, ergo quod ignis *B*, pendeat ab igne *A*, non habetur per complexum ex igne *A*, & igne *B*. Probatur antec. ſimul, & conſequentia; quia per hoc præcisè quod ſibi coexiſtant ignis *A*, & igne *B* habes in natura complexum ex igne *A*, & igne *B*: non habes quod ignis *B* realiter pendeat ab igne *A*: ergo in hóc complexo non includitur realiter pendentia ignis *B* ab igne *A* Minor probatur, quia ſi ignis *B* pendeat à Deo ſolo, vel ab aliquo alio igne, quam igne *A*, habes prædictum complexum, nec tamen habes *B* pendere ab *A*.

Ex his autem, & ex doctrina communi de modis, habes quod ſi effectus producatur à Deo ſolo: producitur per actionem diuerſam eſſentialiter ab ea, qua produceretur, ſi à Deo ſimul, & à cauſa ſecunda produceretur. Hæc enim eſt Dei, & creaturæ, illa eſt ſolius Dei. Cum igitur quilibet modus ſit eſſentialiter rei, cuius eſt modus: alia eſt eſſentialiter actio Dei, alia Dei, & creaturæ.

Obijcitur 1. Actio per quam ignis *B* pendeat ab igne *A* non indiget vllo ſuperaddito, vt formaliter pendeat ab igne *A*: ergo nec ignis *B* vt pendeat ab igne *A* indiget, &c.

Reſp.

Resp. concesso ant. neg. conseq. Actio ignis *A* essentialiter pertinet ad ignem *A*: adeoque per hoc quod sit, est actio ignis *A*, sicut dictum est de alijs modis: quæ propterea dicuntur vltima determinatiua harum & illarum denominationum. Ignis autem *B* non est essentialiter ab igne *A*: cum sit aliquid absolutum, & non modale, vt est indubitatum.

Obijc. 2. Sequeretur actionem, quæ est Dei, & creaturæ non posse esse Dei solius: consequens est absurdum: ergo & ant. Minor probatur, quia hæc ipsa actio est aliqua creatura: implicat autem vllam creaturam non posse esse à solo Deo: ergo implicat illam actionem, &c.

Resp. conc. mai. neg. min. Ad probationem omissa maiori, distingue minorem: creaturam absolutam: omitte: modalem: nega. Actio Dei solius, & creaturæ simul & Dei non est creatura, sed chimera. Implicat enim in terminis quod ipsum agere Dei & creaturæ, sit agere Dei solius, hoc est, sit agere Dei, & non creaturæ. Nota tamen hanc ipsam actionem contineri totam in diuina omnipotentia, quatenus egreditur etiam à creatura, quandoquidem & ipsa creatura à qua egreditur est effectus diuinæ omnipotentiæ.

Obijc. 4. Saltem vt pendeat à solo Deo non requiritur actio superaddita: ergo non omnis effectus indifferens pendere ab hac, vel illa causa, vt pendeat ab hac potius quam ab illa, indiget actione superaddita.

An-

Antec. probatur: quia omnis effectus per ſeipſum eſſentialiter pendet à Deo: ergo ad hoc vt pendeat à Deo, non indiget actione ſuperaddita: ſufficit autem vt non pendeat ab vlla cauſa creata.

Hoc argumentum, quamuis nihil habeat difficultatis, viſum eſt aliquibus difficile, æquiuocantibus in hoc, quod audiunt, Omnis creatura eſt per ſuam eſſentiam relatio tranſcendentalis ad Deum, ſeu dependentia ſui à Deo. In forma nega antecedens. Ad probationem diſtingue: omnis creatura per ſeipſam pendet à Deo aliquo genere dependentiæ: conc. eo genere dependentię, de quo hic agitur: neg. Impotentia exiſtendi quin à Deo dependeat, identificatur cum qualibet re creata. Hanc vocamus dependentiam eſſentialem à Deo, & hoc genere dependentiæ omnis creatura per ſe ipſam pendet à Deo. Hæc tamen ipſa impotentia, ſeu hæc ipſa res, quæ eſt ſibi impotentia exiſtendi independenter à Deo, aliquando eſt actu, aliquando non eſt, & per aliud genus dependentiæ trasfertur à non eſſe ad eſſe: quia autem eſt indifferens, vt à non eſſe tranſeat ad eſſe, vel Deo ſolo, vel Deo ſimul cum creatura operante: hæc indifferentia tollitur, vel per actionem ſolius Dei, vel per actionē Dei & cauſæ ſecundę, adeoq; ponitur à parte rei, vel per dependētiam à Deo ſolo, vel per dependentiam à Deo ſimul, & cauſa ſecunda. Vbi nota, quod ſiue ponatur à Deo ſolo, ſiue à Deo ſimul, & cauſa ſecunda, ſemper ponitur eſſentialis indigentia ſolius Dei: ita

ita enim ponitur à causa secunda, vt non essentialiter petat pendere ab ipsa; posset enim esse à Deo solo; cum non possit esse à causa secunda sola. Vnde habes, quod essentialis dependentia à Deo solo in aliquo genere est indifferens vt sit actu in rerum natura, vel à Deo solo, Vel à Deo simul & creatura, per aliud genus dependentiæ.

Denique nota nos de ijs effectibus philosophari, qui sunt indifferentes, vt ab hac vel illa causa procedant; de alijs enim nullam hic facimus mentionem.

QVÆSTIO II.

De subiecto actionis.

ARTICVLVS I.

An actio, & passio sint idem, & in quo subiecto sint?

PHilosophus 3. Phys. textu 22. actionem definit. *Actum huius ab hoc:* passionem vero: *Actum huius in hoc*. Et ibidem dicit, quod actus huius in hoc, & actus huius ab hoc non differunt, nisi ratione, sicut via Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Sunt autem hæc ratione diuersa; quia idem motus sub conceptu actionis dicitur per respectum ad agens, à quo est; sub conceptu autem passionis, dicitur per respectum ad passum, in quo, vel circa quod est.

Dicendum est igitur cum Philosopho actio,

actionem; & passionem esse realiter idem. Probatur conclusio: quia per hoc præcise quod ego sim videns, obiectum est visum; ergo non requiritur alia forma, per quam ego sim videns, alia per quam obiectum sit visum. Hinc diximus alibi denominationem visi esse extrinsecam obiecto viso. Eodem planè ratiocinio sic argue: posita præcisè forma, seu ratione, qua ignis calefacit lignum; habes rationem qua lignum calefit ab igne; ergo per idem & ignis est in actu secundo calefacientis, & lignum in actu secundo calefacti. Hoc est adeo clarum, vt non indigeat vlteriori explicatione. Si enim consideres ignem *A* indifferentem vt calefaciat, vel non calefaciat hoc lignum, & intelligere possis determinatiuum, quo calefaciat potius quam non calefaciat, quin eo ipso intelligas determinatiuum quo lignum calefiat potius, quam non calefiat, duplica rationes determinantes: si autem non potes, vt re ipsa non potes, contentus sis vnica.

Dices: in diuinis ponitur generatio actiua, per quam pater generat filium, & generatio passiua per quam filius generatur a Patre. Idem dic de Spiratione actiua in Patre, & Filio; & spiratione passiua in Spiritu Sancto; ergo etiam in creatis debet admitti productio actiua in agente, & productio passiua in passo: hæc erit passio, illa actio.

Resp. antec. negari ab aliquibus, sic philosophantibus. In creatis ad rationem producentis, & producti sufficit vnicum determinatiuum: ergo etiam in diuinis. Alij di-

dicunt. duplex determinatiuum reperitur in diuinis; ergo etiam in creatis. Vtri melius philosophantur? Apostolus primis fauet; vbi docet à creatis ad diuina ascendere. Inuisibilia enim eius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.

Resp. secundo conc. antec. negando conseq. Disparitas est, quia in diuinis generans est essentialiter, & constitutiue generans; generatus autem est essentialiter, & constitutiue generatus, Hoc est. Pater est essentialiter huius Filij Pater, & Filius essentialiter huius Patris Filius. Hinc & Patri est intrinseca ratio constitutiua Patris; Filio autem intrinseca ratio constitutiua Filij. Hoc autem in creatis non valet, in quibus nec ignis *A* est essentialiter causa ignis *B*, nec ignis *B* essentialiter effectus ignis *A*.

Posita igitur hac actionis, & passionis identitate quæritur illius subiectum. Sermo est autem de actione, quam transeũtem appellant: nam actio, vt aiunt, immanens dici nequit, quod non recipiatur in agente, quamuis nec negari quod recipiatur in passo; quandoquidem operans immanenter est indiuisibiliter principium, & subiectum suæ actionis. Veritatem igitur positionis nostræ considera vbi ignis calefacit paleam. Dico actionem qua ignis agit in paleam recipi non in igne, sed in palea.

Probatur hæc veritas primò ex hac ipsa diuisione actionis immanentem, & transeuntem. Quo enim potiori iure dicetur hæc tran-

transiens, illa vero immanens, quam quia vna remanet in principio à quo est, altera vero à principio transit in subiectum distinctum. Hoc argumenrum est pura explicatio nominis, quam non est dubium facile posse eludi.

Probatur secūdo, ex definitione Philosophi. Actio enim dicitur *Actus huius ab hoc*: passio autem *Actus huius in hoc*; sed actio & passio sunt idem, ergo motus ille, qui est actio, & passio, est quidem ab agēte sed est in passo; neque enim est in vtroq; Esse ab agente conuenit etiam rationi, quæ non est in agente, vt patet ex terminis; repugnat autem vt conueniat esse in passo rationi, quæ non est in passo. Confirmatur ex conceptu præciso agentis, qui perfectissimè saluatur in Deo, quamuis in Deo non recipiatur actio: vnde dicitur in se immotus, & omnino immobilis mouere omnia. Quāuis igitur ratio agentis dicat actionem, non tamen dicit actionem intrinsecam agenti Hæc est sententia expressa S. Thom. 1. par. quæst. 18. art. 3. vbi sic habet, *Sicut dicitur in 9. Metaph. duplex ex actio: vna quæ transit in exteriorum materiam, vt calefacere, & secare alia quæ mouet agentem, vt intelligere, sentire, & velle: quarum hæc est differentia; quia prima actio non est perfectio agentis, quod mouet, sed ipsius moti secunda autem actio est perfectio agentis.*

Denique probatur conclusio; quia in eo subiecto recipitur actio, quod per actionem intrinsece immutatur: sed per actionem im-

mutatur intrinsece passum, non agens; ergo actio recipitur in passo, non vero in agente. Maior est euidens: implicat enim quicquã recipi de nouo intrinsecè in aliquo, & illud non immutari; quamuis hoc ipsum inepte limitent nonnulli addentes: si sit aliquid mutabile: sed hęc limitatio nihil facit hic, cum sermo sit de causis creatis. Minor autẽ probatur: quia de conceptu ignis calefacienti manum sibi approximatam non est immutare seipsum, sed manum in quam agit; adeoque cum necessario debeat immutari passum: & per immutationem passi ab hoc agente, habeatur formaliter quicquid requiritur, vt hic effectus sit ab hac causa, male requiritur ad aliud, vt patebit solutione obiectionum.

ARTICVLVS II.

Satisfit Obiectionibus.

OBijcitur 1. passio recipitur in passo, ergo actio in agente. Probatur conſ. quia sicut se habet passio ad passum; ita actio ad agens, sed &c. ergo &c.

Resp. concedo ant. neg. conseq. Ad probationem nego mai. Est de conceptu passi non pure grnmmaticaliter aut logice, sed physice physice immutari: non est autem de ratione agentis physice, physice immutari, sed aliud immutare, vt dictum est ex D. Thoma.

Obijc. 2. Vnumquodq; agens agit vt ma-

gis

gis perficiat seipsum; sed non perficit seipsum nisi recipiat suam actionem: ergo vnũquodq; agens recipit in se suam actionem. Sermo est de agente creato. Probatur autem mai. quia agens agit, non pure ex abundantia, sed partim ex abundantia & partim ex indigentia: conatur enim agendo assimilare se magis & magis Deo: si autem nihil recipit per hoc formaliter quod agat, agendo non magis assimilantur Deo: ergo per hoc quod agat, aliquid recipit.

Resp. negando maiorem. Agens agendo non perficit seipsum, sed ad aliud. Et ipsum agere non ponit, sed supponit perfectionem in agente: vnde sapienter Philosophus: *vnũquodque agit in quantum est actu*: hoc est in quantum perfectum est. Ad probationẽ nega mai. vnica ratio agendi est abundantia, vt patet ex eodem dicto. Ignis calefacit in quantum actu calidus. Aduersarius admittit hic æquiuocationem minime contemnẽdam. Actio ipsa propric loquendo non perficit neque agens neque passum (loquor de actione transeunte] sed terminus per actionem productus. Puta actio qua producitur calor in mea manu, non est ipsa formaliter & vt quod, perfectio meæ manus, sed calor ipse. Et vniuersaliter loquendo motus huiusmodi non recipitur in re, vt perfecta, sed vt perfectibili.

Dices: nullum agens creatum non indiget vlteriori perfectione: ergo nullum agens creatum agit ex abundantia. Probatur conseq. quia agere ex pura abundantia, est

proprium illius agentis quod nulla re indiget; vnde dicitur quod solus Deus est pure liberalis, eo quod dando, solum det, nihil autem recipiat. Homines autem dum dant plus recipiunt quam dent: puta dum das nũmum pauperi, plus accipis quam des: quia recipis in te ipsummet actum donandi, qui est actus virtutis pretiosior omni nummo & omni lapide pretioso.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ad hoc vt ignis abundet in genere calidi, non est necesse vt abundet in omni genere. Ad probationem nega anteced. Aduersarius miscet immiscibilia, dum ostendit hominem perfici per actum liberalitatis & eleemosine, & ex hoc infert ignẽ etiã perfici per actũ calefactionis. Homo perficitur quia per actũ immanentẽ, & virtutis moralis determinat se ad donationem nummi. Non autem ita se habet ignis qui necessario calefacit passũ sibi proximum, nullum in se virtutis actum eliciẽs. Pro operantibus ex dictamine virtutis dictũ est: nobilius est magis dare quam accipere, si hoc dictum ita intelligas vt per donationem ipsam perficiendus sit donans. In agente necessario, & nõ morali, tota perfectio est pro priori ad ipsãmet actionem.

Obijc. 4. Si actio reciperetur in passo, passum denominaretur agens; consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur: quia actio est forma denominans agens.

Resp. neg. sequelam mai. Ad probationem distingue: denominat agens subiectum in

in quo est: nego; principium à quo est: cõcedo. Hæc omnia patent ex definitione Aristotelica.

Dices: visio denominat videntem subiectum in quo est: hoc est oculum: ergo actio denominat agens subiectum in quo est. Itẽ visio perficit oculum in quo est: ergo actio perficit agens: idem dic de omnibus alijs actionibus vitalibus.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Actiones huiusmodi perficiunt potentias à quibus sunt, non formaliter quatenus sunt ab ipsis sed quatenus sunt in ipsis. Est autem manifestum non valere hunc modum arguendi: actio quæ est in potentia à qua est, perficit potentiam à qua est: ergo etiam actio quæ non est in potentia à qua est. Ex quibus habes quod quãuis non sit de ratione vniuersalissima actionis, non recipi in agente, est tamen de ratione ipsius recipi in passo.

ARTICVLVS III.

Dubitationes aliquæ resoluuntur.

DVbitatur 1. an quando plures causæ simul producunt eundem effectum, puta plures ignes eundem numero calorem singulæ agant per singulas actiones, an potius una sit omnium actio?

Resp. esse vnam omnium actionem, sicut vna est causa totalis. Effectus igitur in tali hypothesi pendet ab omnibus simul, vt ab vna causa totali, per vnicam actionem, quæ

est omnium. Hoc vt recte intelligas: accipe aliquem effectum indiuisibilem; adeoq; cuius nequeat vna pars vni, altera alteri causæ attribui. Puta cape primum vel secundum gradum caloris, qui à duobus ignibus producitur in tua manu. In illo gradu, secundum opinionem satis probabilem, non est pars & pars, ita vt hæc quidem igni *A*, illa autem igni *B* tribuit queat. Pendet igitur indiuisibiliter totus quantus est, ab vtroque vnica actione indiuisibiliter procedente ab vtroq; Hinc dicitur effectus huiusmodi pendere totaliter à qualibet, totalitate effectus; non autem totaliter totalitate causæ: pendet totaliter totalitate effectus: quia in effectu eo ipso quod aliquid est quod pendeat ab *A*, nihil est quod non pendeat ab *A*, quandoquidem non est in effectu aliquid, & aliquid. Non pendet totaliter ab vlla, totalitate causæ: quia præter quamlibet, est alia à qua pendeat.

Pendere per vnicam actionem non aiunt qui actionem collocant in agente; nequit enim eadem esse in pluribus. Nos autem qui subiectamus illam in passo, vnica contenti simus iuxta illud: *nequid nimis*. Cum enim sufficienter per vnicam habeas effectum pendentem à pluribus; non est animi moderati plures appetere.

Dubitatur 2. An quando Deus & creatura concurrunt ad eundem effectum, vna sit vtriusque actio; an contra alia sit Dei, alia creaturæ.

Resp. esse vnum eandemque vtriusque actio-

ctionem. Est specularis ratio pro hæc responsione: quia videlicet ipsa actio causæ secundæ non est in rerum natura nisi dependeret à causa prima; cum igitur & à Deo sit, & à creatura, & per illam ponatur effectus rectè dicitur per actionem quæ sit indiuisibiliter Dei & causæ secundæ, poni hic & ille effectus. Notanter dixi: quando Deus & causa secunda concurrunt ad eundem effectum; quia non est hic locus disputãdi an omnis effectus & actio causæ secundæ sit indiuisibiliter effectus & actio causę primę.

Dubitatur 3. an actio sit essentialiter alligata conditionibus.

Vt dubitationem hanc resoluas; scire oportet ignem non calefacere lignũ nisi sibi proximũ, & in aliqua differentia temporis existens. Dubitatur autem vtrum actio qua ignis calefacit lignũ hic existens ita sit alligata huic conditioni, vt implicet esse eandem alibi, si ignis & lignum alibi ponerentur. Dicendum est actionem non habere alligationem huiusmodi. Ratio est; quia per hoc præcise quod ignis & lignũ habeant hanc proximitatem, & ignis agat in lignum habes lignũ hic calefieri ab igne. Hoc in suo conceptu non dicit actionem essentialiter affixam huic loco: ergo sine huiusmodi affixione habes quod ignis calefaciant hic hoc lignũ. Immo si positiue intelligas actionẽ indifferentẽ ad esse hic vel alibi, determinatã autem ad esse hic, per hanc proximitatẽ agentis & passi, habes quicquid requiritur ad denominationem prædictã. Sicut

cut concipiens Petrum indifferentem ad esse hic vel alibi determinatum per hanc potius quam illam vbicationem, habes formaliter Petrum existentem hic potius quam alibi.

QVÆSTIO II.

De Causa Finali.

ARTICVLVS I.

Quid sit finis. Quæ eius causalitas in actu primo?

FInis secundum acceptionem notam lippis & tonsoribus idem est ac extremum cuiuslibet rei: ita vltimum vitæ nostræ momentum dicitur finis nostrę vitæ. De fine hoc modo accepto nihil hic litigamus, optantes illum nobis primũ, & postea Aduersarijs faustum atque fecilem. De fine hic agimus secundum illam acceptionem, secundum quam est apud Philosophum vbi dicitur. Id cuius gratia cæteru fiunt.

Diuiditur autem primo in finem *qui*, finem *cui*, & finem *quo*. Finis *qui* est illud bonum seu illa res, quæ intenditur: finis *cui* est illud subiectum cui tale bonum intenditur: finis *quo* est ratio illa qua bonum intentũ fit illius subiecti cui intenditur. Exéplum habes in teipso operante propter felicitatem, seu propter summum bonum; Finis *quem* intendis est summum bonum; subiectum *cui* intendis, tu ipse es; finis *quo* est ipsa·

ipsamet ratio qua possides summum bonũ : hoc est qua summum bonum fit tuum.

Diuiditur secundò Finis in finem operis, & finem operantis. Debemus enim hic meminisse eorum quæ diximus in Logica, Diximus autem ibi alium esse finem artis, aliũ operantis. Puta finis frænifactoriæ est ipsum frænum, quod est opus factum per artem, finis ipsius frani siue operis facti per Fręnifactoriam est recta equitatio, finis vero operantis seu artificis est vel gloria, vel lucrum prout ineptit vel sapit.

Diuiditur tertio Finis in vltimum & non vltimum. Vltimus est ad quem ita cætera ordinantur vt ipse non ordinetur ad aliud : huiusmodi est v. g. æterna felicitas quæ dicitur finis vltimus rationalis creaturę. Non vltimus verò est ille ad quem ita alia ordinantur, vt ipse etiam ordinentur ad aliud v. g. sanitas est finis quidem, sed non vltimus, ægroti sapientis, ita ordinantis sectionẽ venæ ad sanitatem, vt sanitatẽ ipsam ordinet vlterius ad bonũ Reipublicæ. Aliæ diuisiones, si opus fuerit, afferentur in locis.

Dices; solus finis *qui* sustinet definitionem finis seu causæ finalis, ergo prima diuisio est mala. Antecedens probatur; quia solus finis *qui* est id cuius gratia cętera fiunt puta ægrotus facit quicquid facit gratia sanitatis, ergo, &c.

Resp. negando antec. ad cuius probationem nego iterum antec. Aegrotus non propter sanitatem quomodocumque, sed propter sanitatem sibi acquirẽdam sustinet

sectionem venæ, & alia media quæ medicus præcipit. Medicus ipse non scribit suum *Recipe*, vt existat sanitas in abstracto, vel in concauo lunæ, sed in Callia. Immo illo eodem amore quo Aegrotus amat sanitatem magis amat se, & alios, propter quos vult esse sanus. Huc facit illud proloquium quod tam sæpe inaniter adhibetur. *Propter quod vnumquodque tale & illud magis.* Puta sit Paterfamilias vult esse sanus propter filios sibi dilectos, hoc eodem amore quo amat sanitatem, magis amat filios, quia propter filios est amata sanitas.

In quo autem consistat causalitas finis in actu primo dubitatur hic.

Finis, vt apparet ex dictis, amore sui mouet & causat quod causat. Est autem vetus adagium; *nihil amatum quin præcognitum.* Hinc disputatur an vis motiua finis partialiter saltē consistat in cognitione bonitatis illius, qua allicimur; an tota quanta est, in sola bonitate consistat. Vis autem illa motiua dicitur causalitas finis in actu primo.

Dicendum est causalitatē in actu primo, seu vim motiuam causæ finalis consistere adæquate in bonitate obiecti quod mouet. Huic conclusioni nemo contradicit nisi deceptus à conditione in quibusdam argumentationibus inducente apperentiam causæ. Probatur autem Conclusio ex ipsamet definione causæ finalis. Illud mouet finaliter cuius obtinendi gratia media adhibentur, sed ægrotus adhibet media vt obti-

tineat ſanitatem, non vero vt obtineat cognitionem ſanitatis; ergo ſanitas ipſa, non verò cognitio ſanitatis eſt finis, ſeu virtus finaliter motiua, ſeu ratio finalizans. Maior eſt manifeſta, minor nequit negari: ſi enim ægrotus ſumeret potionem amaram vt acquireret cognitionem ſanitatis ægrotaret alio morbo, quam qui curaretur per potionem huiusmodi. Patet autem ex hoc ipſo quod amet ſanitatem, ſanitatem eſſe illi cognitam, iuxta illud; *omne amatum præcognitum*.

Hæc omnia in teipſo intelligis ſi teipſum conſideres amantem felicitatem tuam, & cętera cæteroquin inamabilia propter felicitatem. Vides enim te ob felicitatem ipſam quam ardenter amas, amare ieiunia, flagellationes, cilicita, & alia id genus, quæ propter ſe non ſunt amabilia. Amas autẽ, non vt cognoſcas, ſed quia cognoſcis, & vt obtineas rem cognitam. Propterea res ipſa non autem cognitio rei dicitur finalizare.

Reliquæ probationes eiuſdem veritatis in reſponſionibus ad obiectiones inſinuabuntur.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijcitur 1. Obiectum nihil habens bonitatis cognitum finalizat; ergo non bonita: , ſed cognitio eſt vis motiua ſeu cauſalitas finis. Antecedens probatur:

potest aliquis venari Hyrcoceruum putans Hyrcoceruum esse feram, quæ capi possit: in tali casu bonitas Hyrcocerui non mouet ad ponenda media, sed sola apprehensio bonitatis. Quod non moueat bonitas patet; quia illa bonitas est nulla: quod autem vere causat debet esse aliquid.

Resp. etiam in casu posito venatorẽ moueri non à cognitione, sed ab ipsamet bonitate Hyrcocerui; quæ quamuis realiter nulla sit, est tamen apparenter aliqua bonitas. Ad illud: quod causat est aliquid, distingue. est aliquid vel realiter: vel apparenter: concede; est aliquid realiter; nega. Quod enim causat secundum esse pure obiectiuum, non est necesse vt realiter aliquid sit. Vnde tam potest quis amare Hyrcoceruum, & tendere retia ad capiendum Hyrcoceruum, quam potes tu amare leporem & tendere retiā leporí capiundo; dummodo tam putet capi posse Hyrcoceruum, quam putas capi posse leporem. Habes hoc per Philosopho 2. Physic. textu 31. vbi sic habet: *id enim cuius gratia optimum & finis aliorum vult esse differat autem nihil, idem dicere bonum, vel apparens bonũ.* Ratio à priori est; quia bonú quod finaliter causat, non causat quia est, sed causat vt sit, adeoque non supponit suum esse, causando: sed tendit ad illud mouens potentiam ad ponenda media, quæ conducant, vel videantur conducere adcõsecutionem ipsius. Ad hoc autem vt adhibeas media ex intentione rei alicuius adipiscenda, non requiritur vt res illa sit realiter

liter adipiscibilis, sed sufficit vt putes rem illa esse adipiscibilem.

Eodem modo vt adhibeas aliquid vt medium rei adipiscendæ non requiritur vt id quod adhibes sit reipsa medium illius rei adispiscendæ; sufficit autem vt sit putatiue medium. Ita contingit frequenter homines adhibere media ad obtinendum aliquem finem, quæ omnino remouent ab illo fine, & aliquid, afferunt omnino oppositum illi. Habes infinita exempla huius rei; vnicum affertur à nobis in perfidia Iudæorum, qui fecerunt contra Christum vt illum obscurarent, & regnum temporale seruarent, & tamen per hæc eadem quæ putabant media ad talem finem, omnino oppositum obtinuerunt. Nam & Christum glorificauerunt & regnum temporale amiserunt.

Obij. 2. Sublata præcise cognitione bonitatis, aufertur tota vis causandi in fine: g. cognitio est vis causatiua. Antec. probatur: quia si feceris bonitatem incognitam; facis eo ipso impotentem mouere: g. fit potens mouere formaliter per cognitionem.

Resp. neg. ant. Ad prob. nega iterum antec. Sublata cognitione manet eadem omnino vis in obiecto, eo ipso quod maneat eadem omnino bonitas; sed illa bonitas non est vis mouendi siue causandi independenter ab omni conditione: vnde non est mirum sublata cognitione quæ est conditio essentialiter requisita, bonitatem illam non mouere. Sicut etiam remota propinquitate ignis ad stuppam, non tollitur in igne vis

com-

combustiua stuppæ, sed remouetur conditio sine qua ignis non comburit. Siue igitur ponas, siue tollas cognitionem ab obiecto, quod mouet nihil ponis, nihil detrahis de virtute qua mouet: sed hæc virtus numquam est virtus mouens nisi adsit cognitio, per quam sit præsens, & intentionaliter coexstat tùm potentiæ quam; tum effectui ad quem determinat.

Obijc. Causa finalis vt causet debet aliqualiter esse; non est realiter, ergo est intentionaliter: sed causat secundum illud esse quod est; ergo causa finalis causat secundum esse intentionaliter: sed esse intentionaliter; siue esse secundũ quod est intentionaliter, est cognitio, ergo causat secundum cognitionem.

Resp. quod in sanitate non realiter sed intentionaliter existente duo sunt consideranda realiter inter se distincta: videlicet sanitas ipsa quæ est intentionaliter, & forma per quam est intentionaliter. Id quod est intentionaliter, est id quod mouet, forma per quam est intentionaliter est conditio sine qua non mouet. Hinc patet ad argumentum. Causa finalis causat secundum esse intentionale, sed non secundum ipsam intentionem si li *secundum* appellet vim, non autem conditionem. In forma distingue li *esse intentionale* & dic finem causare secundum id quod est intentionaliter, non autem secundum rationem qua est intentionaliter. In quo semper tenendum est quod supra notauimus, aliud videlicet esse

id

id quod denominatur esse intentionaliter; aliud rationem per quam denominatur esse intentionaliter; Adeoque breuiter dices: causat secundum esse intentionaliter per rem denominatam: concedo; per rationem denominantem: nego.

Hoc quod diximus de distinctione inter rem denominatam & rationem denominantem, valut etiam vbi obiectum denominatum est impossibile. Aliud enim est ipsa Chimera; aliud cognitio qua Chimera recipit esse intentionale. Hac cognitio est aliquid reale æque proprie ac cognitio qua cognoscitur lapis. Hinc etiam in huiusmodi obiectis aliud est id quod mouet, aliud cognitio sine qua non mouet.

Dices. Chimera cognita nihil dicit præter cognitionem, g. per nihil aliud mouet quam per cognitionem. Antec. probabis; quia ipsa Chimera nihil est; ergo, &c.

Resp neg. ant. Ad prob. disting. nihil est realiter aut reale: conc. antec. nihil est apparenter, aut apparens: nego antec. & conseq. Aliud autem est apparentia ipsa, aliud id quod apparet. Apparens enim est concretum quod importat & obiectum quod apparet, & apparentiam per quam apparet.

Obijc. 5. Bonum non mouet nisi vt cognitum, g. cognitio est ipsamet virtus mouendi. Probatur conseq. Valet hæc illatio; ignis calefacit in quantum calidus; g. virtus calefaciendi est calor: igitur valebit hæc alia: bonum mouet inquantum cognitum; g. virtus mouendi est cognitio.

Resp.

Resp.conc. antec. neg.conseq. Ad probationem sic argumentor, Non valet hæc illatio: ignis calefacit in quantum calidus, ergo calor est virtus calefaciendi. Igitur neq; valebit hæc: bonum mouet in quantum cognitum; ergo cognitio est virtus mouendi. Probo antec. Non valet hæc illatio: ignis calefacit in quantum proximus, ergo proximitas est virtus calefaciendi; igitur neque; valebit hæc: ignis calefacit in quantū calidus; ergo calor est virtus calefaciendi. Liquet igitur reduplicationem esse quid indifferens vt fiat vel supra virtutem, vel supra conditionem; adeoq; ex ipsa non inferri pro ratione reduplicata neq; determinate rationem causæ, neq; determinate rationem conditionis: adeoq; vtramq; esse aliūde petendam. Hæc omnia prædiximus in Summulis. In forma conc. ant. nega cons. ad probationem: nega antec.

Obij. 6. Causa efficiens causa secundum esse physice, li *secundum* appellante non solum id quod est physice, sed rationem formalem per quam est physice: ergo causa finalis causat secundum esse intentionaliter, li *secundum* appellante non solum id quod est intentionaliter, sed etiam rationem ipsam, per quam est intentionaliter. Probatur conseq. quia sicut se habet esse physice ad causandum in efficienti; ita se habet esse intentionaliter ad finalizandum.

Resp. conc. antec. neg. consequentiam. Disparitas est euidens ex alibi dictis. In causa efficienti idem est id quod est physice,

ce,

ce, & id quo est physice. Essentia enim & existentia realiter sunt idem. In causa autem finali & in quacunq; re existente intentionaliter, non est idem quod intentionaliter est, & quo intentionaliter est. Existentia rei identificatur cum re existente; cognitio rei non identificatur cum re cognita. Quod si supponeres existentiam ipsam esse distinctam à re existente; disputari posset an existentia efficientis sit virtus, an conditio sine qua efficiēs non causaret. In hac autem controuersia putamus existentia habendam esse pro conditione. Ratio est quia vel efficiens causat per suam substantiam, vel per virtutem superadditam ipsius substantiæ. Puta ignis causat aliqm ignem, vel per ipsammet suam substantiam, vel per calorem sibi superadditum: neutrum autem ex his est formaliter existentia; ergo id per quod causat non est existentia.

Dices? ignis causans dat existere seu existentiam igni causato; ergo existentia ignis causanti non est pura conditio, sed virtus. Probatur conf. quia existentia nequit esse à non existentia; ergo existentia causantis constituit virtutem causantis.

Resp. primo transmisso antec. negando conseq. Ratio est: quia essentia, seu substantia actualis ignis *A* quamuis non sit formaliter, est tamen eminenter aut æquiualenter existentia; & consequenter poterit dare existentiam alteri. Quamuis igitur requiratur existentia in causante non requiritur vt vertus sed vt formalis actuatio virtutis

tutis; virtus enim quæ non sit actu; nequit agere, iuxta illud; *unumquodq; agit inquantum est actu*:

Resp. secundo à multis negatum iri antecedens dicentibus existentiã ignis *B* necessario profluere ab igne *B* posito ab igne extra suas causas: sicut v. g. ab eodem igne *B* necessario profluunt alij modi, sine quibus implicat illum esse in rerum natura.

ARTICVLVS III.

Quinam sit effectus causæ finalis.

BOnitatem, & scientiam bonitatis cõsequuntur multi actus & in anima & extra animam. Primo enim circa bonitatem apprehensam oritur in anima complacentia quædam. Post complacentia amor efficax eiusdem bonitatis; ad amorem efficacem sequitur consultatio circa media conducentia ad ipsam; consultationem sequitur electio, electionem executio ipsa, seu positio mediorum, quibus bonitas obtinenda putatur. Hęc omnia tibi facile exemplificabis.

Dico igitur effectus finis esse quæcunq; fiunt gratia finis. Conclusio est clara. Ideo Philos. secundo Physic. textu 29. maciem, purgationem, medicamenta & alia eiusmodi enumerat inter effectus finis, quia, inquit hæc omnia finis gratia fiunt, hoc est gratia sanitatis. Nam qui ægrotant, macerantur, purgantur, & alia huiusmodi agunt & patiuntur vt sani fiant.

Con-

Conclusio igitur ex ipsâ finis definitione prob. Finis est id cuius gratia cætera fiunt; g. quæ fiunt gratia finis sunt effectus finis. Vbi aduerte ad huiusmodi effectus nō sufficere finem nisi in vno genere causæ. Habent enim præterea alias causas à quibus pendent. In assignando igitur effectu adæquato causæ finalis attende ad ea omnia, quæ obtinendi finis gratia ponuntur ab intendente finem. Hoc posito si rogeris an vocatio Medici sit effectus sanitatis? respondebis statim affirmatiuè: quia, inquies, gratia sanitatis Medicus aduocatur. Hæc res non indiget vlteriori explicatione.

Dubitetur autem an amor ipse qui oritur circa finē cognitum sit effectus finis. Ratio dubitandi est; quia illud solum dicitur effectus finis ad quod ponendum determinamur ab amore finis: non determinamur autem ab amore finis ad ponendum amorem finis: ergo amor finis non est dicendus effectus finis. Explicatur hoc idem. Effectus finis est id ad quod determinat amor finis; ad amorem finis non determinat amor finis; ergo amor finis non est effectus finis. Minor probatur: quia id ad quod determinat amor finis præsupponit amorem finis; amor autem finis præsupponit amore finis, vt patet ex terminus.

Ex alio capite effectus finis est quicquid est gratia finis: amor ipse finis est gratia finis, g. amor finis est effectus finis Vrgetur: quia amor finis pleruntq; est indiuisibiliter amor mediorum ad finem: amor mediorum

ad finem est effectus finis, ergo amor finis est effectus finis. Maior probatur, quia amor mediorum ad finem est maior amor finis quam mediorum, ut patuit in exemplo patris familias; g. plerunq; amor ipse finis est amor mediorum ad finem, Dixi *plerunq;* quia quamuis amor mediorum vt talium sit semper amor, & quidem intensior finis: non tamen è conuerso quilibet amor finis est amor mediorum. Contingit enim sæpe nos ardenter amare felicitatem, nihil cogitantes de medijs conducentibus ad ipsam: vnde patet amorem finis aliquando esse solius finis, amorem autem mediorum numquam esse solitariæ mediorum. Constat autem ex amore finis determinari nos ad amorem mediorum. His positis.

Dicendum est controuersiam magis esse de voce, quam de re. Qui dicunt effectum finis nullum esse nisi ad quem determinat amor finis, dicere debent amorem finis non causari à fine nisi materialiter, hoc est non in genere causæ finalis sed in genere causæ purè obiectiuè, sicut v. g. hic paries causat uisionem sui. Qui autem dicunt effectum finis esse quicquid est quomodocunq; gratia finis; hoc est illius rei, quæ finis est; dicant amorem finis esse effectum finis. Ad ea quæ opponuntur dicat falsum esse quod effectus finis adæquatus determinetur ab amore finis, adeoq; præsuponat amorem finis. Quod si requiras effectum finis esse ex amore finis aliud requiris quam si requiras esse propter finem: hoc secundum reperies in amore finis,

nis, non autem primum.

Dices: Si media seu positio mediorum est effectus finis sequitur idem causare seipsum: conseq. est absurdum. ergo & antec. Sequela maioris probatur quia media ipsa causant finem: ergo si finis ipse causat media, causat causam sui: est autem bonum verbum: *quod est causæ causæ est causa causat;*: adeoq: finis causat seipsum.

Resp. concessa maiori, eiusq: probatione: negando minorem. Quid mali est quod idē intentionaliter existens, causet seipsum secundum esse physice: hoc est quod sanitas cognita & amata determinet ad sustinendam sectionem venæ, vel ad quidlibet aliud ab hoc vt ab esse pure intentionaliter transeant ad esse physice.

Instabis: ergo datur muta causalitas. Probabis conseq. quia finis est causa mediorum, & media sunt causa finis, inter finem & media intercedit mutua causalitas.

Resp. concedendo totum.

ARTICVLVS IV.

Quænam sit causalitas finis in actu secundo

RESpondeo causalitatem finis in actu secundo esse ipsammet actionem qua ponitur id quod ponitur propter finem: quatenus ipsa etiam est à fine. Exemplo rem explico. Ponis ambulationem propter sanitatem: bonitas sanitatis est causalitas in actu primo: vt patet ex dictis; actio autem ipsa

qua

qua ponitur ambulatio ex intentione sanitatis, est ratio qua hæc ambulatio formaliter est à sanitate: esse autem rationem qua unum est causa in actu secundo & alterum effectus, est formalissime esse causalitatem vnius in alterum.

Dices: causalitas finis in actu secundo est motio quædam metaphorica: ergo non est actio qua effectus pendet à causis ex intentione finis. Antecedens est Aristotelis primo de Generat. textu 45. *Est enim*, ait, *effectiua causa vnde principium motus: cuius autem gratia, non effectiua; ideo sanitas non est effectiua nisi secundum translationem.*

Resp. omisso antec. neg. conseq. Omissi antec. quia hic modus loquendi; *motio quædam* & quilibet alius similis, est eorum, qui nihil volunt dicere; adeoque nolunt nobis contradicere. Probatio antecedentis ex Aristotele nihil aliud dicit, nisi quod principium motus est vere & proprie causa efficiens; finis autem non est efficiens nisi trãslatitie; puta quando ambulas gratia sanitatis acquirende, potentia loco motiua est vere & proprie causa efficiens ambulationis: sanitas uero non est efficiens nisi metaphorice. Quod nihil aliud est nisi, prædicatum proprium causæ efficientis non conuenire proprie causæ finali. Ratio cur efficiens proprie efficiens, finalis autem solum metaphorice, est quia ad hunc motum determinat efficiens proprie & physice existendo: finalis auté non proprie & physice, sed pure intentionaliter; existens auté pure in-

intentionaliter non existit simpliciter sed metaphorice. Cęterum actio illa quæ est & ab efficiente & à finali est vere & proprie actio non autem metaphorice. Dicitur igitur causalitas finis motio metaphorica per denominationem ab existentia pure metaphorica finis, ex cuius intentione & cuius gratia ipsa est: cum tamen per ipsam vere & proprie & non metaphoricè operans moueatur.

Dices; g. idem numero motus est actio, passio & finalizatio. Conseq. patet, nam idem motus est actio, & passio ex dictis; dicitur autem hic eundem motum esse actionem & finalizationem: ergo actio, passio, & finalizatio sunt idem.

Resp. concedendo totum. Quod si displicet Aduersario, addemus insuper esse materializationem; sed de hoc alibi. Non est nouum eundem motum respectu diuersorum diuersas denominationes sortiri. Idem motus localis repectu vnius termini dicitur recessus, respectu alterius dicitur accessus.

Ex dictis. Inferes primo causam finalem seu rem illam, quæ est finis, finalizare quia est, & vt sit rationem autem finalizandi explicari per ly *vt sit*, conditionem siue quia non finalizaret importari per ly *Quia est*. Nam quia est intentionaliter determina ad ponenda illa media, quæ ponuntur, vt sit realiter. Ex quo habes ipsum esse realiter re quæ finis est esse rem amatam.

Inferes secundo, non esse de ratione cōditionis, vt suppreri possit à Deo. Quamuis enim

enim propinquitas agentis ad passum non essentialiter requiratur, vt aiunt, vt agens agat in ipsum: cognitio tamen rei amatæ essentialiter requiritur, vt res sit amata: vnde non valet: ignis etiam non proximus potest calefacere manum de potentia absoluta; g. etiam bonum non cognitum potest de potentia absoluta mouere voluntatem. Ratio disparitatis est, quia ignis causat calorem in genere causæ physicæ: etiam autem non proximus, physice est: causa autem finalis causat, seu mouet in genere causæ obiectiuę: eo ipso autem quod non est cognita, non est in genere causæ obiectiuæ.

Propterea vbi quæritur discrimen inter conditionem, causam: varia à varijs assignantur. Nemo tamen pro discrimine assignat, quod conditio quidem est supplebilis per diuinam virtutem, secus autem causa. Qui enim hoc discrimen assignaret, peccaret ex duplici capite. Primò, quia falsum est: causam non suppleri per diuinam virtutem, cum ille idem effectus, qui est à causa secunda, puta ille calor, qui est ab igne, possit esse à Deo, vt dictum est. Secundo, falsum est conditionem ex toto genere suppleri posse, cum cognitio sit mera conditio, & tamen suppleri nequeat. Est enim principium metaphysice verum, omne amatum præcognitum, vt patet ex dictis.

Quemadmodum autem diuina virtus nequit esse supplementum in omni genere conditionis, ita nec in omni genere causæ. Putà si suppleat defectum causæ actiuæ in pro-

productione ignis, non supplet in genere causæ passiuę; quasi verò Deus ipse patiatur eductionem formæ ignis ab agente producente ignem: sed in genere causæ efficientis, adhibendo videlicet modum producendi creatiuum, hoc est independentem ab omni concursu materiæ.

Pro causa verò formali implicat quod suppleat Deus: immò implicat, quod vlla forma suppleat pro alia ad eundem effectũ formalem. Patet hoc intelligenti terminos Si enim in hoc pariete ponas flauedinem pro albedine, manifestum est te non habiturum album. Et si materiæ primæ pro anima canis; vnias animam leporis, manifestum est te non habiturum canem. Si igitur fingas Deum ponere se loco alicuius in aliquo toto, manifestum est non fore idem totum.

Dices: subsistentia Verbi diuini ponit se cum Humanitate Christi Domini loco subsistentiæ propriæ humanitatis eiusdem; hæc subsistantia est Deus; g. Deus potest supplere defectum formæ creatæ etiam in genere causæ formalis.

Resp. negando consequentia. Subsistentia Verbi cum Humanitate non præstat illum effectum formalem, quam præstaret subsistentia propria; adeoq; manet id quod diximus, nec Deũm, nec vllam formam supplere posse pro alia ad eundem effectum formalem.

QVÆSTIO IV.

An omnia agentia agant propter finem.

AGentia intellectualia agere propter finem nemo negat, qui habeat intellectum. Controuersia est de non intellectualibus. Non intellectualia autem in duas classes, quoad præsens negotium, diuidi possunt: videlicet in cognoscitiua, cuiusmodi sunt Bruta, & non cognoscitiua, cuiusmodi sunt plantæ, & alia infrà plantas. Hac diuisione supposita, resoluenda est proposita quæstio.

Dicendum primò. Bruta operantur propter finem. Hanc conclusionem probat Philosophus, Operari propter finē est aliquid facere gratia alicuius, seu propter aliquid: sed Hirundo propter aliquid nidum facit, & aranea telam; g. & Hirundo, & aranea propter finem operantur. Discursus est linquidus, nec indigens vlterioris probationis.

Dicendnm 2. Etiam non cognoscitiue propter finem operantur. Probatur hæc cōclusio ab eodem Philosopho; quia etiam plantæ propter aliquid faciunt, hoc, & illud: putà folia propter fructus cooperimentum. Probat hoc idē ex eo, quod natura eodem modo, & vniformiter operetur, quod signū est non casu, sed propter finē operari naturam. Hinc qui naturam perfectè intelligent, cuiuslibet operationis naturæ rationē red-

redderent à fine. Ita si Agricolam interroges cur hac, & illa tempestate niues, & frigora, & pluuiæ, & alia huiusmodi, vel semper, vel plerumq; contingant? respondebit ita contingere, vt granum tritici, & alia huiusmodi marcescant, & debito tempore erumpant in fructus. Nisi enim granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit multum fructum affert: quibus verbis adhoratur nos Christus ad mortificationem. Quia autem, qui eorum omnium, quæ naturæ accidunt, finæm intelligeret, esset hoc ipso sapientissimus: propterea qui sapientissimum etiam mediocres æmulantur, infinita nobis explicant, aut explicare se putant per fines naturæ:

Quamuis autem omnia supradicta propter finem ageant; different tamen in modo agendi propter finem. Nam intellectualia ita agunt propter finem, vt cognoscant proportionem mediorum cum fine, consultent, deliberent, & eligent circa media. Bruta autem; vt ait Philosophus, neq; arte, neq, inquirendo, neque deliberando faciunt. Et quamuis cognoscant, & media, & finem, puta hirunde, & nidū & pullos; aranea, & telam, & muscas, dicuntur tamen operari propter finem solū materialiter quatenus scilicet non comparant media cum fine: sed per quosdam instinctus: hoc est per quosdā motus, quos omnes supponunt, & nemo explicat, determinātur ad ponēdū id, quod reipsa est medium ad illud. Iuxta hos si auiculæ ferenti paleam occurres, rogaresq.

ad quid illam defera; non poſſet reſpondere: ad conſtruendum nidum. Quamuis enim palea ſit reipſa materia nidi: non tamen ab auicula comparatur cum nido.

Cætera autem quæ infra brutorum conditionem ſunt, ſolum eo modo propter finem operantur, quo diximus ea appetere. Quemadmodum enim natura appetit ſolũ appetitu innato, ita etiam finem intẽdit intentione innata. Et quemadmodũ appetitus naturæ recte dicitur appetitus intelligẽtiæ; ita etiã naturæ intentio recte vocabitur intentio intelligentiæ. Nã vt ait D. Th. queſ. de ideis, ar. 1. *operatio naturæ, quæ eſt ad determinatum finem, præſupponit intellectũ pręſtituentem finem naturæ, & ordinantem ad finem illum naturam, ratione cuius dicitur omne opus naturæ eſſe opus intelligentię.*

Videtur autem dubitari poſſe de agente increato, an ipſum etiã propter finem agat. Ratio dubitandi eſt, quia cognoſcitiua dum agunt propter finem mutantur intrinſece; per intentionem enim huius, vel illius finis violens, ſeu appetens aliter, & aliter ſe habet: Dum autem mutari, ſeu aliter, & aliter ſe habere repugnat ergo repugnat Deum agere propter finem. Confirmatur ex dictis in definitione cauſæ efficientis, ibi enim dictum eſt cauſam finalem eſſe quodammodo principium mutationis primum, quia quãuis non immutet paſſum phyſice, quod immutatur per efficientem mouet tamen ipſumet efficiens.

Dicendum tamen eſt Deum agere propter

finem

finem. Finis autem Dei operantis est ipsemet Deus: à quo omnia procedut, vt à primo principio, ad quem omnia ordinantur tamquam ad finem vltimum? iuxta illud; omnia propter semitipsũ operatus est Deus. Quamuis autem Deus sit finis simpliciter vltimus; non propterea non operatur propter vllũ alium finem. Diuisimus enim fine in vltimum, & non vltimum; poterit igitur Deus ordinare multa in bonum suæ creaturæ, & de facto sensibilia omnia in bonum hominis ordinauit: sunt enim vtilia homini, Deo gloriosa, & in hoc ipso homini vtilia quod Deo gloriosa. Sunt enim gloriosa Deo per hoc quod enarrent hominibus gloriam, & virtutem Dei, & per hoc ipsum vtilia, quia homini nihil est vtilius quã ex creatura intelligere creatorem, & in omnibus glorificare, qui omnia fecit.

Ad rationem dubitandi; dic non esse de ratione agentis propter finem vniuersalissime accepti, mutari intrinsece per intentionem finis. Quamuis enim agens natura sua mobile modo hac modo illa intentione moueatur: agens tamen immobile, quale est Deus non habet voluntatem, aut intentionum vicissitudinem, sed immotum, & immobile in se manens, æterna, & immobili voluntate omnia mouet, ixta illud; *sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es.* Hoc est omnis vicissitudinis, aut mutationis omnino incapax.

Ad confirmationem patet ex dictis. Ad reliqua, quæ cogitari possent contra con-

clusionem facile est ex dictis tum hic, tum alibi respondere. Puta si qui dicat: plantæ, lapides, & aliã huiusmodi non cognoscunt media, neque finem: ergo non operantur ex intentione finis. Respondebis conc. antec. neg. consEq. vel, si velis, distinguendo consequens: non operantur ex intentione elicita: conced. ex intentione innata, nego conseq. Aut si vis: non operantur ex intentione, quæ sit in illis: concedo; ex intentione quæ sit in intelligentia: nego. Vide D. Thomam loco citato vbi comparat ea, quæ mouentur à fine per naturam, cum sagitta, quæ à sagittante ad scopum impellitur.

QVÆSTIO V.

De Causa exempli.

ARTICVLVS I.

Quod sit Idea.

QVod apud Græcos idea; species, aut forma dicitur apud Latinos; vt ex Augustino dicit D. Thomas quod supra citata de ideis. Forma autem tripliciter dicitur; vno modo *A qua*, alio modo *Per quam*, seu *Secundum quam*, tertio modo *Ad quam*. Forma *à qua* dicitur illa, quæ est in agente, à quo procedit effectus. in vnoquoque enim ratio agendi maxime est forma, vnde dicitur vnumquodq. agere in quan-

quantum est actu. Forma *Per quam* dicitur pars illa compositi, per quam substantia est hoc potius quam illud: puta forma quam hæc substantia est potius homo, quam canis, Anima rationalis. Forma *Ad quam* est illa ad cuius similitudinem aliquid fit, & quam aliquid imitatur; & hæc dicitur idea, siue exemplar definiturq; à D. Thoma: ***Forma quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem.***

Ex hac definitione apparet sola agentia cognoscitiua operari ex idea; cum ea sola agant ex intentione, imitando formam, & determinando sibi finem. Hinc etiam intelliges, quod etiam si agens intellectuale, puta Pictor nihil cognitans de Socrate, formet picturam similem Socrati: nō propterea Socrates habebit rationem ideæ, seu exemplaris. Ratio est clara, quia Pictor in tali casu non ex intentione, & fine repræsentandi Socratem, picturam fecit, Porro ex eodem capite, ex quo Socrates non dicitur idea, siue exemplar picture prædictæ; pictura ipsa nequit dici propriæ loquendo, imago Socratis. Vnde aliud est picturam hanc similem esse Socrati, aliud esse imaginem Socratis. Ratio enim imaginis præter similtudinem dicit rationē precedentis ab eo cuius est imago.

Hin habes, quod duo quidem possunt esse inter se mutuo perfectò similia, absq; eo quod mutuo sint sibi imagines. Immo implicat similitudinem non esse duorum, quorum hoc sit æque simile illi; ac illud huic. Quis enim dicat v. g. intercedere quidem

similitudinem inter Petrum, & Paulum, Petrum tamen esse magis similem Paulo, quam Paulum Petro: Quamuis autem sint isti duo perfectè similes, non sunt tamen mutuæ sui ipsorum imagines, cum non mutuo a se inuicem procedant.

Propterea quamuis in diuinis Pater, & Filius habeant perfectam similitudinem inter se. Implicat enim filium esse similem Patri, & Patrem non esse similem Filio: rectè tamen & Catholicé dixereis Filium esse imaginem Patris: est enim splendor gloriæ, & figura substantiæ eius; male autem, & erronee, patrem esse imaginem Filij: quia videlicet Filius à Patre, non autem Pater à Filio procedit.

Dubitatur autem inter Philosophus in quo nam consistat ratio ideæ, siue exemplaris, alij affirmantibus illam in conceptu formali, alijs autem in conceptu obiectiuo consistere. Pro cuius intelligentia scire debes, quod quicumque non casu & temere, nec aliunde, aut à natura determinatus; sed ex intentione elicita, & præstituens sibi finem operatur: priusquam operetut præcōcipit animo opus faciendum: Puta Architectus priusquam domum ædificet, præconcipit animo domum quandam, ad cuius imitationem domum extra animam ædificet; immo sæpissimè præter domum animo præconceptam, domum aliam, vel creataceam, vel cartaceam præędificat, ad cuius imitationem veram domum, & hominum habitationem ædificet, Formailla an imo pręcō-

ce.

cepta dicitur exemplar internum : domuncula ipsa cartacea dicitur exemplar externum, ad quod respiciens artifex operatur.

Circa illam domũ animo præconceptam, quę dicitur domus intelligibilis, duo consideranda sunt: videlicet ipsa formalis cognitio, quę est actus intellectus, & dicitur conceptus formalis; obiectum tali cognitioni correspondens; & dicitur conceptus obiectiuus. Sunt igitur qui cognitionem ipsam formalem idea appellant; sunt qui solum conceptum obiectiuum; plerumq; de voce magis, quam de re disceptantes.

Decidenda est hęc controuersia ex definitione superius allata, Idea est forma quam effectus imitatur, &c. siue: est id ad quod respiciens operans operatur: sed ad obiectum respicit operans, dum operatur; ergo conceptus ipse obiectiuus, seu obiectum cognitionis, est idea. Minor patet in quolibet operante ex idea. Regulariter enim loquendo non ad cognitionem ipsam respicit, sed ad obiectum. Cõfirmatur hoc ex D. Tho. quest. 15. ar. 1. corpore, vbi dicit, quod similitudo domus, quę est in mente ędificatoris, est idea domus faciendę: quia artifex intendit domum assimilare formę, quam mente concepit; non dicit: cognitioni quam habet anima; sed formæ quam mente concepit; igitur conceptus obiectiuus congruentius assignatur pro idea, quam conceptus formalis.

Obijcies. Idea est formam in anima existens, forma in anima existens est cogni-

tio: ergo idea est ipsa cognitio.

Resp. dist. mai. Idea est forma in anima existens subiectiue, nego mai. obiectiue: conc. mai. & eodem modo distincta min. nega conseq. Cognitio cum sit actus immanens animæ, recipitur in anima tamquam in subiecto. Obiectum autem cognitionis ipsius non est subiectiue, sed obiectiue in anima: esse vero obiectiue in anima nihil aliud est, quam cognosci. Potes igitur in mente Architecti duo considerare, cognitionem videlicet qua repręsentat sibi hoc, vel illo modo templum, vel domum, & domum ipsam ad cuius similitudinem domum ædificat. Domus illa per cognitionem repræsentata dici potest similitudo obiectiua domus faciendæ, cognitio ipsa qua talem domum sibi obijcit dici potest similitudo formalis, Prima dici potest domus intelligibilis, species, & forma: secunda; intelligentia domus, speciei, & formæ,

Quia tamen hæc ipsa cognitio, seu ille ipse conceptus formalis habet etiam esse militudinem suo modo domus faciundæ: ideo ipse operans per cognitionem reflexã prædictam cognitionem attinges, atque considerans, potest illa vti velut idea; sed hæc eadem, vt vides, per huiusmodi cognitioné reflexam euadit conceptus obiectiuus, diuersus ab illo primo conceptu obiectiuo, de quo diximus supra, per hoc quod sit insuper subiectiue in anima, non quidem per cognitionem reflexam formaliter sed præsuppositiuè,

In

In hoc sensu si intelligantur, qui ponunt rationē ideæ in conceptu formali, sunt tolerabiles, dummodo solum dicant conceptū formalem aliquando habere rationem ideæ, nō autem affirment simpliciter, & absolute, ideam consistere in conceptu formali, nō vero obiectiuo. Constat enim operantem non semper, immo rarissimè prædictis cognitionibus reflexis vti in operando.

Deniq; confirmatur hæc doctrina à paritate ideæ, seu exemplaris externi. Constat enim quod artifex operans ad imitationem ipsius, ad ipsum identidem respicit: puta Pictor picturam faciens ad imitationem Cæsaris, respicit identidem Cæsarem, vt illum imitetur in tela. Eodem modo qui exemplari vtitur solum interne, ad illud obiectum quod sibi repræsentat in anima, cogitationem conuertit, vt ad illius imitationem suum opus efficiat.

ARTICVLVS II.

In quo genere causæ sit idea.

Dicendum est causam idealem recte reduci ad efficientem, Ita sentire videtur D. Thom. loco supra citato, vbi sic habetur; *In quibusdam agentibus præexistit forma rei fiendæ secundum esse naturale, sicut in ijs, quę agunt per naturam, sicut homo generat hominem & ignis ignem: in quibusdam secundum esse intelligibile, vt in ijs qui agunt per intellectum, sicut similitudo*

domus præeiſtit in mente ædificantis. Quemadmodum igitur in ijs, quę agiunt per naturam forma naturalis conſtituit cauſam efficientem. Ita etiam in ijs, quę agunt per intellectum forma intelligibilis conſtituit cauſam efficientem in ſuo genere, hoc eſt efficientem per intellectum.

Hoc idem docuit Phil. 7. Metaph. textu 23. *Quodammodo* [iniquit] *ex ſanitate ſanitatem accidit fieri, & domum ex domo, quæ ſine materia, eam quę habet materiam*: Hoc eſt; contingit vt domus materialis fiat ex domo immateriali, & intelligibili, quę prçexiſtit in anima Architecti: & ſanitas materialis in Callia fiat ex ſanitate intelligibili, quę eſt in mente Medici. Quia & Architectus per domum intelligibilem in anima, & Medicus per ſanitatem intelligibilē; fit potens efficere, hic ſanitate, ille domū; & conſequenter recte reduces cauſam idealem ad efficientem.

Concluditur hęc noſtra ſententia breui ratiocinatione. Quod conſtituit agens proximè potens agere per modum formę, à quo procedit effectus, recte reducitur ad cauſam efficientem: hoc modo ſe habet exemplar, ſiue idea in artifice: ergo idea recte reducitur ad efficientem. Maior fundatur in illo dicto Philoſophi: *Vnumquodq; agit inquantum eſt actu*, quo ſignificatur rationem agendi in vnoquoqne eſse formam.

Qui à nobis diſsentiunt, ſentiunt ideam pertinere ad cauſam formalem. Hoc autem ſuadere ſic conantur. Philoſophus ideam, ſiue

siue exemplar sæpe formam appellat: ergo ex mente Philosophi idea potius ad causam formalem, quam ad sufficientem reducitur. Præterea aiunt considerandam esse duplicē formam, vnā intrinsecam, alteram extrinsecam; prima est illa, per quam res constituitur in suo esse specifico, & dicitur ipsum quod quid erat esse rei; altera autem est ad cuius imitatiōnem fit id, quod fit, & est exemplar in mēte artificis existens & ad quod respiciens artifex operatur. His non obstantibus standum est dictis.

Ad authoritatem Philosophi dic nos etiam causam exemplarem formæ nomine nuncupasse: nec propterea dicimus esse causam formalem. Ad rationem, dic distinctionem illam inter formam intrinsecam, & extinsecam esse extra rem. Si enim nihil aliud dicas, nisi ideam esse formam extrinsecam rei, quæ fit: verum dicis: sed si *Extrinsecam* distrabit nomen formę à vera ratione causæ formalis: ideoq; nos etiam, qui exemplar vocauimus formam, querimus postea, an hæc forma pertineat ad causam formalem, an ad efficientem: primum negamus, secundum asserimus. Ratio est, quia ita se habet hæc forma exemplaris in ijs, quæ agunt per intellectum, sicut forma naturalis in ijs, quæ agunt per naturam. Immo contingit vt forma naturalis existens in agente operante per intellectum per accidēs se habeat respectu formæ sibi similis in passo: per se autem se habeat respectu eiusdem forma intelligibilis. Res in exemplo patebit.

bit. Galenus sanus Calliam infirmum curat, habes in Galeno, & formam naturalẽ similem formæ ponende in Callia: & formã intelligibilem eiusdem: est enim in Medico idea sanitatis in infirmo ponendæ. Sanitas illa realis, & physica per accidens se habet ad sanitatem Calliç; idea vero sanitatis, quam dicimus sanitatem intelligibilẽ se habet per se qnandoquidẽ Medicus etiam non sanus curat infirmũ; carens autẽ idea sanitatis faciundæ non curat. Vides igitur formã naturalẽ sępe se habere per accidẽs: idealem vero per se, in ordine ad effectum.

Denique quemadmodnm aiunt hi, circa ea, quæ fiunt ab idea duplicem formam considerari posse, intrinsecam vnam, & alteram extrinsecam, & tam vnam, quam alteram dici posse causam formalem; ita etiam dicere posses in ijs, quæ fiunt per naturam duplicem formam reperiri; intrinsecam vnam, quæ est pars in effectu determinans illum ad hanc vel illam rationem entis, & alterã extrinsecã, quæ est in agente, à quo illa intrinseca, vt à principio effectiuo procedit. Tã enĩ verũ est hãc esse ab illa, quã verũ est in effectu procedẽte per intellectu, formã intrinsecã esse ab illa, quę est in mẽte artificis.

Quemadmodum igitur inepte diceres; ignis *B* esse duplicem causam formalem; vnam quæ est in ipsomet igne *B*, alteram vero quæ est in igne *A*; ita etiam non recte dixeris huius domus duplicem esse causam formalem, alteram quæ est in domo ipsa: alteram vero quæ est in mente artificis.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

De causis per accidens.

ARTICVLVS I.

De fortuna & casu.

DE causis per accidens satis fusè agit Philosophus in libris Phys. Et hanc, & illam rem concurrere ad illam aliam non per se, sed per accidens, centies repetitur in Philosophia. Dupliciter autem, quoad rem præsentem accipi potest causa per accidens. Primo ex parte causæ secundo ex parte effectus. Dicitur causa per accidens ex parte causæ, quando cum ratione per se faciente ad aliquem effectum coniungitur aliqua ratio impertinenter se habens ad eundem. Hoc modo Musicus est causa ædificij per accidens: musica enim in ædificante impertinenter se habet ad intentum ipsius. Dicitur per accidens ex parte effectus, quando cum effectu ipso coniungitur aliquid impertinenter se habens ad intentū causæ. Contingit autem non modo impertinenter se habere, sed etiam contrariè. Puta Medicus dans pharmacum ægroto quo purgetur, dat per accidens mortem ægroto eo quod cum euacuatione humorum peccantium, coniungatur effluuium spirituum animalium: ex quorum deficientia habetur corruptio viuentis. Inter causas per accidens

dens sunt magni nominis Fortuna, & casus, de quibus hic breuiter.

Definitur casus: *Causa per accidens effectuum raro contingentium in agentibus propter finem sine electione.* Dicitur *Effectuum rare contingentium*: quia quod semper, vel plerumq; ita fit non fit casu. Hinc intelliges dictum Philosophi, quod nonnulli satis impertinenter sæpe vsurpant: *Quod semper vel plerumq; ita fit, per se fit, & non per accidens.* Sensus huius dicti est, non contingere casu id quod semper, vel plerumque contingit. Et consequenter in ijs, quæ plerumq; accidens non excluditur omne esse per accidens, sed solum aliqua species essendi per accidens, videlicet esse casualiter.

Dicitur: *In agentibus propter finem sine electione:* nam ex agentibus propter finem, vt dictum est supra, alia seipsa determinant & sunt electiua, cuiusmodi sunt agentia intellectualia? alia vero non determinant seipsa: sed determinantur à natura, cuiusmodi sunt agentia non libera; in his vltimis dicitur casus. Exemplum effectus casualis habes in lapide decidente, & frangente caput Socratis; hic effectus est raro contingens: est ab agente propter finem; lapis enim pro pter centrum mouetur deorsum; est sine electione: nec enim lapis est agens electiuum. Hic idem incursus lapidis in caput Socratis fieri potuit non casualiter, sed ab aliquo proijciente, & intendente fracturam capitis Socratici, vt in lapidatoribus sæpe contingit. Potest etiam respectu proijcien-

tis

tis lapidem in caput Socratis esse per accidens mors Socratis; quatenus proijciens intendat solum leuiter delibare caput, & reipsa diffringat.

Fortuna autem difinitur; *causa per accidens effectuum raro contingentium in agentibus propter finem ex electione*. Per vltimā particulam; *ex electione* differt à casu Fortuna enim dicitur respectu agentium liberorum, non autem respectu sensu carentiū. Vnde, vt ait Philosophus, nemo dicit hoc & illos lapides fortunatos, nisi per metaphoram, quemadmodum Poetę dicunt de illis lapidibus, ex quibus fiunt delubra vel simulacra Deorum. Exemplū effectus fortuiti habes in homine fodiente terram vt vberius erumpat in fructum; & inueniente Thesaurum. Fossor est causa per se huius Fossionis, causa vero per accidens inuentionis thesauri, & ideo dicitur in tali casu bene fortunatus. Si loco thesauri draconem inueniat, dicetur male fortunatus.

Deniq; idem omnino effectus respectiue ad diuersas causas dicetur Fortuitus, & non Fortuitus per se, & per accidens. Exemplum D. Thomæ est. Si Dominus mittat duos seruos, alterum nihil scientem de altero: occursus seruorum in foro erit respectu ipsorum fortuitus, non autem respectu domini hunc eundem occursum, dum vtrumq; mitteret, intendéris. Hoc pacto explicatur quomodo respectu Dei nihil sit fortuitum; quia videlicet altissima sua prouidentia sic omnia disponit, vt quantúuis respectu causarū se-

secundarũ fortuiti sint & casuales effectus, tamen præter ipsius intentionem, aut præscientiam nihil omnino eueniat. Deus enim adeò perfectè gubernat omnia, vt sine ipso nec vnus passer cadat super terram: nec vllus capillus perea de capite vestro.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Fato.

DE fortuna & casu non ita sentimus, vt putemus sine ordinatione Dei quicquam euenire, siue in ijs quæ in Cælo, siue in ijs quæ in terra sunt. Hæc tamen ordinatio non impedit quin multa fortuito & casualiter respectu causarum secundarum eueniant: putauerunt autem aliqui neq; casu neque fortuna quicquam fieri, sed fatto agi omnia: qui si bene intelligerent quid sit fatum, non errarent.

Errauerunt igitur circa fatum multipliciter antiqui, & facile est etiam modernos Poetarum nugis nimis intentos aliquando decipi. Nomine fati intellexerunt aliqui ex veteribus quandam vim impressam syderibus, & à syderibus immisam in hoc omnia inferiora qua ita agantur vt à nulla pendeant libertate. Hoc fatum Dijs ipsis statuerũt nonulli, itaut nec Iuppiter ipse quod vellet sed quod in fatis esset, ageret. Vnde erat illud, *sic erat in fatis*.

Alij minus insipientes, nomine fati intellexerunt immobilem quamdam Deorum

vo-

voluntatem, qua, vt potę rerum inferiorum Domini, quemlibet effectum per agentia siue intellectualia siue sensu carentia ponẽdum, perempta omni libertate humana decernerent. Hanc voluntatem occultam esse, & per deorum responsa manifestari hominibus existimabant; vnde est illud Turni apud Virgilium.

Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges pro se iactãt responsa Deorũ.
Sat fatis Venerique datum est, tetigere quod arua.
Fertilis Ausoniæ Troes. Sunt & mea contra
Fata mihi ferro sceleratã exscindere gentẽ.

Huiusmodi fatum humanæ libertati inimicum certum est non dari: non solum quia de fide est homines esse liberos, sed quia humana ratione nostra libertas demonstratur. Admittendum est tamen fatum, sed eo modo quo describitur & quidem eleganter à Boetio, videlicet; *in rebus natura sua mobilibus dispositio immobilis, per quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus* Hoc fato omnia fiunt; diuina scilicet prouidentia vel intendente, si bonũ est, id quod fit, vel permittente si malum est: omnia autem siue bona sint, siue mala, ad suam gloriam ordinante. Ex quo sequitur nihil esse causuale respectu Dei. Non repugnat autem idem esse casuale respectu causæ secundæ, non vero casuale respectu primæ.

Post explicationem fati subnectitur explicatio monstri quod referri solet inter effectus casuales. De monstris agit Philosophus

phus ex professo in libris de Generat. Animal. & præcipue libro 3. cap. 4. & sequentibus. Definitur autem monstrum, *effectus naturalis à recta & solita secundum speciem dispositione degenerans*. Dicitur *effectus naturalis* quia in ijs quæ per artem fiunt, etiamsi sint aliqui defectus, non solent nisi per metaphoram monstruositas appellari. Exemplum monstri habes in homine cum duobus capitibus: cum capite equino, & alijs huiusmodi nato. Causæ monstri seu partus monstruosi diligenter examinantur à Medicis: inter quas potissimæ sunt redundantia vel inopia materiæ, defectus virtutis formatiuæ, indebita permixtio primarum qualitatum, mala dispositio loci in quo concipitur fœtus.

Effectus autem monstrosus comparari potest vel cum tota complexione causarũ, à quibus procedit, vel solum cum aliquibus quæ in tali complexione sunt primariæ, & quibus effectus simpliciter & absolute imputatur, Si comparetur cum tota complexione causarum, est effectus non casualis: tota enim illa complexio cum nihil aliud possit efficere quam aliquid huiusmodi, non casu illud efficit. Quod si comparetur cum aliquibus, ijsq; dumtaxat quibus absolute effectus tribuitur: dicitur casualis & monstruosus, v. g. causæ fœtus sunt mas & fæmina, illisq, simpliciter vt causis tribuitur. Intendunt autem producere effectum sibi similem in specie: puta vir & mulier hominem. Contingit autem alias concausas cum

vtro.

vtroque coniungi, puta qualitates prauas, vel alia huiusmodi à quibus determinantur ad generandum non hominem, sed draconem, vel noctuam, vel alia huiusmodi; puta hominem cum ceruice equina; quæ deinde per nundinas & fora circumferuntur; id curante humana industria, vt ex defectu naturæ saltem crumena ditescat. Partus huiusmodi dicitur mari semine causualis; secus toti complexioni causarum determinãtium ad ipsum.

DISPVTATIO V.

De Causis intrinsecis.

QVÆSTIO I.

Quomodo materia causet formam?

NOtandum primò, materiam primã posse comparari vel cum forma, tamquam cum comparte in composito, vel cùm ipsomet composito Si comparentur cum forma, comparatur cum aliquo quod est adæquate extra ipsam, dico, *extra ipsam* non diuisione, nec loco; sed distinctione: materiam enim & formam esse inuicem adæquate extra se ipsas, est vnam adæquate distingui ab altera, hoc est neutram esse constitutiuum intrinsecum alterius. Si autem comparetur cum toto, non comparatur cum altero à se con-

contradiſtincto, ſed cum aliquo cuius ipſa eſt pars, & conſtitutiuum intrinſecum, vt patet ex terminis.

Hinc habes quod materia quatenus eſt cauſa formæ eſt cauſa alicuius à ſe contradiſtincti: adeoq; etiamſi vniatur cum ipſa, dicitur tamen cauſa ipſius extrinſeca; quatenus autem eſt cauſa totius, non eſt cauſa alicuius contradiſtincti, ſed alicuius ipſam includentis vt partem, ideoq; dicitur cauſa intrinſeca totius. An autem pec eandem cauſalitatem cauſet & totum & formam, dicetur infra.

Notandum ſecundo rationem qua probauimus dari materiam primam eſſe: quia naturaliter ex nihilo nihil fit: adeoq; agens naturale eget ſubiecto, quo adiuuante producat formam: & producendo formam, illamq; materiæ ſeu ſubiecto vniens, generet ſubſtantiam, quæ de nouo ponitur in rerum natura. Hæc vbi de materia prima egimus ſatis abundanter explicata ſunt; nunc vero videndum eſt quomodo materia cauſet formam.

Dico igitur. Materia cauſat formam per ſuſtentationem. Ad intelligentiam concluſionis tenenda eſt diuiſio ſubiecti alibi inſinuata in ſubiectum adhæſionis, & ſubiectū inhæſionis ſeu ſubſtentationis. Subiectum inhæſionis confundimus hic cum ſubiecto ſubſtentationis, quia ad rem præſentem inutilis eſſet diuiſio vnius ab altero. Per ſubiectum ſubſtentationis intelligitur cauſa materialis formarum ſubſtãtialium. Per ſu-

subiectum inhæsionis causa materialis formarum accidentalium. Porro ratio subiecti sustentationis consistit in hoc, quod subiectum concurrat cum agente ad productionem effectus concursu passiue influẽte ad eductionem formæ: quid autem sit concursus ille passiuus non satis conueniunt nec satis facile explicatur.

Quod vero concursus ille materiæ ad productionem formæ materialis, det materiæ rationem causæ, præter alibi dicta, probari sic vlterius posset. Omnis concursus ad existentiam alterius est vel per modum causæ vel per modum conditionis: concursus materiæ primæ ad productionem formæ substantialis non est per modum conditionis: ergo est per modum causæ. Probatur minor paritate ab artificialibus ducta, qua fere vnica vtitur Philosophus in hac materia. Certum est quod marmor ex quo Statuarius conficit statuam concurrit ad effectionem statuæ, concursu diuerso ab eo quo concurrit approximatio marmoris ad Statuarium. Patet hoc: nam statua fieri dicitur ex marmore, non autem ex marmoris approximatione: sed materia prima concurrit ad opus naturæ, modo quodam ita se habente ad ipsum, sicut se habet materia artis ad opus artificis: g. quemadmodum materia artis, puta marmor, & ferrum &c. concurrit non vt conditio, sed vt causa: ita etiam materia prima concurrit ad opus naturæ non vt conditio: sed vt causa.

Confirmatur: quia materia prima ad pro-

productionem formæ materialis concurrit realiter, & alia ratione requiritur, quam requiratur ad productionem animæ rationalis; sed ad productionem animæ rationalis requiritur per modum subiecti, quod informetur, & conditionis sine qua naturaliter non produceretur: ergo ad productionem formæ materialis requiritur non vt pura conditio, sine qua non, neq; secundum præcisam rationem subiecti informandi; sed vt subiectum ex quo prædicta forma educatur. Hoc intellexit Philosophus, quando definiuit materiam primam: *subiectum ex quo aliquid fit cum insit*, quid autem sit educi formam e materia multipliciter & varie à varijs explicatur.

Aliqui: de quibus alibi aliquid indicauimus; aiunt omnes formas materiales esse actu in materia prima, & ex illa hoc & illud ens completū in aliqua specie fieri per hoc, quod hæc vel illa forma prius latens in visceribus ipsius, emergat è profundo & in superficie illius appareat. Hoc modo ex aqua fieret rana, per hoc quod rana latitans in profundo emergeret, & in eiusdem superficie appareret; & quemadmodum inepte hoc secundum, ita etiam inepte illud primum asseritur, & hæc esset sufficiens impugnatio huius sententię, in qua nulla substantia fit de nouo, sed solum prius latens foras erumpit, & ostendit se mundo.

Præterea iuxta hanc sententiam, in materia informata forma ligni datur etiam forma ignis, forma canis, & quælibet forma

sub-

subſtantialis, ſicut datur forma ligni, cum hoc ſolo diſcrimine, quod forma ligni eſt in ſuperficie, aliæ ſunt in profundo materiæ. Quod autem in materia informata forma ligni ſunt actu omnes aliæ formæ facit quod lignum tam ſit ignis, tam leo, tam canis tam quælibet alia ſubſtantia, quam lignum, quod ex ſeipſo & ſua abſurditate ſe deſtruit. Adde quod inter multa diſcrimina, quæ afferuntur inter opus naturæ & opus artis, eſt quod forma inducta per artem, eſt in ſola ſuperficie ſubiecti præſuppoſiti ab artifice: forma autem inducta per naturam eſt intime penetrata cum ſubiecto præſuppoſito ad actionem naturæ.

Conſtat hoc in leone artificiali, & in leone naturali, primi enim forma eſt tantum ſuperficialis, cum in viſceribus illius marmoris non ſit magis forma leonis, quam in quocumq; alio marmore rudi: & in leone naturali forma leonis non eſt in ſola ſuperficie, ſed intimè penatrata cum toto corpore; immo forma illa extinſeca, ſiue figura eſt verum accidens, quod profluit à forma intrinſeca ſubſtantiali: hoc eſt ab anima leonis exigente talem diſpoſitionem inter partes corporis à ſe informati.

Alij inter quos potes videre P. Maurum aſſerunt quod formam ſubſtentari à ſubiecto, nihil aliud eſt quam dependere à ſubiecto in quo recipitur; hinc inferunt animam rationalem non ſubſtentari à materia, quia quamuis recipiatur, non tamen dependet ab ipſa: formas vero materiales ſuſtentari à

quia ita recipiuntur vt dependeant ab ipsa, quam dependentiam formarum materialiũ & independentia Animæ rationalis à materia explicant per hoc, quod Anima rationalis habeat esse separabile à materia, vt pote forma per se subsistens, aliæ vero formæ vtpote formæ non subsistentes, non habeant huiusmodi esse, vt docet D. Th. 1. parte quæst. 75. art. 2. & 3.

Si hæc inseparabilitas formæ materialis à materia sic accipiatur, vt neque per diuinam omnipotentiam possit existere forma materialis extra materiam, non est concedenda; cum docuerimus supra, formam materialem posse existere separatam ab ab omni materia, & materia ab omni forma. Si autem sic intelligatur vt nequeat naturaliter forma naturalis ita existere, concedenda est, & in hoc forma materialis vere discriminatur ab anima rationali, cum eam posse naturaliter existere extra materiam, ostendatur in libris de Anima. Hanc rationem explicandi eductionem formæ ex materia tenet Ruuius eamque desumit ex D. Thoma 1. parte quæst. 90 art. 2. ad 2. Vbi dicit quod *formam extrahi de potentia materiæ nihil aliud est quam aliquid fieri in actu quod prius erat in potentia*, Animam vero rationalem negat ita fieri actu vt prius esset in potentia materiæ, *quia* inquit *Anima non habet suum esse dependens à materia &c*, ergo secundum D. Thomam idem est forma educi siue extrahi de potentia subiecti, ac habere esse dependens à subie-

ćto,

cto: Anima vero rationalis non habet suũ esse dependens à materia, quia habet esse subsistens, vt idem docet ibidem: formæ vero materiales habent esse dependens à materia, quia non habent esse subsistens vt docet quæst. 75. art. 3.

Dices: apparet quidem in hoc quod dictum est, discrimen inter forma rationalem & materialem: scilicet quod illa possit naturaliter esse extra materiam: hæc vero minime. Sed hoc discrimen non euincit quod materia prima respectu formarum materialium habeat rationem causæ: quia etiamsi materia prima haberet rationem puram conditionis sine qua non respectu formarum materialium, adhuc formæ materiales non posset naturaliter existere extra ipsam, ergo non posse formas materiales existere extra materiã, non conuincit quòd materia sit causa ipsarum.

Verum; considerentur Animæ hominis & equi in eo instanti in quo fiunt; certum est quod in illo instanti aliud munus exercet materia prima in productione animę equinæ, quam in productione animæ rationalis sed in productione animæ rationalis exercet munus conditionis sine qua non: ergo in productioue Animæ equinæ illud munus exercet quam conditionis sine qua non. Maior probatur, quia productio animæ rationalis est creatio, non autem productio Animæ equinæ: hæc dicitur fieri dependenter à subiecto, ille independenter; Anima rationalis fit à Deo solo sine concursu agentiũ

creati, Anima equina ab agente creato: agens creatum habet indigentiam subiecti, vt producat formam, Deus hanc indigentiam non habet. Hæc indigentia fundatur in limitatione virtutis, & importat ex parte subiecti concursum quendam in eadem limitatione virtutis actiuæ fundatum; adeoque non se habet vt pura conditio, sicut se habet respectu Dei creantis anima rationalem.

Hinc facile intelliges dependentiam quã habet forma materialis, puta anima equi à suo obiecto, esse dependentiã à causa. Nam anima equi habet illam dependentiã à suo subiecto, quæ opponitur independentiæ animæ rationalis à suo; sed independentia animæ rationalis à subiecto est independẽtia à causa: g. dependentia animæ equinę à subiecto est dependentia à causa. Maior probatur: quia in illo eodem sensu dicunt Philosophi & Theologi omnes Animam rationalem fieri independenter à subiecto, in quo dicunt formam equi & quamlibet aliam formam materialem fieri dependenter à subiecto. Minor autem probatur: quia independentia Animæ rationalis à subiecto non est independentia à conditione sine qua non, nequit enim fieri naturaliter Anima rationalis nisi in subiecto ergo est independentia tanquam à causa.

Constat igitur quod quando S. Doctor dicit Animam rationalẽ non habere suum esse dependens à materia, anima vero equi habere suũ esse depẽdẽs à materia, loquitur

tur de dependentia tamquã à causa vt causa, quę simpliciter & absolute dicitur depẽdentia. Probatio igitur nostræ conclusionis ex D. Thoma reducitur ad hunc Syllogismú: Anima equi habet dependentia à materia in ea ratione, in qua hominis Anima habet independentiam: sed Anima hominis habet independentiam à materia non tamquã à conditione, sed tamquã a causa: g. Anima equi habet dependentiam à materia, non tamq;à conditione sed tamquam a causa. Mai. est certa: quia prædictæ formæ in hoc opponuntur, & ideo vna creari dicitur altera vero non sed educi. Min. etiam est indubitata; quia connaturaliter creari nequit Anima rationalis, nisi præsupposito subiecto ad cuius exigentiam illa creatur.

Omitto hic prosequi alios modus explicandi eductionem formæ materialis à materia, inter quos est ille de inchoatione formarũ. Aiunt enim aliqui formas, quæ dicũtur educi, præexistere secundum quasdam inchoationes sui in materia, & actione agẽtis vsq; ad perfectionem sui esse perduci.

Reijcitur breuiter hæc sententia: primò à paritate formarum artificialium: quis enim dicat in marmore quolibet esse inchoatiue formam Cæsaris, leonis, lupi, *&c.* nisi per li *inchoatiue* intelligatur esse in hoc marmore potentiam vt euadat Cæsar, leo, *&c.* In hoc sensu non est dubium esse in materia prima inchoationes formarũ materialium. Secundo quia prædictæ formæ inchoatæ vel sunt formaliter in suo esse puta

in esse ignis, in esse plantæ, &c. vel non: si sunt: ergo in qualibet substantia est formaliter & actu quælibet substantia; quod, reiectum est supra, vbi de formis latentibus. Si non: quid igitur sunt huiusmodi inchoationes nisi potentia materiæ per formam quamlibet actuabilis actione agentis? Deniq; si per inchoationes formarum intelligantur formæ quædam minimè ad quas fiat additio aliarum, actione agentis, vt in debitam molem excrescant; præterquā quod in quolibet ponunt actu quodlibet, redit difficultas vnde illa additamenta, siue illæ aliæ partes, quæ adduntur, habeantur, cum antea in materia non essent; & consequenter prædictæ inchoationes non faciunt quin aliquid fiat ex nihilo sui, quod maxime fugere intendit non fata sententia.

Standum est igitur, explicationi petitę ex D. Thoma locis citatis, dicendumque materiam concurrere passiue, seu passiue influere in formam materiale per hoc, quod concurrat concursu quodam adiuuante insufficientiam agentis creati; quæ est ratio cur agens creatum indigeat subiecto vt cōcausa, non autem agēs increatum: quamuis enim Deus ipse vti possit subiecto vt concausa; nequit tamen hoc facere ex indigentia, cum subiectum ipsum ex nihilo creet. Totam hanc doctrinam habes apud August. lib. 1. de libero arbitrio, vbi dicit illum non optime sentire de Deo, qui non existimat illum esse rectorem iustissimum eorum omniū quæ creauit; nec vlla adiutum esse

na-

natura in creando, quasi qui non sibi sufficeret, ex quo fit vt ex nihilo creauerit omnia. Agens autem creatum adiuuari debet aliqua natura, videlicet materia prima vt dictum est, non enim sibi sufficit ad agendum.

QVÆSTIO II.

Quomodo materia & forma causent totum.

DIco primò. Non sicut materia causat passiue formam, sic etiam causat passiue totum, totum inquam secundum distributionem partium. Hæc conclusio est clara: quia ipsa materia est pars totius materia non causat passiue seipsam; ergo non causat passiue totum secundum distributionem partium,

Dico secundo. Materia & forma causant intrinsecè totum per vnionem. Probatur: quia materia & forma causant intrinsecè totum per hoc quod se sibi mutuo communicent, sed se sibi mutuo communicant per vnionem; g. matéria & forma causant totum per vnionem. Patet; per hoc enim formaliter habetur totum quod forma communicetur materiæ, & materia formæ: vniri autem ista duo extrema & sibi inuicem cõmunicari; sunt vnum & idem. Minus proprie vsurpatur hic vox ista *causare*, magis proprie materia & forma dicerentur constituere totum, quam causare totum per vnionem.

Quæres cur non poterit dici quod causalitas materiæ & formæ respectu totius habeatur per ipsammet sustentationem, qua forma educitur de potentia subiecti?

Resp. non posse hoc vniuersaliter dici: quia etiam vbi non datur talis sustentatio, materia & forma causant intrinsece totum. Patet hoc in cōposito humano, in quo materia & anima rationalis ita constituunt vnum; vt hæc non educatur de potentia illius constituunt autē per mutua cōmunicationem, quæ consistit in vnione: g. per vnionem formaliter constituunt totum.

Præterea ratio ex pluribus faciens vnum substantiale est de prædicamento substātię, vt dictum est alibi, sustentatio autem siue eductio non est de prædicamento substantię cū pertineat ad prædicamentū actionis aut passionis: g. eductio non est ratio faciendi vnum ex materia & forma.

Hinc habes vnionē esse quid realiter distinctum ab eductione etiam in substantijs adæquate materialibus: nam eductio est accidens, vnio est substantia modalis; g. eductio non est vnio. Adde quod actio est aliquid transiens, vnio aliquid permanens g. idem quod supra. Aduertendum tamen est aliquando nomine sustentationis intelligi vnionem formæ cum dependentia à materia & in hoc sensu non est dubium sustentationem secundum vnionem, esse causalitatem materiæ & formæ respectu totius.

Habes præterea materiam & formā non vniri formaliter per actionem productiua

for.

formæ, tum ab argumentatione prædicta; tum quia si ita esset; non posset Deus se solo facere substantiam factibile à se simul cum alia substantia creata: puta non posset se solo facere ignem quem facit concurrendo cum alio igne, quod est absurdum. Probatur sequela: quia actio esset ratio formaliter vniens extrema, sed actio solius Dei est essentialiter diuersa ab actione Dei & substantiæ creatæ; ergo ratio formaliter vniens extrema esset essentialiter diuersa: sed ratio formaliter vniens extrema est de quidditate substantiæ; ergo aliquid pertinens ad quidditatem substantiæ esset essentialiter diuersum, & consequenter etiam ipsa substantia: adeoque ignis à solo Deo factus, esset specie diuersus ab igne, quem facit Deus concurrens cum alio igne. Diuersitatem in quodlibet ex constitutiuis ponere diuersitatem in cōstituto: patet ex alibi dictis.

Censemus autem vnioni pro subiecto inhæsionis congruenter assignari solam materiam, quamuis etiam forma sit subiectum adhæsionis. Quid sit subiectum inhæsionis, quid adhæsionis constat ex dictis; secundum non dicit rationem causa ac prioritatem naturæ; secus primum. Hoc posito probatur conclusio: primo: quia sufficit materia pro subiecto inhęsionis, nec enim ad hoc vt vnio vniat vtrumque extremum, necesse est subiectari in vtroque: ratio est: quia vnio vt vniens respicit id quod vnit per modum extremi, non autem per modum subiecti: indiget autem subiecto in quo sit, quia cum

sit modus, necessario debet esse in alio. Secundo quia congruentis est negare quam concedere formæ prioritatem naturæ; nam esse id ex quo fit id quod fit, & consequenter præexistere toti, est proprium materiæ; vt millies dicit Philosophus; fit autem id quod fit per hoc quod fiat totum: quod secundum doctrinam Philosophi simpliciter dicitur fieri: fit vero totum per actionem terminatam ad vnionem, quæ est ratio formalis faciens vnum, hoc est faciens substantiam ex materia & forma. Habes præterea solitam paritatem ex artificialibus; in quibus inepte diceres formam præsupponi natura ipsi artefacto: quod si dicas fieri totum per hoc quod fiat forma, falsum est: quia si vnio educatur de potentia formæ, tam forma quā materia sunt pro priori ad totum. Puta tam forma quam materia ignis sunt pro priori ad ignem, neq; enim est ignis nisi sit vnio inter materiam & formam ignis: non fit autē formaliter totum per hoc quod fiat aliquid præcedens totum. Præterea æque proprie homo hominem generat, ac ignis ignem, & tamen actio generatiua hominis non terminatur ad forma, tamquam ad terminum productum, sed ad vnionem, quæ est communicatio termini à Deo creati ad materiam. Deniq; dispositiones quæ sunt in materia ad forma ignis sunt etiam ad vnionem eiusdem cum forma, & consequenter melius dixeris vnionem, & forma se habere concomitanter, quam forma esse priorem vnione.

Di-

Dices. Prius est esse quam vniri: ergo existentia formæ est prior vnione. Probatur antec. valet enim: *vnitur; ergo est*: non autem valet *est ergo est vnita*, cum impossibile sit forma vniri, & non esse; non autem impossibile est ipsam esse, & non vniri.

Resp. dist. mai. est prius prioritate naturæ, nego prioritate logica; conc. Quælibet proprietas essendi est logice posterior ad ipsum esset quia quælibet differentia essendi infert ipsum esse: esse autem vnitum est aliqua differentia essendi, & consequenter infert esse; ita moueri est prius quam currere, valet enim: currit, ergo mouetur: non autem valet; mouetur, ergo currit: currere est differentia motus, seu potius est species motus: ratio inferior infert superiorem, species genus.

Hinc habes vnionem esse materialem; nã quod educitur de potentia materiæ est materiale. Hoc idem haberes, etiãsi tam à forma quã è materia educeretur: per hoc enim præcise quod passiue pendeat à materia, est materialis; sed pendere insuper à forma etiam spirituali, non tollit pendere à materia, ergo non tolletur ab vnione ratio materialis: pendere enim à spiritu & à materia non negat, immo ponit pendere à materia.

Dices, vnio est materialis; ergo est multiplex, ergo falsum est quod alibi dictum est, vnionem esse vnicam in cõposito. Probatur prima consequentia; quia omne materiale est diuisibile, diuisibile autem, est mul-

multiplex, constat enim pluribus partibus, quarum singulæ sunt in eadem specie ac ipsum; puta lignum palmare constat multis partibus quarum quælibet est lignum. Vnio igitur si diuisibilis est, pluribus partibus constat, quarum quælibet est vnio. Præterea istæ partes vnionis seu istæ vniones partiales coalescunt in vnam totalem, quæ est vnica mediantibus alijs vnionibus, debent enim inter se vniri, vt coalescant in vnum, sicut plures particulæ eiusdem lignum palmaris vniri debent, vt in vnum palmum coalescant.

Resp. esse vnicam vnionem totalem, sicut vnica est materia qua totum constat, licet sit diuisibilis in plures particulas, quarum quælibet est materia. An autem partes illæ in quas est diuisibilis vnio sint finitæ an infinitæ, an actu, an solum potentia distinctæ, an egeant vel non egeant vnionibus, quibus inter se copulentur, & an huiusmodi vniones etiam ipsæ sint diuisibiles, an indiuisibiles non facit ad rem præsentem.

Si singulæ partes vnionis vniantur distinctis vnionibus, huiusmodi vniones non sunt vniones materiæ ad formam, aut formæ ad materiam: sed vniones continuatiuæ partium vnionis totalis, de quibus dicendum erit quod de quolibet continuo, & de quolibet diuisibili suo loco dicemus. Interim nota quod etiam data duplici vnione; vna scilicet ex parte formæ, puta ex parte animæ rationalis, quæ sit spiritualis: & altera ex parte materiæ, manet eadem

om-

omnino difficultas, quæ non est difficultas vnionis sed continui. Adde quod excepto homine difficile est in substantijs sensibilibus ponere vnionem spiritualem.

QVÆSTIO III.

An eadem actione producatur & vnio & forma.

ACtio qua producitur vnio vocatur vnitio? est autem inter vnitionem & vnionem illud discrimen quod est inter albedinem & dealbationem. Albedo enim est illa forma qua subiectum est album. Dealbatio est actio illa, qua albedo communicatur subiecto. Vnio est ratio formalis qua materia & forma euadunt vnum quid; vnitio est illa actio qua ponitur in rerum natura vnio.

Considerandа est autem in materia duplex indifferentia. Altera est ad concurrendum vel non concurrendum passiue ad productionem formæ; altera ac concurrendum vel non, ad productionem vnionis. Prima tollitur per actionem eductiuam formę, secūda per actionem eductiuam vnionis. Dubitatur autem hic an vna sit actio ablatiua utriusq; indeferentiæ, an duplex.

Dicendum est primo. Non est de ratione actionis qua producitur vnio, esse productiuam formæ, quæ per vnionem communicatur materię. Probatur: quia in generatione hominis actio terminatur ad vnionem

qua

quia anima rationalis communicatur materiæ: non autem est productiua animæ: ergo &c. Hinc habes quod non quidlibet potes communicare formam materiæ, est illico potens producere formam; cum actio agentis creati communicet materiæ animam rationalem, quam nequit producere.

Dicendum est secundò. Non repugnat per vnam candemq; actionem produci & formam & vnionem formæ. Probatur; quia non repugnat eandem actionem terminari ad plura; ita eadem visio est & albi & nigri, eadē auditio acuti & grauis. Confirmatur ex alibi dictis; nam & forma & vnio & actio ipsa in vno eodemque subiecto receptātur.

Dices. Actio specificatur à tarmino: ergo eiusdem actionis nequeunt esse plures termini. Brobatur ant. quia actio motus, motus autem à termino, vt aiunt, specificatur. Probatur conf. quia essent plura specificatiua eiusdem, adeoq: idem esset multiplicis speciei.

Resp. transmisso antec. eiusq; probat neg. conseq. Ad probationem distingue; essent plura specificatiua adæquata: nega, inadæquata, concede. Visionis attingentis album & nigrum specificatiuum adæquatum est album & nigrum; itaut visio attingens solum album ab ipsa differat: sicut & differet, si solum nigrum, Actio terminata ad vnionem simul & ad formam specificatur ab vtraque simul: itaut differat à qualibet terminata ad alterum dumtaxat ex prædictis.

Dicen-

Dicendum est tertio. In substantijs adæquate materialibus eadem actione ponitur in natura & forma & vnio. Probatur: quia materia prima est æq: disposita ad vtramq: & agens æque vtriusq: effectiuum; non est igitur cur multiplicetur actiones iuxta illud, *frustra fit per plura quod æque fieri potest per pauciora.* Quamuis autem eadem sit actio per quam & forma & vnio ponitur in natura: dicitur tamen generatiua per hoc quod terminetur ad vnionem, vt ad rationem productam, non autem per hoc quod terminetur ad formam, nisi li *terminari* intelligas pro terminari ad rationem communicatam. Non est autem nouum actionem recipere hanc vel illam denominationem ab hoc potius quam ab illo. Ita actio solis est illuminatiua & calefactiua: dicitur autem illuminatiua prout terminatur ad lucē, calefactiua prout ad calorem.

Contra ea quæ tam hac, quam superioribus quæstionibus dicta sunt.

Obiic. 1. Sequitur ex prædicta doctrina hominem fieri dependenter à materia: consequens est absurdum, ergo & antec. Sequela mai. prob. quia homo fit per illam actionem quæ terminatur ad vnionem: actio quē terminatur ad vnionem est dependens à materia, & vera sustentatio; ergo homo fit dependenter à materia, & per veram sustentationem. Min. vero prob. quia homo dicitur creari.

Resp. conc. mai. neg. min. Ad probationem; homo generatur, anima creatur; adeo-

deoque falsum est dici de homine quod creetur, sicut falsū est dici de anima, quod sit hom. Tam autem proprie homo hominem, quam ignis generat ignem: quia videlicet ratio formalissima generantis consistit in hoc quod producat id, quo duo extrema sunt formaliter vna substantia; hoc autem aque producitur ab homine *A* in homine *B*, ac ab igne *A* in igne *B*.

Quemadmodum autem eque proprie generatur homo, ac ignis; ita etiam aque proprie corrumpitur homo, ac ignis: vterque videlicet per destructionem vnionis, seu per separationem formæ à materia, siue illa forma supersit, siue non, destructioni totius. Hinc ineptum est hoc argumentum: actio qua ignis generat ignem ponit in natura non solum vnionem, sed formam: actio vere, qua homo generat hominem ponit in natura solam vnionem: ergo magis proprie ignis generat ignem, quam homo hominē Conc. ant. & nega conseq. Poni in natura, vel non poni Per actionem *A* formam, quæ per actionem *A* communicatur materiæ, impertinenter se habet ad conceptum generantis: sicut impertinenter se habet ad conceptum corrumpentis tollere, vel non tollere è rerum natura, formam quæ separatur à materia.

Ad probationem min. nota actionem illam, qua educitur vnio de potentia materiæ, in generatione hominis, dici sustentationem non respectu animæ, sed respectu vnionis: idem enim est sustentari, ac esse in

materia

materia dependenter ab ipsa in genere causæ: materia autem est quidem causa vnionis, non autem animæ rationalis, ex quo apparet non omnem formam, quæ immutat intrinsece materiam, respicere materiam per modum causæ passiuæ.

Obijc. 2. Omnis causa alicuius effectus est causa; causa formalis nullius effectus est causa, ergo causa formalis non est causa. Maior est certa; causa enim, & effectus sunt correlatiua: Minor probatur; quia neque totum, neq: vlla pars totius pendet à forma. Non forma, nec enim ipsa à seipsa pendet; immo esse à se, & pendet, sunt termini repugnantes. Forma autem non est à se, nec vllo modo pendet à se. Non materia quæ præsupponitur ipsi: diciturq; à Philosopho ingenerabilis, & incorruptibilis. Non vnio, vt dictum est supra. Non totum ipsum: cum in toto nihil sit præter materiam, formam, & vnionem, quorum singula sunt independentia à forma, vt patet ex enumeratione proposita.

Resp. concessa mai. neg. min. Ad probationem dic effectum causa formalis esse totum; quod non dicitur respectu formæ effectus simpliciter: sed effectus formalis. Quod si quæras aliquid quod sit effectus simpliciter sine addito respectu causæ formalis; absurde petit: cum effectus simpliciter sit correlatiuum efficientis, quę etiã simpliciter, & sine addito dicitur causa. Vnde quærenti causã incẽdij recte assignatur, qui ignem applicuit: & quærent causam

cuius-

cuiuslibet rei simpliciter: recte assignatur, qui rem illam effectus. Effectus igitur formalis albedinis est album, quodlibet totum substantiale dicitur effectus formalis illius formæ, per quam constituitur in hac potius, quã in illa ratione substantiæ. Hinc vides effectum formalem formæ non contradistingui à forma. Ad probationem, quæ fit per enumerationem, dic quod quemadmodum nulla pars est totum, ita etiam nulla pars est effectus formalis formæ.

Nota obiter discrimen inter materiam, & formam. Tam hæc, quam illa determinat per modum intrinseci constitutiui totum. Materia autem determinat insuper per modum causæ ad existẽtiam tam formæ, quam vnionis. Hinc materia præter seipsam, dat toti vnionem, & formam in genere causæ materialiter concurrentis ad existentiam vtriusq; forma autem nihil dat, nisi seipsam hinc apparet, quod etiam si debeat præsupponi toti materia, iuxta illud: *Ex nihilo nihil fit*, non propterea debebit præsupponi forma, vt suo loco dicetur.

Facile est ex dictis colligere quomodo tota substantia dicatur genita ab alia substantia, puta homo ab homine, ignis ab igno. Sunt qui dicant ideo ignem *B* tribui igni *A*, quia quamuis aliqua pars constitutiua ipsius, puta materia non sit ab igne *A* est tamen ab igne *A*, forma, vtpote pars potior in toto, sustinet denominationem quidditatis. Hæc doctrina infirma est. Quid enim dicent de homine, in quo nec materia,

ria, nec forma est à generante? Melius igitur dices effectum tribui simpliciter, & absolute efficienti, quia efficiens producendo vnionem communicat formam materiæ, & efficit ex duobus extremis vnum quid, vt dictum est.

Iam vero ad complementum huius controuersiæ: satisfaciendum est nonnullis dubitationibus. Dubitabis igitur primo, an Deus supplere possit pro causa materiali.

Resp. ex dictis causam materialem considerari posse, vel vt causam formæ, vel vt causam, seu potius constitutiuum totius. Vt causa formæ suppleri potest à Deo, non quidem gerent se vt causam materialem: implicat enim Deum pati vel eductionem, vel formam, sed vt causam efficientem. Supplebit autem per hoc, quo sine concursu materiæ vel se solo, vel simul cum efficiente creato, vberius influat in effectum, vel quolibet alio altiori genere supplendi. In genere autem causæ intrinsecæ, seu constitutiui implicat Deum supplere, hoc est implicat ex Deo, & forma ignis fieri illud totum quod fit ex materia, & forma ignis.

Dubitabis secundo. An supplere possit pro causa formali?

Huic dubitationi, si bene memini, satisfactum est alibi, vbi dictum est esse implicantiam in terminis ex Deo, quolibet alio fieri illud totum, seu compositum, quod fit ex materia, & quolibet forma creata, seu

quod

quod fit ex quibuslibet creatura , & creatura . Hinc habes etiam nullam formam , immo nullam rem creatam,immo nullam rem simpliciter posse pro vlla alia rem supplere in genere constitutiui intrinseci . Quæ omnia patent ex terminis , sicut patet binarium ex Petro & Paulo non esse binarium ex Petro & Frncisco .

Solutis dubitationibus circa materiam , & formam , non est quod dubitetur circa vnionem . Ideoque procedendum est ad aliud .

QVÆSTIO IV.

De Toto.

ARTICVLVS I.

An totum , & partes sint idem?

PRæter materiam , formam , & vnionem dari præterea in quolibet toto substantiali , subsistentiam ; quæ sit veluti vltimum complementum illius substantiæ,est sententia satis communis ; quamuis communiter non conueniant in determinando quidnam sit prædicta subsistentia . Quæstio præsens ab illa quæstione præscindit . Siue igitur in toto præter materiam , formam , & vnionem detur , siue non detur prædicta subsistentia : quærimus , an totum distinguatur realiter à partibus intelligendo nomine partium materiam,& formam,vnionem, & sub-

ſubſiſtentiam ipſam, ſi hæc detur: materiam, formam, & vnionem præciſe, ſi ſubſiſtentia ſit aliquid pure commentitium: de quo alibi.

Dico primo. Totum diſtingitur realiliter à ſingulis partibus. Concluſio eſt indubitata: totum enim de qualibet ſui parte eſt negabile, & viciſſim quęlibet pars de toto, quod ipſa conſtituat. Nam verum eſt: homo non eſt anima: homo non eſt materia, ſicut verum eſt anima non eſt homo: materia nō eſt homo. Eſt enim euidens, in toto præter quamlibet partem includi aliam partem, adeoq; totum diſtingui à parte qualibet, ſicut includens ab incluſo. Hæc concluſio ſicut eſt manifeſta inteligenti, ita non intelligenti nequit probari.

Dico ſecundo. Totum non diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis. Hæc concluſio nihil aliud dicit, niſi totum nihil eſſe præter omnes ſui partes, adeoque eſt ferę æque euidens, ac prima, quamuis aliquos habeat aduerſarios, quos non habet prima. Probatur autem, quia poſitis omnibus partibus ponitur formaliter totum; ergo totum non conſiſtit in alio quam in omnibus partibus ſimul. Nomine partium vtēdum eſt hic paulo liberalius, intelligendo videlicet nomine partis tam *id quod* ſe habet vt quo, quam id quod ſe habet vt quod, in toto.

Probatur vlterius eadem concluſio accipiendo illud totum, quoad aiunt Aduerſarij diſtingui à partibus ſimul ſumptis. Nam vel illud totum eſt partiale conſtitutiuum ſub-

substantiæ physice, vel est ipsamet adæquata substantia physica: neutrum dici potest; ergo illud totũ distinctum ab omnibus partibus est totum chimericum. Minor probatur; si enim dicas esse partiale constitutiuum substantiæ, eo ipso non est totum; implicat enim in terminis quod pars sit totum: si autem dicas esse ipsammet totam substantiam, seu ipsummet vnum quid; peto vt assignes, quid sit præter materiam, formam, & vnionem, & si vis etiam subsistentiam. Vel enim est contradistinctum ab omnibus illis portibus, vel solum distinctum; vtrumque repugnat ex terminis: esse distinctum solum est esse vel aliquam ex illis partibus, vel aliquid huiusmodi: esse contradistinctũ est non includere nec vllam ex prædictis partibus, nec omnes, nec includi in ipsis. Implicat autem quod & pars sit totum, & totum pars; & quod tota substantia non includat vllum constitutiuum substantiæ; puta quod illud totum, quod est homo, non includat corpus, animam, vnionem, &c.

Pręterea si in toto pręter partes detur totalitas, per quam partes euadant totum, illa totalitas seipsa pręcise non erit totum, sed totum constabit ex ipsa, & alijs partibus constitutiuis substantię; adeoq; semper erit verum totum non distingui à partibus simul sumptis; quia de nullo extra partes simul sumptas verum erit: est totum.

Proterea nemo est, qui rem intelligens dicat totum contradistingui à partibus. Quamuis nonnulli dicant totalitatem contra

tra distingui à toto, sicut v. g. similitudo contradistinguitur à simili. Et hoc modo intelligendi sunt acutiores Scotistæ quando ponunt in toto formam totalitatis, quæ est relatio quędam totius ad partes. Huiusmodi autem relationem eo modo explicabimus in responsione ad argumenta, sicut alibi explicuimus alias relationes, adeoque huic argumento: datur inter totum, & partes vera relatio; ergo vera distinctio: satisfaciemus distinctione iam supra posita de partibus simul, vel seorsim acceptis.

Dices: accipi hoc, vel illo modo, seorsim, vel simul: distributiuè, vel collectiuè est opus intellectus: opus intellectus non facit, vt hoc & illud distinguantur, vel identificentur realiter; ergo accipere simul vel seorsim, &c. non facit vt totum distinguantur à partibus, vel identificentur cum ipsis.

Resp. conc. totum: sed quid ad rem? Affirmare vel negare hoc de illo est opus intellectus: opus intellectus non facit vt hoc sit vel non sit illud, ergo affirmare vel negare non facit quod hoc sit, vel non sit ilud. Hoc etiam totum est verum, & tamen si affirmes, de homine quod sit animal verum dicis si neges, falsum: quanuis tuum affirmare aut negare nihil mutet ex parte obiecti. Dum igitur dicis totum esse omnes pates *collectiue* acceptas non autem *distributiue*, & è conuerso: explicas in qua suppositione sit li *omnes* quando de

ipsis

ipsis dicitur quod sit totum, videlicet in suppositione collectiua, non autem distributiua. Habes in summulis duas propositiones quibus hoc explices. *Omnes Apostoli sunt Sancti*. Et. *omnes Apostoli sunt duodecim*. Prima ita vere est, vt prædicatum dicatur de singulis; secunda ita vt prædicatum dicatur solum de omnibus.

Posset fortasse nomine *totalitatis* intelligi vno, quæ est ratio formalis faciens totum ex materia & fama. Sed neque hæc contradistinguitur ab omnibus constitutiuis tam vt *quo* quam vt *quod*; cum sit vnum ex ipsis.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijcitur 1. Aristoteles 5. Metaph. cap. 4. dicens quod quælibet substantia dicitur vt sex, non autem vt bis tria. Item dicit quod syllaba *B A* non est *B* & *A*; ergo secundum Philosophum substantia non est omnes suæ partes, sed aliquid aliud. Consequentia probatur; quia si substantia esset omnes sui partes homo esset corpus & anima, adeoq; sicut tria, & tria; non autem: hoc vnum; sicut sex, idem dic de *BA*.

Resp. 1. Hoc argumento probare aliquos necessitatem vnionis inter materiam & formam, sicut requiritur aliquis nexus inter tria & tria vt sint sex, int *B* & *A* vt sint *B A*. Nexus inter *B* & *A* est vnitas pronuntia-

tationis, inter tria & tria est combinatio vel realis vel imaginaria in vnitatem numeri qui est senarius.

Resp. 2. pro exemplo rei euidentissimæ afferri solere; *Duo, & tria sunt quinque, tria, & tria sunt sex*: si igitur est æquè euidens materiam, formam, & vnionem esse totum, sicut est euidens, quod tria, & tria sunt sex: nemo vtens lumine naturæ potest nostræ conclusioni contradicere. Dic igitur, vt faueas Aristoteli, tria, & tria seorsim non esse sex, simul autem esse sex; eodem modo omnes partes, ly *Omnes* supponendo distributiue, non sunt totum; secus si supponat collectiue.

Præterea intentum Philosophi est dicere, quod substantia non debet vocari per enumerationem partium, sed vno nomine: *Substantia quælibet*, ait ille, *semel dicitur*, hoc est vno nomine appellatur. Hinc si dicas seruo vt vocet canem, non dices: ò materia, anima rationalis, & vnio, voca materiam, animam latrabilem & vnionem: sed breuiter: O Daue, voca Melampum.

Obiic. 2. Ex eodem Philosopho 2. Metaph. textu vltimo. Compositum quod ita est, vt sit vnum totum, non ita est vt vnus cumulus, nec sicut aceruus lapidum; ergo ex mente Philosophi totum dicit aliquid supra partes collectiue acceptas. Conseq. prob. quia etiam cumulus, & aceruus lapidum est omnes sui partes collectiue acceptæ: ergo &c.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ad pro-

bationem conc. ant. nega. conseq. Et aceruus lapidum, & homo est omnes sui partes: si li *omnes* supponat collectiue: non tamen homo est sicut aceruus, quia in aceruo est vnum quidem per modum potentiæ, alterum vero per modum actus; secus in homine; in quo præterea communicatio actus cum potentia non est mera iuxta positio vnius ad aliud, sicut in aceruo, lapidis ad lapidem.

Obijc. 3. Omnes partes, li *omnes* supponente collectiue, sunt causa totius; ergo distinguuntur à toto. Conf. prob. quia inter causam, & effectum est vera distinctio. Antec. autem prob. quia singulæ partes sunt causa partialis totius; ergo omnes partes sunt causa totalis.

Resp. neg. ant. Ad probationem omisso antec. nega conseq. Omisi antec. quia partes melius dicuntur constitutiua, quam causæ totius.

Dices; in eo genere, in quo dantur causæ partiales, debet dari causa totalis: in genere causæ intrinsecæ debent dari causæ partiales; ergo in eodem genere debet dari causa totalis. Confirmatur à pari; nam ex eo quod in genere causæ extrinsece dentur causæ partiales, datur etiam causa totalis extrinseca; ergo si dentur in genere causæ intrinsecæ causæ partiales, debet in genere causæ intrinsecæ dari causa totalis.

Resp. idem esse causam intrinseam, & partem componentem. Ex hoc patet ad argumentum. Ex causam adæquatam est esse

cau-

causam, vltra quam non sit alia causa: ergo esse causam adæquatam intrinsecam est esse partem componentem, vltra quam non sit vllum aliud componens: repugnat autem in terminis esse partem componentem, & excludere quodlibet aliud componens Hinc apparet cur non detur causa adæquata intrinseca. Esse causam extrinsecam non est esse partim, sed aliquid ex quo sit effectus; per hoc autem quod detur aliquid, ex quo sit effectus, non excluditur cum al quo aliquid poni, & ex pluribus conflari principium adæquatum, seu sufficientiam adæquatam, vnde sit id, quod fit, & consequenter ex causa adæquata extrinseca malè infertur necessitas, immo possibilitas causæ adæquate intrinsecæ. Ad argumentum in forma nega maiorem. Ad confirmationem transmisso antec. nega conseq. Disparitas patet ex dictis. Requiritur causa extrinseca adæquata, quia implicat aliquid esse, & non à principio sufficienti ad hoc vt ipsum sit. Implicat dari causam intrinsecam adæquatam, quia causa intrinseca, & pars sunt formaliter idem; implicat autem in terminis esse partem, & non habere vllam compartem. Hinc partes dicuntur causæ partiales: non quod sint partes in genere causæ; sed quod sint causæ in genere partis.

Inst. illud totaliter causat præter quod nihil aliud causat; sed præter omnes partes collectiue acceptas nihil aliud causat; ergo omnes partes collectiuè acceptæ totaliter causant.

Resp. conc. mai. neg. min. Hæc propositio: *Præter omnes partes collectiue acceptas nihil causat*, est exponibilis: huius autem exponens est: *Omnes partes collectiuè acceptæ causant, & nihil aliud causat*, quæ falsa est ex duplici capite. 1. quia omnes partes collectiuè acceptæ non causant. 2. quia aliquid aliud, singulæ videlicet, causant. concessi mai. cuius exponens est: *Illud causat totaliter quod ita causat, vt nihil aliud causet*.

Nota ly *omnes* dictum de partibus etiam prout vnitis accipi posse vel distributiue, vel collectiue. In suppositione collectiua falsificat, in distributiua verificat quod omnes prout vnitæ causent. Non enim causant, hoc est non constituunt totum nisi prout vnitæ. Hoc dictum est ad subueniendum imaginationi eorum qui per *distributiue* idem quod per *diuisim* & per *collectiuè* idem quod *vnitim* significari existimant.

Patet ex dictis quid dicendum sit de relatione scotistica, seu de forma totalitatis; relatio est non inter totum & omnes partes summendo li *omnes* collectiue, sed inter totum & omnes partes, ponendo li *omnes* distributiuè: sicut autem est relatio ita est distinctio. Adeoque sicut totum refertur ad hanc, & illam: ita totum distinguitur ab hac & illa. Ed de hoc satis.

QVÆSTIO V.

De Subsistentia.

ARTICVLVS I.

Status quæstionis.

ANtiquiores Philosophi de subsistentia nihil ex professo disputarunt; quia disputandi occasione caruerunt. Hanc enim quæstionem inuexit in scholas Mysterium Incarnationis. Natura humana siue Humanitatis Christi Domini non subsistit in se, sed in Verbo. Verbum diuinum assumpsit naturam humanam, non autem personam. In Christo Domino sunt duæ naturæ, vna persona. Sic loquuntur Patres, & Concilia contra Nestorium, aliosue hæreticos. Hinc orta est controuersia de formali constitutiuo subsistentis, suppositi, personæ.

Est opinio satis communis inter recentiores subsistentiam cõsistere in modo quodam substantiali vltimo complente naturam singularem, & præstante illi, vt sistat in se. Per huiusmodi modum natura secundum se essentialiter indifferens ad subsistendum in se, vel in alio, determinatur ad subsistendum in se potius quam in alio. Verbum diuinum assumpsit solum naturam singularem, non autem simul modum illum: propterea assumpsit naturam, non autem personam.

Operæ pretium est ad maiorem euidentiam veritatis aliqua distinguere, quæ facile confunduntur: fortasse enim non per idem habetur ratio formaliter constitutiua personæ, per quod habetur ratio formaliter constitutiua suppositi; nec per idem habetur ratio constitutiua suppositi, per quod habetur ratio constitutiua subsistentis. Explicatur hoc. Quotiescunque aliquæ rationes inueniuntur diuisæ in pluribus subiectis, toties etiam vnitæ in vno eodemq; subiecto non sunt formaliter idem. v. gratia peccati & ratio auersionis a Deo reperiuntur diuisæ in pluribus obiectis: nam in peccato veniali reperitur ratio peccati, non tamen reperitur ratio auersionis à Deo. Ideo quamuis in peccato mortali duæ istæ rationes reperiantur, peccati videlicet & auersionis à Deo, non sunt tamen in eodem peccato formaliter idem. Item ratio sensitiui & ratio discursiui reperiuntur diuisim in pluribus: discursiui in homine, sensitiui in bruto; quamuis autem in vno eodemque homine duæ istæ rationes vniantur, non sunt tamen in homine formaliter idem.

Rursus ratio subsistentis, ratio suppositi & ratio personæ inueniuntur diuisim in pluribus; ergo etiam cum sunt in vno eodemque non sunt formaliter idem. Quod autem reperiantur diuisim ostenditur. Anima rationalis, vt supponitur hic, & suo loco probabitur: est quid subsistens, & tamen non est suppositum neque persona. Bucephalus est subsistens & suppositum, sed non per-

persona, Petrus vero est subsistens, suppositum & persona. Ratio personæ sicut & ratio suppositi dicit incommunicabilitatem, vt aiunt Theologi: non tamen omnes, aiunt quod ratio subsistentis dicat huiusmodi incomunicabilitatem.

Inuenies etiam qui quatuor subsistentias ponat in diuinis; nimirum subsistentiam per quam natura diuina in se subsistit: deinde aliam per quam in Patre, aliam per quam in Filio, aliam per quam in Spiritu Sancto. Non autem inuenies qui ponat quatuor personas aut quatuor supposita.

Alia sententia negat suppositum supra naturam addere modum substantialem aut quidlibet aliud positiuum. Ait autem naturã in sua specie completam, per hoc formaliter subsistere in se, quod intrinsece non vniatur vlli alteri substantiæ absolutæ. Si natura hoc modo existens non sit intellectiua dicitur suppositum: si autem sit intellectiua, præter denominationem suppositi, sustinet denominationem personæ, quod nomen tribuitur dignitati: fortasse quia comparent in scenis personati qui Dinastarum & Regum partes agunt. Quod si natura existẽs modo prædicto sit quidem incompleta, idonea tamen existere separata ab omni alio, cuiusmodi est anima rationalis, dicetur quidem subsistens, non autem suppositum neque persona. Hæc autem omnia dicuntur subsistere in se, per hoc præcise quod sint & nulli alteri absolutæ substantiæ intrinsece vniantur; hoc est, constituuntur in ratio-

ne subsistentis in se per suum esse & negationem vnionis intrinsece ad vlteriorem substantiam absolutam.

Non vacat alias sententias circa subsistentiam enumerare: sufficienter enim refellentur quæcunque sunt contra nos, per probationem nostræ, quam auditis prius aduersarijs proponemus. Est igitur pro sententia primo loco relata.

Prima ratio à pari. Subsistentiæ diuinæ, per quas videlicet natura diuina subsistit in Patre, in Filio, & in Spiritu Sancto, sunt quid positiuum; ergo etiam subsistentia creata per quam hæc natura humana sit hæc persona, est aliquid positiuum.

Secunda. Per subsistentiam formaliter constituitur totum substantiale completum: sed omne constitutiuum totius substantialis completi est aliquid positiuum; ergo subsistentia creata est aliquid positiuum. Confirmatur: quia subsistentia est vltimum complementum, est terminus vltimo terminans, est vltima perfectio naturæ substantis; est ratio constitutiua primæ substantiæ in esse primæ substantiæ; est ratio per quam ego sum ego: hæc omnia sonant aliquid positiuum; ergo subsistentia habetur per aliquid positiuum. Explicatur hoc. Per hoc quod hæc mea singularis natura subsistat in se, vt de facto subsistit, possum dicere illud *ego* quod non dicerem, si hæc eadem singularis natura subsisteret in alio: vnde est aliud *ego* quod dicitur ab illo homine qui Deus est, quam esset id quod diceretur, si singu-

laris

laris illa natura non esset assumpta à verbo. Vide *P.* Maurum pro hoc suo *ego* egregie disputantem.

Tertia. Est de fide & decisum à Conciliis, Verbum Diuinum assumens humanitatem non assumpsisse personam: ergo persona supra humanitatem, hoc est supra hāc singularem naturam, dicit aliquid positiuū. Conseq. prob. quia si dicit puram negationem, cum negatio nihil sit; decisum esset à conciliis Verbum diuinum assumpsisse quidem naturam singularem, sed præterea non assumpsisse illud nihil; quod videtur ineptū ex terminis.

Quarta est argumentum Arriagæ. Definitum est humanitatem assumptam à Verbo per huiusmodi assumptionem non mansisse personam; ergo vel ratio personę superaddit naturę aliquid positiuum, vel fuit inepta definitio seu decisio Concilij. Conseq. prob. quia si humanitas singularis constituitur in ratione personę per se, & negationem vnionis intrinsecę ad vlteriorem substantiam, Concilium definiens per vnionem ad verbum non mansisse personā, definit humanitatem cum vnione ad aliam substantiam non mansisse non vnitā alteri substantię. Videtur autem ridiculum definire quod res vnita non manet in sensu composito vnionis non vnita.

Quinta. Fulminetur Anathema contra omnes & singulos qui dicunt dari in Christo duas subsistentias; vnam scilicet verbi, alteram humanitatis: hoc autem fulmen

est inane, cum torqueri nequeat nisi contra dementes, si subsistentia nihil supperaddat. vt dictum est. Dicere enim quod cum vnione Humanitatis ad Verbum, remanet humanitas diuisa à Verbo magis est dementis quam Hæretici. Immo nequit esse nisi non intelligentis terminos; cum sit contradictio in terminis.

Sexta. Dicunt communiter Thologi subsistentiam Verbi supplere in Christo seu potius in humanitate defectum subsistentiæ propriæ; g. si subsistentia creata secundum id quod superaddit naturę, consistit in negatione; subsistentia Verbi Diuini supplet defectum negationis. Conseq. est euidens. Sed est absurdum dicere quod verbum diuinum suppleat defectum negationis; g. &c. Minor subsumpta probatur; quia verbum Diuinum contradictorie opponitur tali negationi: sed vnum contradictorium nequit supplere defectum alterius; g. Verbum Diuinum supplere nequit pro subsistentia creata. Minor probatur; quia dicere quod vnum contradictorium suppleat pro altero siue gerat vices alterius, est dicere quod lux in aere suppleat pro tenebris, seu gerat vices tenebrarum, quod videtur ineptum ex terminis. His non obstantibus.

Standum est sententiæ secundo loco relatę; pro qua Aduersarij citant Scotum, & cum Scoto citare possent D. Thomam, quem tamen citant pro opposita. Sed de hoc non est diu controuertendum. Sufficit legere D. Thom. in quæstionibus diputatis

qu.

qu. 11. & in quæst. de vnione Verbi Incarnati art. secundo: vbi non aliam reddit rationem cur humana natura cum tota sua singularitate in Christo non sit persona; nisi quia non existit separata ab alio: ergo secundum Doctorem Angelicum ratio personæ habetur in natura humana singulari per hoc quod diuisa sit ab omnio alio, cum quo faciat vnum.

Probatur autem hæc nostra Conclusio primo ex Mysterio Incarnationis; quia videlicet hæc sententia clarissime explicat quomodò Verbum diuinum assumpserit naturam, non vero personam humanam, Implicat enim natura humanam vnione sibi intrinseca vnitam Verbo diuino habere negationem vnionis intrinsecæ ad vlteriorum substantiam. Habere inquam hanc negationem in sensu composito vnionis; ergo per huiusmodi negationem clarissime explicatur ratio subsistentiæ, suppositatis, personalitatis, creatæ. Immo Doctores oppositi ex hoc capite impugnant nostram sententia; quia qui illam tenent, nequeunt incidere in hæresim Nestorianam. Est enim euidens eandem naturam non posse simul habere & non habere vnionem intrinsecam ad aliud, & consequenter non posse retinere suam subsistentiam simul cum subsistentia aliena. An autem euidens sit modum illum substantialem seu quodlibet aliud positiuum esse essentialiter incompossibilem vel cum alio modo, vel cum alia substantia: me remitto.

Probatur secundo. Ex definitione personæ apud Boetium: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia*. Indiuiduum autem iuxta definitionem D. Thomæ est *indiuisum in se, & diuisum à quocunq; alio*; ergo indiuidua substantia naturæ rationalis est substantia naturę rationalis indiuisa in se, & diuisa à quacunque alia; ergo per hoc quod sit substantia naturæ rationalis in se indiuisa, & diuisa à quacunque alia, est persona. Quod autem diuisio à quocunque alio non habeatur sufficienter per negationem vnionis cum alio, sine fundamento asseritur. Esse enim diuisum ab alio, & non esse vnitum cum alio sunt formaliter idem.

Hinc verbum diuinum assumens Humanitatem singularem & cum illa constituens vnum Christum; assumpsit quidem naturam humanam singularem, non tamen personam, immo recte dicitur assumpsisse naturam, & non sumpsisse personam; implicat enim remanere rationem cum qua esset persona, simul cum contradictorio talis rationis: & cõsequenter implicat naturam hãc singularem sua personalitate frui, & simul vniri alteri substantiæ cum qua faciat vnum.

Aduertendum est autem hic cum D. Thoma locis citatis & alibi per rationalem naturam intelligi omnem naturam intellectiuam, non autem solum illam quę est discursiua: aliter personę diuinę non essent personę; vnde aliqui definitionem Boetianã emẽdare volentes personam definiuerunt: *Intellectiuæ naturæ indiuiduam substantiam.*

AR-

ARTICVLVS II.

Soluuntur proposita pro prima sententia.

COnciliorum definitionibus nostra sententia impugnatur; quamuis reipsa nullo argumento firmetur solidus, quam definitionibus Conciliorum: sed quia etiam dum negamus, verbis vtimur positiuis; propterea Aduersarij putant nullam esse vocem cui non respondeat ex parte obiecti aliquid positiuum. Vt igitur videas cui faueant concilia; nostrę; an alienę sententię: scienda est causa quę in Concilijs circa subsistentiam agebatur. Inter hęreticos male sentientes circa Mysterium Incarnationis fuit Nestorius, qui asserebat in Christo dari duas personas, humanam vnam, & alteram diuinam. Vt autem hanc in Christo personarum dualitatem teneret, dicebat vnionem qua Verbum diuinum humanitatem assumpsit, sibique copulauit, non esse vnionem physicam, qua videlicet Humanitas assumeretur à verbo ad constituendum cum ipso vnum per se stans, sed esse vnionem mere affectiuam, qua Filius Dei singulari illi Humanitati specialiter assisteret, illam in omnibus & per omnia amantissime dirigeret, & cum illa faceret vnum, eo modo, quo plurium amicorum dicitur esse cor vnum & anima vna. Contra hunc errorem Concilia fulminarunt ea anathemata, quę Aduersarij inanitur cótor-

torquent contra veritatem à nobis assertam. Hęc firmiter tene, quæ inferius per verba expressa Conciliorum referentur, & clipeum habes & hastam quo tuam sententiam tuearis, alienam conficias.

Ad primam igitur rationē partis aduersæ transmitte anteced. & nega consequentiam. Ad disparitatem delibandum est aliquid circa Mysterium Trinitatis, in quo, natura immultiplicata, multipticantur supposita, siue hypostases, siue personę. Tenendum autem est hic quod à Concilijs & Patribus ponitur vt axioma. *Omnia in dininis sunt vnum, vbi non obstat oppositionis relatio*, hoc est tota & vnica ratio multiplicandi seu distinguendi id Diuinis, est habitudo producentis ad productum, & è conuerso, Ita datur distinctio inter Patrem, & Filium; hoc est Pater & Filius sunt duæ personę: quia inter Patrem & Filium datur habitudo generantis & geniti: datur distinctio inter Filium & Spiritum Sanctum? quia inter Filium & Spiritum Sanctum datur habitudo Spirantis & Spirati.

Hinc D. Thomas & cum eo alij infiniti docent, quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso? adeoq; non daretur Mysterium Trinitatis ex defectu tertiæ Personę: quia in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obstat oppositionis relatio: sed in tali hipothesi inter Filium & Spiritum Sanctum non daretur oppositionis relatio: ergo inter Filium & Spiritum Sanctum non daretur distinctio: adeoq;

adeoq: Filius & Spiritus Sanctus non essent duæ Personæ. Obiter nota, & tibi proderit in tempore opportuno, prædictum principium: *Omnia in diuinis &c.* esse axioma etiam apud Patres Græcos, vnde per illud recte impugnantur ij Græci, qui negant Spiritum Sanctum procedere à Filio nolentes dicere cum Ecclesia Latina; *qui ex Patre Filioque procedit*; cum tamen retinere velint Mysterium Trinitatis.

Rursus hæc oppositionis relatio fundatur in generatione actiua Patris, & passiua Filii: In spiratione actiua Patris & Filij, & passiua Spiritus Sancti. Ex quibus sic breuiter. Personæ constituuntur in diuinis per id formaliter per quod datur distinctio in diuinis: sed per id formaliter datur distinctio per quod datur oppositio: g. Personè constituuntur per id per quod datur oppositio? sed id per quod datur oppositio est aliquid positiuum; ergo Personæ constituuntur per aliquid positiuum. Minor subsumpta probatur: quia oppositio inter Patrem & Filium habetur per generationem huius quidem passiuam, illius autem actiuam. Inter Filium & Spiritum Sanctum per spirationem tum actiuam tum passiuam, quæ sunt aliquid positiuum.

Vt vero in creatis subsistentia, suppositalitas, personalitas non habetur per oppositionem vnius ad alterum intra eandem naturam. Neque enim ideo Philippus distinguitur ab Alexandro; quia vnus habet rationem Patris, alter rationem filij. Etiamsi

enim

enim dispara se haberent & sine vlla relatione producentis ad productum adhuc vere & realiter distinguerentur; sicut distinguuntur Alexander & Ephestio. Præterea Natura Diuina est essentialiter vna natura singularis in tribus personis: sed implicat hanc esse, vt necessario est, tres personas, per ngationem vnionis intrinsecæ ad vltiorem substantiam; ergo per aliquid aliud debet esse tres personæ: & cōsequenter per terminos positiuos. Min. prob. quia non est potior ratio cur negatio vnionis intrinsecæ faciat illam tres, quam duas, aut vnam, aut centum personas. Certe natura singularis creata fit vna persona per negationem vnionis intrinsecæ cum vlla alia substantia. Cur igitur natura diuina per negationem huiusmodi fiet tres personæ?

Ad secundum. Conc. ma. nega min. Ad confirmationem distingue: vltimum complementum positiuum: nega; negatiuum; concede. Idem dic de termino. Nega etiam subsistentiam, secundum id quod dicit supra naturam esse perfectionem, cui aperte contradicit illud proloquium: Verbum Diuinum assumpsit in hominem omne quod creauit, cum certum sit non assumpsisse subsistentiam, suppositalitatem aut personalitatem.

Item nega per subsistentiam constitui primam substantiam. Per hoc enim est prima per quod est singularis. vt habes ex Phil. Dip. 4. Log. q. 9. art. 2. pag. 566. manes autem singularis etiam in alio subsistens.

Pri-

Prima dicitur comparatiuè ad secundam, quæ est vniuersalis, fitq; per Intellectum.

De perfectione in qua constituunt subsistentiam satis incohærenter philosophantur nonnulli. Aiunt enim personalitates diuinas per se formaliter non esse perfectiones: ne videlicet aliqua perfectio sit in Patre, quæ non sit in Filio; cum tamen per illas personalitates formaliter subsistat natura diuina. Assume igitur quod dant & sic ratiocinare. Paternitas, Filiatio, &c. non dicunt vllam perfectionem supra naturam; sed Paternitas, Filiatio, sunt subsistentiæ diuinæ: ergo subsistentiæ diuinæ non dicunt vllam perfectionem. Rursus: subsistentia diuina habet perfectissimam rationem subsistentiæ: ergo perfectissima ratio subsistentiæ non dicit perfectionem.

Familiare est Aduersarijs huic & similibus argumentis respondere sic. Subsistentia increata non superaddit perfectionem, quia ipsa superadditur omni perfectioni. Natura enim diuina est omnis perfectio. Implicat autem in terminis omni perfectioni aliquam perfectionem superaddi. At vero subsistentia creata superueniens naturæ creatę non superuenit omni perfectioni: nulla enim creatura est omnis perfectio. Hic putant se dixisse mirabilia.

Hæc responsio non stat. Nam omni perfectioni nequit superaddi vlla perfectio: omni perfectioni potest superaddi subsistẽtia; ergo subsistentia non est vlla perfectio. Verbum igitur diuinum vt docet

S.

S. Thomas dum non assumpsit subsistentiã non propterea non assumpsit omnem perfectionem quam creauit in homine, quia homo subsistit in se, non per perfectionem superadditam naturæ singulari, sed per hoc quod separatim existat ab alio. Vnde non est imaginandum Verbum diuinum naturam humanam assumens, minorem perfectionem maiori perfectione compensasse, sicut aiunt qui dicunt abstulisse seu consumpsisse subsistentiam creatam, quæ est parua perfectio, sed loco illius dedisse naturæ subsistẽtiam increatam, quæ est perfectio summa. Vere enim Verbum diuinũ non abstulit humanæ naturæ vllam perfectionem, sed contulit infinitam.

Ad illud de *ego* dic quod omnis homo, immo omnis creatura de se sentiens vt sentire debet in Domino, dicet cum Augustino: *tu Domine es qui es, ergo, sum qui non sum*: vides igitur non erubescendum esse vlli vel maximo *ego* creato, fateri quod consistat saltem partialiter in aliquo negatiuo. Hanc autem Augustini orationem vt veram & propriam omnes commendant. Quomodo igitur aliqui nolunt per vllum non esse, in suo esse constitui.

Aduerte autem discrimen inter duas has propositiones. *Hæc substantia constituitur in esse substantiæ per negationem*, &, *hæc substantia constituitur in esse totius substãtiæ, seu substantiæ totalis, seu totius substãtiæ, quæ sit in hoc supposito, per negationem.* De prima nihil hic pronunciamus. Secundam

dam dicimus veram. Certum est enim aliquid posse deficere à ratione totius, non per hoc quod aliquid ipsi detrahatur: sed per hoc quod aliquid ipsi addatur. Habes exemplum, quo nullum aliud lucidus, in luce ipsa. Vera est hæc propositio; *lux solis est tota lux quæ est in hac schola*. Hanc propositionem falsificabis, si candelam in hac schola accedens; per hoc enim quod præter luce solis sit aliqua alia lux in hac schola, iam lux solis non est tota lux quæ sit in hac schola; lux igitur illa solis ex tota quæ esset in hac scola, euasit non tota: non amittendo al quid de suo, sed per coniunctionem sui cū altera; erat igitur tota lux huius scholę per seipsam & negationem coniunctionis cū altera luce.

Idem dic proportionaliter de natura humana vnita verbo. Considera illam diuisam à Verbo, & in illa habes totam substantiam quæ sit in illo homine: considera eandem vnitam Verbo, & cum ex natura & Verbo fiat vnum, quod est Deus & homo, neque per naturam humanam solum; neque per Verbum solum, habes totam substantiam, quæ sit in illo homine; cum igitur li *ego* appellet illam substantiam totalem, euidens est esse aliud *ego* in Christo, quam esset in illa natura humana; quæ in Christo est, si separata esset à Verbo.

Quam autem euidens est melius esse humanitati esse in Christo, quam extra Christum; tam euidens est non semper melius esse esse substantiam totalem, quam non

to-

totalem. Quælibet humana natura singularis, si se habeat secundum naturam, est substantia totalis quod per vnionem ad Deum euadat non totalis, est supra naturam. Hinc me esse me non est sicut me esse cæcum. carentia enim visus est carentia perfectionis mihi debitæ: cum carentia prædictæ vnionis sit carentia perfectionis indebitæ. Quamuis certum sit inter has, & omnes alias denominationes consistentes partim in positiuo, partim in negatiuo dari aliquam similitudinem. Sed quid inde? datur etiam inter omnes positiuas, & tamen te esse te, in sententia opposita, non est sicut te esse te animal: cum hoc insit naturæ tuæ per identitatem: illud per formam modalem.

Ad tertiam. Concesso antec. nega conf. Ad probationem concede decisum à Concilijs naturam humanam non fuisse assumptam simul cum illo nihilo, seu cum illa negatione. Ratio huius decisionis, & sapientiæ huius decisionis est: quia Concilium debuit decidere contra errorem Netorij: dicebat autem Nestorius naturam assumptam mansisse diuisam; quia videlicet ponebat vnionem pure affectiuam cum qua stat vera, propria, & physica diuisio seu separatio. Audiatur hic error Nestorij in fide Iustiniani Imperatori relata 2. volumine Conciliorum. *Siu aliquis opponere conatur dicens, quod secundum redditã naturę rationem oportet & humanam naturam Christi suam subsistentiam seu personam propriam habere, manifestus est talis quod ante*

sub-

subsistenti homini vnitum esse dicit Verbum diuinum, & affectualem factam esse vnitatem. Duę enim substantię, seu personę, secundum subsistentiam vniri non possunt.

Quicunque ingenio docili verba hæc Concilij meditatur; conuincitur veritatis. aliquid enim hic deciditur, aliquid pro ratione redditur, quod innuitur per se notum. Deciditur vnionem non esse personæ ad personam; redditur ratio; quia duę personę vniri non possunt nisi vnione affectuali. Compara dictum Concilij cum nostra sententia, & videbis esse manifestum. Si enim subsientia naturæ nihil superaddat nisi negationem vnionis cum alio; clarum est non posse vniri, & simul in se subsistere. Non tamen, est clarum modum substantialem naturæ assumptæ non posse retineri simul cum assumptione.

Hunc eunndem Conciliorum sensum iterum audias ex Fotio Patriarcha Constantinopolitano volumine 3. Conciliorum. *Hunc vnum Dominum Iesum Christum in duas secare ac diuidere personas miserrimus ille non veritus alium quidem nudum hominem & sine Verbo Humanitatem suscipere in propria persona consistit, alium Deum separatum & à suscepta nudum Humanitate. Metuebat enim homo stultus, ne quid Deus pateretur, si incredibili adductus benignitate figmentum suum vt illud curaret atque refingeret, induisset. Neque illud animaduertebat quod si naturam humanam à verbi persona separaret, eam proprijs mor-*

bis

bis laborantem ac minime curatam & salutis expertem reliquisset.

Hanc eandem vnionem Nestoriana qua videlicet Christus non Homo Deus, sed Homo Deifer efficitur anthemate quinto damnat Concilium Ephesinum. *Si quis audeat dicere hominem Christum Theophorum hoc est. Deiferum, ac non potius Deum esse veraciter anathema sit.* Ex hix omnibus cōstat quam sapienter definiuerit Ecclesia humanitatem Christi post vnionem, seu potius cum vnione ad Verbum, non existere separatam à Verbo.

Ad quartam & quintam patet ex dictis. Non est ridiculum definire non fuisse diuisam humanitatem in sensu composito vnionis, si hæresis Nestoriana quæ damnatur in hoc ipso consistit: quod ita dicat vnitam vt simul ponat diuisam: dum ponit vnione pure affectualem. Verum est quod qui tenet nostram sententiam, si admittat & credat vnitam physice humanitatem Verbo, nequea esse hæreticus. Sed quid inde nisi laus nostræ sententiæ.

Ad sextam dic hoc verbum *Supplere* patere multis æquiuocationibus. Supplere pro eodem accipitur, ac præstare id, quod præstaret illud, pro quo suppletur. Ita absente Magistro supplet Academicus; quia dictat & explicat id quod dictaret, & explicaret Magister. In hoc sensu subsistentia increata non supplet in Humanitate defectum subsistentiæ creatæ, siue hæc superaddat aliquid negatiuum, siue aliquid positiuum

uum naturæ. Nam non præstat naturæ, vt subsistat in se: sed vt subsistat in alio, adeoque præstat effectum formalem oppositum illi, quem præstaret subsistentia creata. Aliquando supplere nihil est aliud quam esse loco alterius, siue ad eundem, siue ad oppositum effectum. Et in hoc sensu potes intelligere negationi vnionis succedere vnionem ipsam. Ad argumentum in forma distingue ly *Supplere* per *proprie*, vel *improprie*; *stricte*, vel *late*, & alia huiusmodi, & argumentum dissoluisti. Ad probationem distingue; est ridiculum quod vnum contradictorium suppleat pro altero ad eundem effectum formalem: concede: ad effectum formalem oppositum; nega? Natura per diuisionem ab alio subsistit in se, & non in alio: per vnionem cum alio subsistit in alio, & non in se; quod non est magis nouum, quam quod aer per tenebras tenebrosus, euadat per lucem lucidus.

Aduertendum est autem hic posse labi incautos in verbo quod diximus, & passim legitur apud Patres. *Natura humana vnita Verbo non mansit persona humana; non mãsit diuisa, non retinet propriam subsistentiam, seu personalitatem: amisit personalitatem creatam, &c.* Hæc omnia ex modo loquendi ita sonant quasi illa humanitas prius extiterit separata à Verbo, & deinde fuerit assumpta ab eodem, & expoliata ratione personæ. Non tamen ita res accidit: nec enim natura extitit pro priori ad

vnio-

vnionem sui cum Verbo. Hæc igitur phrasis. *Post vnionem, vel per vnionem singularis illa natura non mansit persona*, idem sonat, ac hæc alia, *Illa natura singulari, quæ sine vnione ad Verbum fuisset persona creata, seu persona humana per vnionem ad Verbum habet non esse personam humanam*. Idē dic de alijs.

ARTICVLVS VI.

Expediuntur cætera de subsistentia.

PRæter ea quę dicta sunt videtur remanere aliquid vlterius explicandum circa subsistentiam. Videtur enim posse vrgeri contra nos nostra doctrina ex ipsomet Mysterio Incarnationis.

Obijc. igitur insuper. Sequeretur Verbum diuinum amisse propriam personalitatem, consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequela probatur; quia tam Verbum diuinum est vnitum Humanitati, quā Humanitas est vnita Verbo; ergo tam deest Verbo negatio vnionis, quam naturæ, seu Humanitati; ergo tam illi deest sua subsistentia, quam Humanitati. Probatur vltima consequentia: quia ratio personæ dicit negationem vnionis ad alteram substantiam.

Resp. neg. seq. mai. Ad probationem resp. 1. Subsistentiam Verbi diuini non consistere in negatione vnionis, &c. Sed in aliquo positiuo, vt dictum est supra. 2. Non di-

diximus rationem personæ dicere negationem vnionis cuiuscumque, sed vnionis intrinsecæ. Vnio autem qua Verbum assumpsit Humanitatem in vnitatem suppositi, est quidem intrinseca Humanitati: non tamen Verbo: vt supponimus ex præstantissimis Theologis. Esse autem vnitum vnione sibi extrinseca, & carere vnione intrinseca non repugnat, vt patet ex terminis.

Sunt qui dicant, vnionem hypostaticam esse intrinsecam tam Verbo, quam Humanitati; huic quidem tam passiue, quam actiue: illi autem solum passiue? quia videlicet vnio hypostatica, & perficit Humanitatem, & ab Humanitate perficitur. Verbum autem non perficit, sed tantum ab illo perficitur. Si aliquid dicant: dicite per negationem, quam ponis, excludere vnionem intrinsecam actiue, quam aiunt non dari in Verbo.

Objic. iterum. Denifitio Boetij est mala: ergo non est apta sustinendæ veritati, Prob. antec. quia non conuenit Personis diuinis, puta de Patre dici non potest, quod sit rationalis naturę indiuidua substantia, & tamen Pater est persona, ergo &c. Mai. prob. quia natura Patris, seu substantia Patris est eadem cum natura, & substantia Filij, ergo &c.

Resp. neg. anc. Ad probationem nega antec. Ad rationem in contrarium concede substantiam Patris esse vnam eandemque cum natura Filij, & Spiritus Sancti; nega hinc sequi, quod non sit indiuisa à qua-

cumque alia ſubſtantia. Non valet: Subſtantia Patris eſt ſubſtantia Filij; ergo non eſt diuiſa à ſubſtantia Filij: ergo non eſt diuiſa ab omni alia ſubſtantia. Vltimum *ergo* eſt ineptum, vt pote inferes ex indiuiſione à ſeipſa, indiuiſionem ab alia.

Quær. 8, cur dictum ſit in explicatione ſubſiſtentiæ illam conſiſtere in negatione vnionis intrinſecæ ad vlteriorem ſubſtantiam abſolutam, cum qua faciant vnum Núquid enim ſatis dicitur, ſi dicatur illam conſiſtere in negatione vnionis intrinſecæ ad vlteriorem ſubſtantiam.

Reſp. Nos ita dixiſse ad faciliorem intelligentiam: nam reipſa cum ſubſtantia ſimpliciter non dicatur, niſi de ſubſtantia abſoluta, ſuffeciſset dicere ſubſiſtentiam cōſiſtere & in natura, & in negatione vnionis intrinſecæ ad vlteriorem ad ſubſtātiam. Sed quia imperfectiores ſtatim arguerent; natura per hoc quod vniatur modo ſubſtantiali ipſam terminanti non amittit; immò acquirit rationem perſonæ: ergo ratio perſonæ non dicit negationem vnionis ad vlteriorem ſubſtantiam. Propterea addidimus ly *Abſolutam*; quia per hoc quod fingas naturam ſingularem vniri formæ purè terminanti, etiamſi illam formam modum ſubſtantialem, aut ſubſtantiam modalem appelles, non per hoc formaliter deſtruis rationem perſonæ.

Deniq; notandum eſt Humanitatē de qua hic hactenus, non vniri perſonalitati, præciſè Verbi diuini, ſed Verbo diuino, quod

na;

natura, & perſonalitate conſtat; adeoq; vere, & proprie vniri vlteriori ſubſtantiæ abſolutæ v. naturæ diuinæ, quicquid ſit an hæc vnio pro termino formali reſpiciat perſonalitatẽ præciſe, an indiuiſibiliter totã perſonam, de quo non eſt noſtro diſputare.

Finem huic diſputationi facere poſset Ariſtoteles, & cum Ariſtotele Philoſophi omnes, penes quos eſt axioma: *Quicquid ſuperadditur ſubſtantię complete; facit cum illa vnum per accidens*, ſed ſubſiſtentia eſt forma quæ ſuperadditur ſubſtantiæ completæ: ergo ſubſiſtentia facit vnum per accidens. Cur reſpondebunt alij; formam illam quæ ſuperadditur vt ſuppoſitet ſubſtantiam completam, non ſuperaddi ſubſtantiæ completæ in ratione ſubſiſtentis, ſed ſolum in ratione completæ in ratione ſpecifica, & indiuiduali.

Hæc tamen reſponſio non ſatisfacit Philoſopho, qui ſubſtantiæ completæ, & ſingulari nihil ſuperaddit, niſi vt faciat vnum per accidens Eadem enim reſponſio obuia eſt contendenti albedinem ſuperuenientem homini non facere vnũ per accidens. Quemadmodum enim dicunt illi naturam ſingularem præſcindendo à forma ſuperaddita eſse completam ſingulariter, ſeu in ratione ſubſtantiæ ſingularis; non tamen in ratione ſubſtantiæ ſub ſiſtentis: ita reſpondebit hic hominem præſcindendo ab albedine eſse cõpletum in ratione hominis, non tamen in ratione albi. Replicantibus autem album eſse vnum per accidens, ſubſiſtens vero eſse

vnum per se, facile erit reponere peti principium. Hoc enim ipsum controuertitur, an subsistens vt tale sit vnum per se, an vnum per accidens. Dabitur esse vnum per se id pro quo supponit hæ vox *subsistens* quod & de albo datur. Negabitur esse vnum per se, tam secundum id, pro quo supponit, quā secundum id quod significat: Hoc est rem denominatam esse substantiam, denominationem ipsam esse accidentalem. Nos dum diximus in substantia completa tam secundum rationem specificam, quam secundum indiuidualem nihil aliud requiri, vt sit suppositum: nihil patimur ab hoc argumento, vt apparet ex dictis.

Dices: hoc idem argumentum valere cōtra rationem vnius per se in Christo Domino. Nam etiam secundum nos Verbum diuinum aduenit naturæ singulari in sua ratione specifica completa: sed quicquid aduenit enti huiusmodi, facit cum illo vnum per accidens: ergo &c.

Resp. disparitatem quoad hoc inter nostram, & oppositam sententiam esse; quod in hac aliquid superuenit naturæ singulari in sua ratione specifica completæ, faciens cum illa vnum in eo ordine rerum, in quo dixit Philosophus, quod quicquid superuenit naturę singulari in sua ratione specifica completæ facit vnum per accidens: videlicet in ordine entis naturalis. At in nostra: Verbum naturam singularē in sua ratione specifica completam assumens, illamq; sibi vniens, non facit cum illa vnum in eo ordi-

ne rerum, quem examinauit Philosophus sed in ordine altiori, entis videlicet supernaturalis. An autem naturę singulari creatæ esset vnibilis substantia increata in vnum per se, numquam cogitauit Aristoteles. In Christo igitur Domino Verbum diuinum est naturæ assumptæ summe perfectiuū per communicationem sui, adeoq; perfectionis substantialis infinitæ, & per huiusmodi communicationem trahens ipsam ad rationem vnius simpliciter & per se, modo longe altiori; quam forma substantialis per communicationem sui ad materiam trahat illam in vnitatem substantiæ.

QVÆSTIO VI.

De Prioritate naturæ.

ARTICVLVS I.

Quid sit esse Prius natura, & quibus conueniat.

DE prioribus hac quæstione agendum est: examinando quænam sint illa, quibus conueniat naturæ prioritas. Atque vt methodice procedamus. Aristoteles in prędicamentis cap. de priori varios modos enumerat, quibus vnum altero prius dici solet. Prima, & notissima prioritas est illa, quæ dicitur secundum tempus. Ita annus pręsens est prior futuro, annus exactus prior præsenti,

Secunda prioritas est à subsistendi consequentia; consistitq; in hoc quod ab existentia vnius, inferatur existentia alterius, & non è conuerso: v. g. ab existentia canis recte infertur existentia animalis. Valet enim: est canis: ergo est animal: non è conuerso: est animal: ergo est canis. Hoc autem quod infertur dicitur altero prius, vt in exemplo aliato, animal est prius cane. Prioritatem hanc alibi logicam appellauimus, & confundimus cum superioritate.

Tertia prioritas est prioritas ordinis. Ita in scientijs addiscendis Grāmatica est prior alijs, quia in ordine discendi Grammatica ponitur primo loco.

Quarta prioritas est prioritas dignitatis, secundum quam id quod honorabilius dicitur prius eo, quod minus honorabile. Ita Rex est prior subditis, & in multis Ciuitatibus illi qui Magistratum gerunt, appellantur Priores, sicut & in Cænobijs, qui alijs fratribus præsunt.

Quinta prioritas est prios naturæ: quæ capite citato sic à Philosopho definitur. *Eorum quę conuertuntur secundum esse conseq; quod alteri quomodolibet causa est, conuenienter prius natura dici potest.*

Ad intelligentiam huius definitionis, notandum est primo: quod conuertentia illa, quæ ponitur in definitione prioris est conuertentia cum distinctione reali, inter ea, quæ dicunt ad conuertentiam, Idem est autem conuerti secundum esse consequentiam, & dici ad conuertentiam. Ratio est

cla-

clara, quia talis conuertentia est inter ea, quæ habent inter se habitudinem causæ, & effectus; habitudo autem huiusmodi est inter distincta realiter.

Notandũ secundo istas particulas: *Quod alteri quomodolibet causa est*, posse facere varios sensus, valde inter se diuersos. Posset enim aliquis ex his particulis intelligere omne id esse prius natura respectu alterius; quod quomodolibet, hoc est, quod in quocumque genere causæ, est causa illius. In hoc sensu quælibet causa siue extrinseca, siue intrinseca esset prior natura suo effectu; puta albedo esset prior natura albo, & sic de cæteris. Alius sensus est ly *Quomodolibet* extendere rationem causæ etiam ad conditionem: adeoq; prioritatem naturæ conuenire non solum causis; sed conditionibus prærequisitis ad effectum. Porro nomen causæ per ampliationem quandam extendi etiam ad conditionem inuenies passim etiam apud Philosophorum, vbi non semel proximitas agentis ad passum ponitur pro causa huius, vel illus effectus.

Postquam Philosophus cap. *de priori*, prioritatem naturæ explicuit: sequenti capiter quod est *de simul*: simultatem naturæ describit his verbis: *Natura simul sunt quæcumq; conuertuntur quidem secundum eius quod est esse consequentiam, sed nequaquam alterum alteri causa est vt sit*. Exemplum in re metaphysica clarissimũ habebis, si falso putes è rationali fluere indiuisibiliter, & risibile, & flebile, vt duas potentias physice

distinctas. Nam omne risibile est flebile; & omne flebile risibile; adeoq; dicuntur secũdum eius, quod est esse consequentiam, sed neutrum alteri causa est; vtrumq. autem ab eadem causa dimanat. His positis,

Malè definientes prius natura facile impugnatur. Quidam existimant prius natura describi à Philosopho 5. Metaph. ca. 11. vbi sic habet: *Sunt priora secundum naturam, atque substantiam quæcumq. contingit absq; alijs esse, illa vero sine istis minime.* Aiunt igitur prius natura respectu alterius illud esse, quod sine altero esse potest, cum alterum nequeat esse sine ipso.

Hanc definitionem impugnabis ex conceptu causæ necessariæ. Repugnat enim causam necessariam esse sine suo effectu, æque, ac effectum esse sine causa; & tamẽ causa necessaria habet veram prioritatẽ naturæ respectu effectus. Naturaliter neque causa necessaria potest esse sine effectu. Supernaturaliter etiam effectus potest esse sine causa, à qua est, immo vt habes ex dictis, & hęc causa sine hoc effectu, & hic effectus sine hac causa naturaliter, esse possunt. Hęc igitur definitio, vt ait Philosophus, est Platonica & respicies ad ideas, quas putauit Plato ita esse causas singularium, quæ oriũtur, & occidunt, vt hęc quidem sine ideis esse non possent, possent autẽ ideæ sine his.

Dicunt alij prioritatem naturæ cõsistere in independentia vnius ab alio, puta causæ ab effectu: posterioritatem vero in dependentia effectus à causa. Hæc definitio peccat

cat in multis. Primo sunt infinita, à quibus nihil pendeo, & tamen respectu illorũ non habeo prioritatem naturæ. Numera si potes lapides & ligna, & innumerabilia alia, à quibus nihil dependeo, & vide an sim prior natura respectu eorum. Secundo: controuertitur, an sit possibilis mutua prioritas naturæ, ergo prioritas huiusmodi ita definiri debet vt non excludat formaliter rationem mutuæ, seu reciprocæ; & consequenter ad rationem prioris non debet pertinere formaliter ratio independentis, hoc est in conceptu prioris definitiuo debet præscindi à possibilitate, vel impossibilitate talis dependentiæ.

Prioritas igitur naturæ definita est, & iterum definitur à nobis: *Ordo huius ad hoc vt actus primi ad secundum*. Iuxta hanc definitionem quicquid quomodolibet: hoc est siue vt causa, siue vt conditio pertinet ad actum primum alterius; respectu eiusdem, prius natura conueniẽter dici potest. Vt igitur videas an hoc, vel illud respectu cuiuslibet sit prius? vide an in potentia, seu sufficientia adæquata ipsius aliqualiter includatur. Hac posita definitione quærendum est, an omnibus, an solum aliquibus causis conueniat prioritas; adeoq: excurrendum erit, sed celeri cursu, per singulas causas.

Negant aliqui prioritatem naturę conuenire finali; Sciendum est ad prioritatem naturæ non requiri prioritatem temporis. Admittitur hoc communiter, & ostenditur in causa necessaria, quæ in eodem instanti, in

o est, operatur; vnde si Solem fingas æternum, fingis æternam & lucem. Hinc habes causam finalem non repellendam esse à ratione prioris, eo quod non antecedat tempore effectum. Potest igitur aliquid antecedere causalitate, quin antecedat tempore. Rursùs hęc ipsa antecedétia potest esse vel secundum existentiam physicam, vel secundum existentiam intentionalem: hanc secũdam concedes causę finali, primam negabis. Hinc est, quod dicitur finem esse primum in intentione, vltimum in executione.

Dic igitur causam finalem habere prioritatem naturæ respectu effectus. Probabis, quia in ijs quę agunt propter finem, intentio finis constituit potentiam physicam, & sufficientiam ad obtinendum ipsum; ergo finis secundum intentionem antecedit natura seipsum, & media ad seipsum secundum rem. Hoc est, quod intelligit D. Thomas vbi dicit inter alias causas principatum tenere quodammodo causam finalem.

De efficienti non puto esse, qui dubitet: patet enim quod omne quod fit, est à potẽte ipsum efficere, & consequenter præsupponere sibi causam efficientem sui. Patet hoc ipsum tum ex definitione efficientis: *Primum vnde motus* superius explicata, tũ ex dicto inter sapientes vulgari: *Vnumquodq; agit in quantum est actu*.

Ex nihilo nihil fit. Debet igitur rei, quæ fit præsupponi subiectum ex quo fiat. Habet igitur causa materialis prioritatem naturæ respectu totius; totius autem, non vero

singu-

singularum partium constituentium totum. Patet hoc ipsa etiam materia constituit totum: materia non præexistit materiæ; ergo materia non præexistit omni constituenti totum. Huc facit quod diximus causam efficientem non esse sola sufficientiam adæquatam, vt aliquid de nouo existat, sed indigere alia natura adiutrice, hoc est materia: sermo est autem de causa efficiente creata, vt sæpius hactenus dictum est.

Potest autem materia prima comparari non solum cum toto, sed etiam cum forma Rursus non solum cum forma materiali. sed etiam cum immateriali, Respectu vtriusque dic materiam habere prioritatem naturæ; respectu materialis per modum causæ rigorosæ sumptæ: respectu immaterialis, hoc est animæ rationalis; per modum subiecti prerequiati. Hęc omnia clarent ex dictis.

De causa formali nega quod sit prior natura. Ratio est: quia forma non est quid requisitum ex parte actus primi; immo illa eadem actione qua ponitur forma, ponitur effectus simpliciter. Puta ea actione qua ponitur albedo, fit album: albedo igitur non est aliquid quod pręsuponatur, vt constitutiuum sufficientię adæquatę ab album:

Dixi: eadem actione, qua ponitur albedo, fieri album; quod pariformiter intelligendum est in omnibus totis, seu substantialibus, seu accidentalibus; dummodo hęc per formam materialem constituantur. Dictum est enim supra eadem actione produci

formam, & vnionem communicatiuam formæ ad subiectum. In homine non ita contingit, nec enim actio eductiua vnionis est productiua formæ: sed idem actus primus determinans causam creatricem ad productionem animæ, est determinatiuum ad actionem eductiuam vnionis; duæ igitur istæ actiones altera eductiua vnionis altera creatiua animæ, concomitantur se habent, & quamuis à diuersis agentibus, sunt tamen ad exigentiam eiusdem subiecti indiuisibiliter ad vtrumque dispositi. Igitur neque forma, neque vnio præcedunt natura totum; quandoquidem vtraq; præsupponit totum actum primum ad totum.

Quamuis autem de forma dictum sit alibi, hanc esse subiectum adhæsionis illius vnionis, cui pro subiecto inhæsionis adæquato assignata est materia: non propterea habet prioritatem naturæ respectu eiusdem vnionis; nam subiectum adhæsionis non exercet neque causalitatem neque rationem conditionis prærequisitæ: quod olim exemplificauimus in actione creatiua distincta à termino creato; adeoq; recepta in ipso tamquam in subiecto, non tamen tamquam in præsupposito. Quod exemplum; si terminus creatur actione sibi superaddita, est verum, & clarum: si secus, est clarum: quod sufficit.

An actio sit prior natura effectu dubitari potest, ab ijs præcipuè, qui actionem viam vocant ad terminum: & de via, & termino sic philosophantur; sicut vulgus

de

de via Iulia, & Mole Adriani: est enim euidens viam prædictam præcedere Molem, adeoque si non euidens, saltem proximum euidenti est actionem natura præcedere terminum, qui per ipsam ponitur in rerum natura;

Dicendum est actionem non esse priorum natura; sed ipsammet prioritatem causæ ad effectum; & indiuisibiliter posterioritatem effectus ad causam. Explicatur hoc. Actio est formalissima ratio, per quam causa dat esse effecti, & effectus recipit esse à causa, g. per actionem causa constituitur causa in actu secundo huius effectus; & hic effectus constituitur effectus in actu secundo huius causæ, Rursus actionem non præcedere natura effectum probatur ex dictis; quia actio non se tenet ex parte actus primi, nec constituit potentiam adæquatam ad existentiam alterius: immò actio ipsa procedit à toto actu primo, adeoque natura posterior, & formalissima reductio actus primi in secundum.

Vt in hac materia facile fugias æquiuocationes innumeras aduerte pro eodem sumi prius natura, & causam, ampliando, vt dictum est, acceptionem causæ. Sicut igitur causa considerari potest, vel in actu primo, vel in actu secundo; ita etiam prius natura considerari potest; vel in actu primo, vel in actu secundo, hoc est vel in exercitio, vel præscindendo ab exercitio sui prioratus. Qua in re philosophamur omnino cohæaenter ad ea, quæ diximus de

rela-

relationibus. Docuimus enim ibi id quod est prius constitui in ratione prioris per id quod est posterius; & è conuerso. Puta sum prior Antichristo per durationem, meam, & durationem Antichristi; & vicissim Antichristus est posterior me; per durationes suam & meam. Vbi vides, quod quamuis hic ad huiusmodi prioritatem, & posterioritatem duas durationes requiram non tamen ad rationem effectus, & causæ in actu secundo non sufficit vnica actio, cum supra probauerimus per eandem indiuisibilem rationem alterum agere, & alterum agi.

De prioritate in actu secundo loquitur Philosophus vbi dicit prius & posterius dici secundum id quod est esse consequentiam. Ex hoc enim quod causa sit in actui secundo causa, recte inferes esse effectum: & vicissim ex eo quod sit effectus, recte inferes esse causam in actu secundo. Vbi aduerte ly *in actu secundo* non appellare actualem existentiam causæ, sed actualem causationem. Sæpe enim id quod est causa, actu est, absque eo quod actu causet, quod patet in causis liberis, quæ completæ ad agendum tamen otiantur, vnde prioritatem quidem habent in actu primo, non autem in actu secundo: non enim datur prius vt tale, nisi per posterius. Quæ omnia patent ex alibi dictis.

AR-

ARTICVLVS II.

An detur mutua causalitas?

NOmine mutuæ causalitalis, intellige hic quamcumque mutuam prioritatem naturæ, quam breuius nomine causalitatis complectimur. Ita loquuturi sumus in vniuersa hac materia. Dico 1. non repugnat muta prioritas. Probatur conclusio: quia media & finis se inuicem causant; g. non repugnat quod duo sint sibi inuicem causa. Antecedens probatur: quia sanitas est finis sectionis venæ, & adeoque setionem venę finaliter causat; ipsa autem sectio venæ causat sanitatem; ergo media & finis se inuicem causant. Hæc conclusio est expressa Aristotelis 2. Phys. text. 30. vbi sic habet. *Sunt autem quædam & ad inuicem causæ; vt laborare causa est bonæ habitudinis, & hæc laborandi, sed non eodem modo; sed hoc quidem vt finis, illud autem vt principium motus*. Videlicet laborare, hoc est exercere se est causa efficiens sanitatis; sanitas autem est causa finalis laborandi seu se sexercendi.

Constat hæc eodem conclusio ex dictis; vidimus enim causæ finali competere verã prioritatem naturæ: vidimus etiam competere efficienti: media autem sunt causa efficiens finis; finis autem est causa finalizans media: media igitur & finis se mutuo causant, hic quidem secundum esse intentionaliter,

liter, illa vero secundum esse physice. Aduertunt hic Conimbricenses 2. Physic. c. 7. quæst. 9. finem esse causam efficientis quoad eius causalitatem, non tamen quoad eius esse. Puta sanitas non est causa quod sit Galenus in rerum natura, sed quod Galenus operetur, & operante Galeno, existat sectio venæ vel abstinentia, vel quodlibet aliud huiusmodi aptum auerruncandæ infirmitati.

Dices: sequitur ex hac doctrina, idem causare seipsum: consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela maioris probatur: quia sanitas quæ intentionaliter est, non est alia sanitas ab ea quæ realiter erit; prima causat secundam; g. causat seipsam. Ergo illa sanitas est à se: g. est Deus, quia aseitas est ratio differentialis Dei. Minor probatur ex hac ipsa vltima consequentia: quia si causat seipsam est à se. Hinc nihil euidentius esse aiunt hoc principio: *omne quod fit ab alio fit*.

Resp. distinguendo maiorem: idem secundum esse physice est à se secundum esse intentionaliter, & quidem vt à causa inadæquata: concedo: idem secundum eundem modum essendi, aut vt à causa adæquata est à se: nego maiorem. Et eodem modo distincta minori; nego consequentiam. De Deo dicitur quod sit à se, non tamen dicitur quod sit causa sui, in quo facile est rudiores impingere. Dicitur autem esse à se, hoc est independenter à qualibet causa. Vide quam hoc sit diuersum ab illo esse à

se

se quod tribuimus sanitati; non consistente in alio, nisi quod sanitas intentionaliter existens in anima tum Calliæ ægrotantis, tum Galeni curantis, determinet ad positionem mediorum efficientium ipsam secũdum esse simpliciter: diximus autem sanitatem secundum huiusmodi esse, non esse causam adæquatam sui, quod patet, quandoquidem præter intentionem sanitatis ea omnia requiruntur, quæ vere sanitatem efficiunt.

Dico 2. Repugnat mutua causalitas secundum idem esse in eodem instanti reali. Mutuam causalitatem secundum esse physice negant in eodem genere causandi aliqui, qui eandem concedunt in diuerso genere causæ. Puta negant possibilem esse mutuam causalitatem inter efficientem & efficientem, ita vt & *A* efficiat *B*, & vicissim efficiatur à *B*. Concedunt autem inter causam materialem, & formalem, itaut materialis secundum existentiam physicam concurrat ad existentiam formæ, causando illam in genere causæ materialis; & vicissim forma causet materiam in genere causæ formalis. Si tanti esset aliorum sensa indagare, quanti est explicare nostra, inueniremus eos qui sic loquuntur, vel decipi nomine causæ formalis, vel non dissentire à nobis.

Nostra conclusio est vniuersalis negatiua, reiicitque omnem mutuam causalitatem secundum idem esse tam in eodem, quam in diueso genere causæ. Oportuit

au-

autem addere: *in eodem instanti*; quia non est dubium quin ægrotus seruatus à Medico, possit Medicum suum grauiore morbo liberare, & Pater cui vitam debet Filius, possit vicissim vitam recipere, hoc est conseruationem vitæ à Filio.

Conclusio sic explicata probatur: illud est prius natura modo dicto, quod per suum esse phyce constituit actum primum seu sufficientiam adæquatam ad id quod dicitur posterius; g. id quod est posterius nequit esse prius natura respectu illius eiusdem; g. inter prius & posterius repugnat mutua prioritas. Secunda conseq. est euidens: prima probatur; quia si *A* esset prius *B* priori se, eo ipso esset in actu primo seu inter constitutiua actus primi & sufficientiæ adæquatæ ad *B*; si autem esset ex constitutiuis actus primi ad *B*, eo ipso esset antequam esset, & consequenter præsupponentur sibi ipsi. Patet hoc quia sufficientia adæquata ad *A* præsupponit *B*, g. præsupponit sufficientiam adæquatam ad *B*: sed in sufficientia ad *B* includitur *A*; ergo *A* præsupponitur ad *A* vt est manifestum. Hoc argumentum est illud idem quod alibi ex Philosopho tetulimus, vbi de ingenerabilitate materiæ.

Hoc quod posuimus in *A* & *B* melius fortasse videbis in duplici igne. Suppone igitur ignem *A* esse causam ignis *B*. In hac ipsa suppositione ponis ignem *A* inter constitutiua potentiæ prærequisitæ ad ignem *B*. Quod si rursus ponas ignem *B* esse causam ignis *A*; iam ipsum ignem *B* ponis inter

con-

constitutiua sufficientiæ prærequisitæ ad ignem *A* : & consequenter præsupponis ignem *A* ad ignem *B*; rursus præsupposuisti ignem *B* ad ignem *A*; ergo ignem *A* præsupponis sibi ipsi : implicat enim esse inter constitutiua potentiæ adæquatæ ad potentiam adæquatam sui, & non præsupponi ad potentiam adæquatam sui ; & simul implicat præsupponi ad potentiam adequatam sui, non præsupponi ad se. Idem autem esse antequam sit quocumque genere anterioritatis videtur repugnans ex terminis.

Decipiuntur autem in hoc quod firmiter teneant prioritatem & posterioritatem secundum naturam non esse prioritatem aut posterioritatem secundum tempus. Vident enim repugnare in terminis aliquid quod incipit esse in instanti *B*, prefuisse in instanti *A*; sed cum prioritas & posterioritas inter causam & effectum sit in eodem instanti, facile credunt idem prius esse simul & posterius, hoc est idem quod primo est in instanti *A*, in eodem instanti *A* esse antequam sit: quandoquidem ante & post secundum naturam, sunt in eodem instanti.

Verum quam repugnat intelligenti quid sit prioritas & posterioritas temporis, rem quę primo est instanti *B*. prefuisse in instanti *A*, tam repugnat intelligenti quid sit prioritas & posterioritas naturę, rem, quę est posterior natura in instanti *A*, in eodem instanti *A* prefuisse secundum naturam. Ratio est quia prefuisse secundum naturam, est esse inter ea que constituunt potentiam ade-

adæquatam translatiuam à non esse ad esse: repugnat autem in potentia seu intra constitutiua potentiæ huiusmodi recenseri vt iam translatum id quod transferendum est à non esse ad esse. Propterea dicitur actus primus adæquate distingui ab actu secundo, adeoque in toto actu primo nihil includi formaliter de actu secundo. Ex quibus apparet conclusionem suprapositam ipsa sui explicatione satis manifeste probari. Probabitur autem vberius responsione ad obiectiones.

ARTICVLVS III.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

OBiectiones quæ fiunt contra veritatem propositam petuntur partim ex quibusdam modis loquendi, partim ex quibusdam experientijs; & rationes huiusmodi dicentur à nobis rationes physicæ, ad differentiam quorundam argumentorum, quæ postea proponentur petita ex moralibus.

Ad solutionem earum quæ nituntur modis loquendi sciendum est aduersarios sæpe abuti particulis quibusdam aptis significare quamcunque connexionem, ad probandam connexionem causæ & effectus; quæ cū mutuo de pluribus extremis dicantur, mutuam inter plura causalitatem, dependentiam, & prioritatem importare videntur. Particulæ autem huiusmodi sunt: *ideo*: *quia*: *si non*: & aliæ id genus; quasi vero per ipsam sem-

per

per importetur ratio causæ, vel conditionis præsuppositæ; cum certum sit particulas huiusmodi quamlibet connexionem aut inseparabilitatem importare posse. Res in exemplo apparet. *Ideo homo est risibilis, quia est rationalis. Ideo Petrus est homo quia est animal rationale. Si non daretur flebile non daretur risibile; & è conuerso.*

Per particulas huiusmodi importatur connexio quædam; qualis autem sit illa connexio, per easdem particulas non explicatur. Hinc non est legitima hęc consequentia: *Ideo homo est risibilis quia est rationalis: ergo rationale est radix risibilitatis,* Quamuis enim sit verum consequens; est tamen illegitima consequentia, vt patet ex eadem forma pro consequenti falso: *Ideo Petrus est homo, quia est animal rationale; ergo animal rationale est radix humanitatis.* Patet enim, quod non sicut se habet risibile ad rationale, ita homo ad animal rationale. Hoc idem de particulis reduplicatiuis alibi notatum est. His positis.

Obijc. 1. Materia causat formam, & forma materiam, ergo inter materiam, & formam datur mutua causalitas. Antec. continet duas partes. Prima est, quod materia causet formam, & hæc probata est vbi de causa materiali. Secunda pars est, materiam vicissim causari à forma. Hæc autem probatur. Primo in sententia Thomistica materia existit per esse formæ; ergo forma dat esse materiæ: dare autem esse, & causare sunt idem. Secundò; quemadmodum materia

teria est causa materialis formę: ita etiam forma est causa formalis materię; quicquid autem est quomodolibet causa alterius, est prius natura altero; ergo tam forma est prior natura materia, quam materia est prior natura forma. Tertio; ideo existit materia, quia existit forma; &: si non existeret forma non existeret materia; ergo forma est causa materiæ, & prior materia.

Resp. neg. antec. quod est eorum, de quibus supra, qui aiunt repugnare quidem mutua causalitatem in eodem genere, secus autem in diuerso genere causæ. Ad primum: dictum est alibi. Addo quod etiam si forma esset existentia materiæ, non inde legitime inferres esse priorem materia: esset enim causa materiæ vt essentis, seu vt existentis in genere causæ formalis: dictum est autem supra causam formalem non esse priorem effectu formali, quem præstat. Ad 2. aliud est esse causam formalem totius, aliud materiæ. In sententia Thomistica materia est formaliter per formam; in sententia nostra totum est formaliter per formam hoc potius quam illud, seu in hac potius quam in illa ratione substantiæ: in neutra sententia necesse est prioritatem admittere. Ad 3. vel nega antec. vel distingue: si non existeret forma, non existeret materia: ex defectu finis: omitte; ex defectu prærequisiti: nega. Posses etiam omittere antec. & negare conseq. Ex duobus inseparabilibus si non existeret vnum non existeret alterum: nec tamen necesse est inseparabilia qualibet

bet habere inter se connexionem causæ, & effectus.

Immo sępe ex defectu consequentis rectè arguitur defectus antecedentis. Puta: *Antichristus nullibi est; ergo non est*. Et: si nullam vbicationem habere, non existerem; cum tamen certum sit vbicationem non esse quid prius mea existentia. Hinc alibi diximus consequens physicè, esse logicè antecedens, quia ex consequēti rectè inferes antecedens, vt patet in hac illatione: *Petrus est hic; ergo est*. Item: *est risibile, ergo rationale*. In primo consequens physicum ponitur pro antecedenti, & antecedens physicum pro consequenti: esse enim præcedit physicè esse in loco. In secundo consequens metaphysicum infer metaphysicum antecedens: risibile enim secundum considerationem metaphysicam profluit à rationali.

Dices: plus requiritur ad conseruandum materiam siue forma, quam cum forma; ergo forma influit actionem conseruantia in materiam; sed etiam & in eodem instanti materia influit: seu conseruat in genere causæ materialis formam; ergo inter materiam, & formam datur mutua causalitas. Antec. probatur: quia agens naturale non conseruat materiam sine forma substantiali, cōseruat autem cum forma; ergo plus requiritur ad conseruandum materiam sine omni forma, quam cum aliqua forma. Probatur iam conseq. quia insufficientia quæ est in agente naturali ad conseruandam materiam sine forma, adiuuatur per existentiam

tiam formæ, quando adest, suppletur autem ab auctore naturæ quando abest; ergo est aliquis influxus formæ in materiam. Si enim forma nihil influit in materiam, cur difficilius est materia sine forma, quam cum forma?

Totum hoc argumentum laborat in supposito. Causa faciens, & conseruans materiam est solus Deus, vt patet ex dictis de ingenerabilitate, & incorruptibilitate materiæ. Hinc falsum est difficilius esse hanc conseruari sine omni forma, quam cum aliqua forma: quamuis connaturalius sit, & magis modo sibi debito sociata formæ, quã ab eadem diuisa; forma igitur in influit in conseruationem materiæ, nisi forte in ratione finis. Nega igitur antec. Ad probationem nega iterum antec. Ad vltimam, & sapidissimam interrogationem acriori interrogatione respondeas, videlicet: si vbicatio, si duratio nihil influunt in esse Petri: cur impossibile est Petrum esse sine omni vbicatione & duratione? His, & alijs huiusmodi interrogationibus satisfactum est, vbi dictum est quædam necessario consequi ad esse, itaut res sine quibusdam, omninò; sine alijs, saltem naturaliter esse non possit. Petrus sine omni vbicatione nequit esse, neque de potentia absoluta; vt communiter aiunt. Materia prima nequit naturaliter carere omni forma substantiali, vt dictum est alibi.

Aduerte autem ex hoc quod Deus materiam naturaliter conseruet cum forma;

sine

sine forma autem, miraculosè; non inferri eundem Deum plus virtutis exerere in vna circumstantia, quam in alia: sed solum inferri quod Deus in vna circumstantia dispenset legi naturæ, non autem in alia. Non requiritur autem plus virtutis ad operandum cum dispensatione, quam sine dispensatione, sicut non plus linguæ requiritur ad loquendnm cum licentia, quam sine licentia Superioris. Quæ omnia patent.

Obijc. 2. Actio creatiua Angeli recipitur in Angelo tamquam in subiecto: ergo Angelus est causa passiua suæ creationis: sed vicissim actio creatiua est causa Angeli; ergo inter Angelum, & creationem Angeli datur mutua causalitas.

Respicesse controuersum, an actio creatiua distinguatur à termino qui creatur. Si non distinguitur, negatur suppositum antecedentis. Philosophus de huiusmodi actione nihil habet: quia putat nihil creari, iuxta illud. *Ex nihilo nihil fit* Si autem distinguitur, dic quod alibi dictum est, Angelum esse subiectdm, sed non causam actionis prædictæ. Subiectum alibi diuisimus in subiectum inhæsionis, & subiectum adhæsionis: quod sufficit ad solutionem præsentis, hoc est, nullius difficultatis, De actione etiam dictum est hanc non esse priorem termino, sed ipsammet prioritatem causæ respectu termini; Sunt qui actionem priorem vocent prioritate originis, nihil aliud fortasse intelligentes, nisi quod actio sit

ipsamet formalis origo effectus à causa.

Obij. 3. In generatione substantiali vltima dispositio ad formam est causa formæ: & vicissim forma est causa vltimæ dispositionis ad ipsam; ergo inter vltimam dispositionem & formam datur mutua causalitas. Antecedens, quoad primam partem probatur. Quia vltima dispositio ad formã substantialem est vnum ex cõstitutiuis potentiæ adæquatæ seu actus primi completi ad existentiam formæ; productio enim formæ præsupponit natura vltimam dispositionem ad ipsam; imo hoc ipsum sonare videtur hæc vox; *dispositio*: cum idem sit disponi quod præparari ad hoc & ad illud. Probatur iam quoad secundam partem; quia formæ in composito tribuitur influxus in accidentia, quæ sunt propria talis compositi; vnde dici solet formam esse radicem & principium eorum accidentium quæ sunt in toto. Hinc etiam est quod dicitur in toto formam esse causam formalem totius: efficientem verò accidentium totius: inter accidentia autem quæ sunt huius totius maximè proprium est vltima dispositio. Secundam partem antecedentis alij aliter probant; videlicet; forma est causa passiua & subiectum inhæsionis vltimæ dispositionis ad ipsam: est de ratione causæ passiuæ præsupponi natura ad id cuius dicitur causa; ergo forma natura præsupponitur ad vltimam dispositionem.

Hæc omnia refelluntur ex professo in libris de Generatione. Interim; nega an-

tec.

tec. quoad secundam partem. Ad primam probationem nega antec Ad secundam nega mai. Forma nullo modo presupponitur dispositioni ad se, adeoque respectu vltimæ dispositionis non habet rationem causæ neq; efficientis neq; passiuæ. Patet hoc ex ipso argumento Aduersarij: implicat enim *A* præsupponi vltimæ dispositioni ad *A*: & hoc argumento vt euidenti vtemur, vbi ostendemus subiectum inhęsionis adęquatũ accidentium esse solam materiam. Sed hęc supponenda sunt hic, non probanda.

Obijc. 4. Expulsio formę veteris pręcedit natura introductionem nouæ, & introductio nouæ vicissim expulsionem veteris: ergo datur mutua præcedentia secundum naturam. Antec. probatur: ideo expellitur vetus, quia introducitur noua, & ideo sintroducitur noua, quia expellitur vetus. Item non expelleretur vetus, si non introduceretur noua; non introduceretur noua, si non expelleretur vetus: ergo &c.

Resp. negando antec. Expulso veteris formæ & introducio nouæ, si accipiantur pro primo non esse vnius, & primo esse alterius, se habent concomitanter: si pro actione ipsa expulsiua vnius, & introductiua alterius, sunt idem: iuxta illud, *Generatio vnius est corruptio alterius*; est è conuerso. Ad probationem patet ex dictis. Nihil probatur per reuolutionem illarum particularium, nisi inseparabilitas introductionis nouæ, & expulsionis veteris formæ.

Obijc. 5. Habes habitum charitatis eli-

ciat in instanti A actum charitatis sibi præceptum. Hoc posito; habitus charitatis influit in actum efficiendo, & actus in habitum conseruando; vterquæ influxus est in genere determinatiui antecedentis, ergo datur mutua antecedentia &c. Quod habitus influat supponitur: quod conseruetur ab actu, probatur: quia si non elicias, destruitur habitus vt pote incompossibilis cum omissione actus præcepti.

Resp. Admissa hypothesi, negando secundam partem maioris Actus conseruat habitum non in genere causæ influentis, sed in genere formæ icompossibilis cum omissione incompossibili cum habitu. Sicut igitur omissio non expellit habitum in genere efficientis, sed in genere formæ incompossibilis: ita nec actus illum conseruat in genere efficientis, sed in genere remouentis formaliter, hoc est in genere formæ incompossibilis, impedimentum formale, in quo nulla est prioritas. De prima parte maioris maior est difficultas. Si enim habitus influit efficienter in actum, totius actus primus ad actum stare nequit cum omissione eiusdem, adeoque non erit de ratione actus primi liberi posse coniungi cum vtrolibet ex oppositis: cum actu & omissione actus. Patet hoc; quia habitus stare nequit cum omissione actus præcepti.

Ad hoc respondetur te cum habitū charitatis esse liberum ad ponendum vel non ponendum actum præceptum; non quod possis coniungere amorem vel non amorē

cum

cum habitu; sed quod possis vel conseruare habitum amando, vel non amando illum abijcere. Hoc fere modo cum sessione liber es ad standum vel sedendum, eò quod possis vel conseruare sessionem sedendo, vel surgendo eandem abijcere. Est igitur de ratione actus primi liberi vel posse coniungi cum vtrolibet ex oppositis, vel secundum aliquid sui posse abijci ad libitum operantis. Ex quibus apparet præceptum huiusmodi fieri non posse pro primo instanti in quo est habitus: cum in nulla sententia admittatur potentia destruendi quicquam in primo instanti in quo est.

Dices. Etiam in secundo instanti si omittatur actus, omittitur liberè ergò cum potentia adæquata non omittendi, sed hæc includit habitum, ergo omittitur in sensu composito habitus, ergo habitus stat cum omissione actus.

Respondeo conc. primo enthimemate, dist. min. subsumpt. Hæc includit habitum, vt determinatè conseruandum: nego, vt conseruandum vel destruendum, conc. min. Habitus vt determinate conseruandus, supponitur in primo & in secundo instanti, vt determinatè destruendus, supponitur in primo, & excluditur à secundo; vt conseruandus vel destruendus: supponitur quidem vt existens in primo, præscindit autem à durante vel non durante in secundo. Et consequenter, vt constituens potentiam indifferentem ad

conseruandum vel destruendum, præsupponitur vt existens in primo: præscindit autem à durante vel non durante in secundo instanti. Si conseruetur, influit, fitque formaliter prior natura actu in quem influit (prius enim fit formaliter prius per posterius) si destruatur, non influit in destructionem sui. Hinc non dicitur indifferens vt influat in amorem vel non amorem, sed vt influat vel non influat in amorem. Cum igitur esse prius natura ac esse causam sit formaliter idem, patet non esse eodem modo priorem natura amore ac non amore.

Inst. Implicat quod omissio sit libera, & non coexistat ipsi potentia adæquata ad actum: ergo &c. antec. probatur, quia actus non est liber nisi coexistat ipsi potentia adæquata ad omissionem; ergo nec omissio est libera nisi coexistat ipsi potentia adæquata ad actum. Confir. quia in eo instanti in quo liberè omitto, possum agere: ergo habeo potentiam agendi.

Resp. dist. antec. Si potentia constituitur per formam destruendam per omissionem: nego; si non constituitur per talem formam conc. ad probationem antec. omitto antec. & nego conseq. Disparitas est quia voluntas, quæ est potentia omittendi non destruitur par actum: habitus qui est pars potentiæ agendi destruitur per omissionem. Habitus igitur non ita se habet ad actum, sicut ad omissionem. Ad hanc se habet per modum rei destruendæ per ipsam:

ad

ad illum per modum principij influentis in ipsum. Propterea ad hunc necesse est vt existat; ad illam vt immediatè ante extiterit. Hæc facilia sunt bene penetranti quid sit conseruari quid destruit. Nam etiamsi independenter ab influxu sui, esset conseruandus, esset de actu primo suæ conseruationis vt existens in instanti antecedenti. Cum ad conceptum conseruati vt talis pertineat extitisse. Et similiter est de conceptu ipsius vt destruendi, & suo modo de actu primo destructionis ipsius quod ante extiterit.

Ad confirm. dist. habeo potentiam agendi in sensu diuiso concedo; in sensu composito: nego, & quia sensus diuisus est in mea potestate: ideo sum simpliciter liber. Ita in eo instanti in quo liberè mihi amputo pedes, habeo in sensu diuiso potentiam ambulandi, non autem in sensu composito: quia non potest esse in me potentia ambulandi simul cum actuali amputatione pedum. Possum tamen in eo instanti in quo liberè amputo, loco amputandi, illos exercere per ambulationem.

Obij. 6. In hyppothesi duplicis causæ totalis non repugnat mutua causalitas; duplex causa totalis non repugnat? ergo in hyppothesi possibili non repugnat mutua causalitas.

Respond. hanc difficultatem examinatum iri Tom. 3. in quæst. de duplici causa totali.

ARTICVLVS III.

Proponuntur & soluuntur argumenta petita ab experientijs.

PRimum argumentum sit illud quod petitur ex duobus carbonibus ignitis inuicem approximatis. Calor carbonis *A* cõseruat calorem carbonis *B*, & vicissim calor carbonis *B* conseruat calorem carbonis *A*: ergo inter calores *A* & *B* datur mutua causalitas, seu mutua dependentia. Antec. patet experientia; quia per separationem contingit facilius vtrumlibet & vtrumque calorem diminui, & extingui; ergo calor proximus calori fouet calorem. Hoc idem patet infinitis alijs experimentis: puta duæ manus calidæ mutuo fouent suum calorem, periturum hercle si separentur.

Secundum petitur ex duobus baculis se inuicem sustinentibus, seu ad seu se inuicem inclinatis. Vbicatio baculi *A* est causa vbicationis baculi *B*, & vicissim vbicatio baculi *B* est causa vbicationis baculi *A*; ergo inter istas duas vbicationes datur mutua dependentia. Antec. probatur: quia remoto baculo *A* præcipitat baculus *B*, nisi proximitas baculi *A* per aliquid aliud suppleatur: ergo proximitas baculi *A* influit seu determinat vel per modum causæ, vel per modum conditionis ad vbicationem baculi *B*; idem dic è conuerso de proximitate baculi *B* respectu vbicationis baculi *A*.

Ter-

Tertium petitur ex ingressu venti & apertione fenestræ. Pro priori ad ingressum venti intelligitur aperta fenestra: qui enim per fenestram clausam ventus ingrederetur? sed vicissim pro priori ad apertionem fenestræ intelligitur ingressus venti: ergo hæc duo se mutuo causant seu præcedunt. Secunda pars probatur; quia causa fenestram aperies est ventus ingrediens; ergo pro priori ad apertionem fenestrę intelligitur ventus ingrediens. Item: ideo ingreditur ventus, quia fenestra est aperta, & ideo fenestra aperitur, quia ingreditur ventus; ergo &c.

Quartum petitur ex motu rotę *A* & rotæ *B* in eodem curru. Motus rotę *A* est causa vel conditio ad motum rotæ *B*; & è conuerso motus rotæ *B* ad motum rotæ *A*, ergo isti duo motus se inuicem causant. Antec. probatur. Si impedias rotam *A*, seu motum rotæ *A*, non mouetur rota *B*. Idem dic de impedito motu rotæ *B* respectu motus rotæ A. Hinc inferes; ergo negatio motus in rota A est impedimentum motus in rota *B*, & à conuerso; ergo motus rotæ A est negatio impedimenti ad motum rotæ *B*, & è conuerso. Consequentia liquet attendenti: ergo motus rotæ A est conditio ad motum rotæ *B*. Probatur hæc vltima consequentia: quia inter conditiones requisitas ad effectum ponitur negatio impedimenti; ergo motus rotæ A est pro priori ad motum rotæ *B*, & è conuerso. Probatur vltima consequentia: quia conditio non

minus quam causa, dictum est, constituit actum primum proximum adęquatum effectus faciendi.

Primum argumentum dissoluitur axiomate: *vis vnita fortior*. Duo carbones simul vniti validius agunt in frigidum circumfusum, eiusdemque actioni resistunt. Hinc ad argumentum in forma. Calor carbonis A conseruat calorem carbonis *B*; per mutuum influsum vnius in alterum: nego: per simultaneam actionem & resistentiam vtriusque in contrarium: concedo. Idem dic in omnibus alijs similibus experimentis. Moneri tamen debes considerandum esse hic non solum carbonem & carbonem: sed etiam calorem & calorem. Non negamus carbonem A producere aliquid caloris immo aliquid ignis in carbone *B*, & vicissim carbonem *B* in carbone *A*. Negamus illum calorem aut ignem qui à carbone *A* producitur in carbone *B*, produci ab illo eodem calore vel igne, qui est producens talis caloris vel ignis. v. g. Calor *A* si produxit calorem *B* in alio: non producitur ipse ab eodem calore B.

Ad secundum. Consideranda est in vtroque baculo durities & impenetrabilitas. ratione talis impenetrabilitatis vbi est vnum corpus nequit esse alterum, intellige in sensu composito. Hinc vbicatio baculi *A* incompossibilis est cum vbicatione baculi *B*: adeoque vna vbicatio impedit aliam per modum formæ incompossibilis. Quæ autem se mutuo impediunt vt incompossibilia, non

non habent ordinem inter se prioris & posteriori. Hinc rectè diceres vbicationes prædictas esse sibi mutuas conditiones, sed concomitantes. sicut enim diximus supra non esse de ratione omnis causæ habere prioritatem, ita nec est de ratione omnis conditionis. Ita philosophatur, & sapienter Comptonqs.

In forma igitur ad argumentum nega antecedens. Ad probationem concesso antec. distingue conseq. determinat in ratione determinatiui concomitantis: concede; antecedentis; nega. Ex his facilè est ad reliqua. Quicquid enim suppleret pro proximitate baculi *A*, eodem modo se haberet sicut se habet talis proximitas ad vbicationem baculi *B*, hoc est pro impedimento per modum rei incompossibilis quod impedimentum ad differentiam impedimenti antecedentis vocare poteris impedimentum formale: nam ex dictis supra, quod in qualibet denominatione sustinet rationem formæ, non exigit rationem prioris. Impeditur igitur descensus baculi *B* per vbicationem baculi *A*; tamquam per impedimentum formale: hoc est tamquam per rem incompossibilem cum tali descensu.

Dices præscindendo ab vbicatione baculi *A* non datur actus primus adæquatus ad vbicationem baculi *B*, & è conuerso; g, & vbicatio baculi *A* pertinet ad actum primum vbicationis baculi *B* & è conuerso, Antec. probatur 1. quia si etiam præscin-

dendo ab vbicatione baculi *A* detur prædictus antis primus adęquatę: non est cur deficiente vbicatione *A*, deficiat vbicatio B: ergo &c. 2. Quia talis actus primus adęquatus non est assignabilis, ergo, &c.

Resp. neg. antec. ad primam probationem neg. antec. Vbicatio *A* si deficit, deficit ex defectu actus primi proximi ad se ipsam; sed actus primus proximus ad ipsam est indiuisibiliter ad vbicationem B: ergo &c. Ad secundam probationem iterum nego antec. Actús primus proximus adæquatus vbicationis baculi B est vterque baculus, motus antecedens vtriusque siue à manu collocante, siue ab alia causa. Impetus innati vtrique baculo tendentes actu per hãc & illam lineam versus centrum: adeoque vnum ad alterum inclinantes & alia huiusmodi; quæ neutram includunt ex vbicationibus, & ad vtramque indiuisibiliter determinant.

Ad tertium. Nega antec. Ingressus venti & apertio fenestræ sunt effectus simultanei, seu coeffectus eiusdem causæ indiuisibiliter intrudæntis ventum & pellentis fenestram. Sicut in bilance ascensus lancis *A* & descensus lancis B sunt effectus simultanei eiusdem grauitatis. Ita etiam supra diximus expulsionem vnius formę & introductionem alterius indiuisibiliter, & sine vllo ordine prioris & posterioris esse ab eadem causa. Quod si Aduersarius quærat hic quænam sit illa causa fenestram pellens & ventum intrudens: pete ab ipso causam

venti;

venti: & hoc firmiter tene te in effectibus simultaneis toties assignaturum causam vtriusque, quoties assignabis causam vtriuslibet. Non est autem hic locus agendi de ventis & causis Ventorum, quia omnia ad Meteoristas ex consuetudine huius vniuersitatis iam pertinent.

Ad quartum. Similiter nega antec. Etiam isti duo motus videlicet rotæ *A* & rotæ *B*, sunt coeffectus causæ indiuisibiliter vtramque mouentis. Quod pariter liquet in exemplo allato bilancis. Sunt autem ita coeffectus, vt actus primus proximus ad vtrumlibet sit actus primus proximus ad vtrumque, itaut vnum sine altero edere nequeat. Puta in casu posito vtriusq; rotæ in curru, mobilitas rotæ *A* est de actu primo proximo non solum ad motum rotæ *A* sed etiam ad motum rotæ *B*: & conuerso: igitur si consideres actum primum motus rotæ *A*, non attendes solum ad mobilitatem expeditam ipsius rotę *A*, sed insuper ad mobilitatem expeditam rotæ *B*. Hinc sublata mobilitate rotæ *B*, vides è medio tolli actum primum proximum motus rotæ à; tolli, inquam, non per ablationem motus rotæ *B*, sed per ablationem mobilitatis. Hinc impedita à motu rota *B*, moueri nequit rota *A* ex defectu alicuius antecedentis, seu alicuius se tenentis ex parte actus primi. Hoc autem non est ipsemet motus, sed impedimentum ad motum cum quo implicat in terminis dari expeditam mobilitatem rotæ *B*,

Hinc

Hinc patet ad ea omnia quæ sequuntur: Negatio motus Rotæ *A* est impedimentum motus rotæ *B*: formaliter: nega, præsuppositiuè; concede. Item motus rotæ *A* est negatio impedimenti ad motum rotæ *B*; formaliter: nega; præsuppositiue: conc. Negatio motus rotę *A* est impedimentum motus rotæ *B*, præsupopositiue quia hæc negatio est ex defectu proximæ mobilitatis rotæ *A*. Quæ cum sit indiuisibiliter proxima mobilitas. Rotæ *B*, eo ipso est etiam ex defectu proximæ mobilitatis Rotæ *B*, defectus autem proximæ mobilitatis præsupponitur ad non motum. Sicut autem negatio motus est impedimentum; sic motus est negatio impedimenti: vtrumq; præsuppositiue. Quę omnia liquent ex dictis. Considera igitur non motum ipsum, sed ea quæ natura præcedunt motum vtrumlibet, siue ea se teneant ex parte rotæ quæ mouenda est, siue ex parte causæ, cuius est mouere; & habebis vnde argumentis huiusmodi plane satisfacias.

Fundatur hæc doctrina in doctrina Philosophi 5. Metaph. cap. 6. textu 8. vbi obseruat eorum quæ simul vinculata sunt, vnum per se motum, non posse aliter esse; vnum vero, quia indiuisibilem. Duæ autem rotæ in casu posito sunt simul vinculatę, seu connexæ, seu etiam confixæ; earum igitur vnus est per se motus; & non potest aliter esse; & consequenter nequit motus vnius esse prior motum alterius.

Doctrinam hanc seipsa clarissimam expli-

plicat Philosophus exemplo lignorum, quę non pure iuxta ponuntur, sed aliquo vinculo colligantur in fascem. Hinc etiam apparet falsum esse, quod aliqui concedunt videlicet etiamsi infigatur vna rota, dari tamen totum actum primum ad motum alterius. Ex hoc enim ipso quod est vnus vtriusque motus, implicat esse actum primum ad motum vnius non autem alterius. Igitur impedimentum ad motum vtriuslibet est impedimentum ad motum vtriusq;

ARTICVLVS IV.

Satisfit argumentis moralibus.

A Causis physicis transitur in hac materia ad causas morales. Primum igitur argumentum sit. Dicat Petrus: nolo mouere manum dexteram nisi mouero sinistram, nec sinistram nisi mouero dexteram. In tali casus motus dexteræ pendebit dependentia à priori, à motu sinistræ; & vicissim motus sinistræ à motu dextera; g. dabitur mutua dependentia à priori. Antecedens probatur: quia motus sinistræ existens erit motiuum voluntati ad imperandum motum dextera, & vicissim &c.

Proponitur hic idem casus inter duos: puta inter Gabrielem & Raphaelem. Dicat Gabriel; nolo facere nisi quod videro Raphaelem facientem: & vicissim dicat Raphael: nolo facere nisi quod videro Gabrielem facientem: in tali casus actus Rapha-

phae-

iuramento. Quod intereſt ad rem noſtram: vide quod qui mutuam prioritatem admittunt faciunt naturam ſimilem inaniter proponenti, quod exequi ſit impoſſibile. Fac enim A & B eſſe ſibi inuicem cauſas. Tunc naturam dicit: nō ponam A niſi prius poſuero B, nec ponam B niſi prius poſuero A. Quod propoſitum eſt inſipientis, & non intelligentis quid demum proponat.

Aliud argumentum ſit hoc. Dicat Imperator mili pugnaturo: en tibi enſem aureum, ſi reportabis victoriam ab hoſtibus, ſit tibi præmium victoriæ. Aut etiam, ſi mauis, præuideat Imperator futuram victoriam, gladium quo pugnaturus & victurus eſt miles, ante victoriam ipſam, det Militi in præmium victoriæ. In hoc caſu & victoria cauſat donationem gladij, & donatio gladi cauſat victoriam, ergo in caſu prædicto datur mutua cauſalitatis.

Ad hoc argumentum non male reſpondebis concedendo totum. Sed quid inde? Quaſi vero diceremus repugnare omnem mutuam cauſalitatem. Victoria intentionaliter exiſtens & in genere cauſæ obiectiuæ determinat ad phyſicam donationem gladij, donatio autem ipſa gladij, & gladius ipſe phyſice exiſtentes determinant ad victoriam transferendam a ſtatu pure intentionali ad eſſe ſimpliciter. Infinita alia huiuſmodi olim proponebantur, in quibus immorari eſſet hominis otioſi.

Appendix ad tractatum de cauſis.

Quæ ſuperſunt de cauſis per nonnulla

quæſita

qua sita explicabimus. Quęres autem primo an causa recte diuidatur quadrifariam: in materialem & formalem, & efficientem & finalem.

Resp. affirmatiue. Hæc responsio patet ex dictis: Causam enim exemplarem siue ideam quam pro quinta nonnulli afferunt, diximus pertinere ad efficientem.

Quæres secundo. An sint aliæ diuisiones causæ:

Resp. affirmatiue. Sed huiusmodi diuisiones melius afferuntur vbi fert occasio, quam instituendo quæstionem de ipsis. Puta quis non intelligit quando distinguitur, inter arguendum, aut respondendum, per causam mediatam & immediatam, adęquatam & inadæquatam, & sic de cæteris.

Est autem inter cæteras satis familaris diuisio causæ in vniuocam & ęquiuocam. Vniuoca producit effectum sibi similem: vt ignis ignem, ęquiuoca dissimilem: vt sol plantam.

Præterea non est omittenda diuisio causæ in liberam & necessariam. Necessaria est quę positis omnibus præquisitis ad agendum nequit determinare se ad non agēdum. Puta ignis proximus stuppæ necessario illam comburit. Libera est quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest determinare se tam ad non agendum, quam ad agendum. Huiusmodi est voluntas humana, quæ perfecte completa ad amandum, potest etiam non amare, ex determinatione non aliena sed sua.

Post

Poſt diuiſiones cauſę quęres in quo differant conditio & cauſa, in quo conueniãt:

Reſp. Cauſam & Conditionem conuenire in ratione requiſiti ad effectum. Actus enim primus adæquatus compręhendit non ſolum quicquid habet rationem cauſæ, ſed etiam quicquid habet rationem conditionis, dummodo tam hoc quam illud contineatur inter conſtitutiua potentiæ adæquatæ ad effectum. Diſcrimen autem inter conditionem & cauſam afferri ſolitum eſt, quod cauſa determinet ad effectum per modum virtutis, conditio autem per modum applicantis virtutem. Exemplo res patet Vt ignis calefacit ſtuppam iam requiritur vt ſit proximus, quam vt ſit calidus; manifeſtum eſt autem aliter ſe habere calorem ad calefaciendum, aliter approximationem. Approximatio æque requiritur ad frigefaciendum: non idem dices de calore: habet igitur ſpecialiter aliquid calor propter quod requiratur ad hunc effectum, quod non habet proximitas. Hoc eſt quod intelligunt nomine virtutis. Ineptum eſt putare vbicationes per quas habetur proximitas agentis & paſſi eſſe virtutem omnificam; cum tamen proximitas huiuſmodi requiratur ad quodlibet efficiendum; recte igitur dicetur eſſe applicatio huius & illius virtutis, à qua hic & ille effectus procedit. Conditio igiter conuenit proximitati, quia hęc pariformiter requiritur ad omnes omnino effectus inter agens & paſſum, ratio autem cauſę conuenit huic & illi

qua-

qualitati, puta calori, frigori, & cęteris; quia in effectu reperitur aliqua ratio qua specialiter connectitur cum hac potius quã illa. Puta calor connectitur potius cum igne quam cum aqua, & frigus cum aqua potius quam cum igne in genere effectus, quamuis tam frigus proximitatem aquę exigat, quam calor proximitatem ignis.

His positis non vacat efferre huc & impugnare varias definitiones Causę in communi: quę ideo difficile definitur: quia facillime quid sit intelligitur: cum etiam pueri frequentissime in per habeant: ergo sum causa huius, non sum causa illius rei. Puta frater fratri dicit: ego non sum causa cur vapulaueris à Magistro: cum tamen sis causa cur vapulauerim à Pręfecto: Hoc dicto nihil aliud significans nisi se accusatum fuisse à fratre, quem non accusauit. Omnium autem definitionem receptissima est quod causa sit id quod determinat cum virtute ad esse aliud: conditio autem id quod determinat per modum applicantis virtutem; quę omnia satis patent ex dictis.

Denique notandum est quod quamuis, tam causa necessaria nequeat esse sine effectu; quam effectus nequeat esse sine causa; non tamen de ratione vniuersalissima causę adęquatę est non esse sine effectu; sicut de ratione vniuersalissima effectus est supponere causam adęquatam sui. Patet hoc in causa libera, quę perfecte completa potest non operari; adeoq: non habet necessario consequentem effectum; quamuis etiam

tiam effectus liber neceſſario pręſupponat cauſam adęquatam ſui.

Huc fortaſſe reſpexit Philoſophus in definitione prioris quando dixit;ex duobus quę conuertuntur, &c. illud eſſe altero prius, quod ſine illo eſſe poteſt, quamuis illud eſſe nequeat ſine ipſo: ita videlicet vt ſenſus ſit, illud eſſe prius reſpectu alterius, ſine quo alterum eſſe nequit, quamuis ipſum ex genere ſuo ſine altero eſſe poſſit Nam actus primus ex genere actus primi, ſeu ex ratione pręciſa actus primi non neceſſario exit in actum ſecundum: vt patet ex actu primo effectus liberi, At actus ſecundus ſiue neceſſarius ſit, ſiue liber, neceſſario ſupponit actum primum, hoc eſt ſufficientiam adęquatam ſui.

DISPVTATIO VI.

De Motu.

QVÆSTIO I.

De quidditate & proprietatibus motus.

ARTICVLVS I,

Quid & quotus ſit motus.

EST *autem motus*, ait Ariſtoteles 3. Phyſic. cap. 2. *eius quod potentia exiſtit actus quatenus huiuſmodi.* Hęc definitio communiter ſic circũfertur. *Motus eſt actus entis in potentia*

prout

prout in potentia. Dicitur *actus*; quia de motum est in subiecto aliqua actualitas, & per motum formaliter subiectum extrahitur ab aliqua ratione purę potentię. Subiectum enim per motum fit ex mobili motum, hoc est ea eo quod potest moueri id quod actu mouetur. Dicitur *entis in potentia*: quia quamuis sit aliquis actus, non est tamen actus ita extrahens formaliter subiectum à ratione potentiæ, vt per illum formaliter subiectum habeat perfectionem illam seu rem illam, ad quam actualiter mouetur. Patet hoc in Socrate transeunte è domo sua ad Licęum; per motum illum localem, quo egreditur domo sua, & vlterius pergit, ex mobili fit motus, seu ex potente mouere se, actu moues se: non tamen per motum huiusmodi formaliter ex potente esse in Licæo fit in Licaeo existens; immo in fine motus cum in Licæo existet, mouei desinet & sedebit. Hinc patet cur addatur: *prout in potentia*.

Hæc particula *prout in potentia* aliter etiam explicari solet. Aiunt enim vnumquodque denominari esse in potentia ab illo motu quo moueri potest. v. g. alteratio est motus subiecti alterabilis, quatenus alterabilis est. Augmentatio motus augmentabilis. Generatio & corruptio, generabilis & corruptibilis; prout talia sunt. Eius vero quod fertur, idest, eius, quod mouetur localiter, latio, idest motus localis, vt dicit Philosophus suam definitionem explicans.

Hæc

Hæc definitio, quam rudiores obſcuritatis inſimulant vel mediocribus eſt clariſſima; nec enim arduum eſt intelligere cum aliquo actu, ſtare aliquam potentiam: nec quemlibet actum quamlibet potentiam implere. Accipiendus autem eſt motus pro ratione communi ad omnem mutationem, ſiue ſucceſſiuam, ſiue inſtantaneam. Succeſſiua dicitur per quam terminus ad quem eſt motus, acquiritur non totus ſimul, ſed per partes: inſtantanea vero per quam totus ſimul. Exemplum primæ ſit in mutatione aquæ ex frigida in calidam; ſecundæ in mutatione aeris ex tenebroſo in lucidum, prima mutatio dicitur a contrario in contrarium, fitque inter terminos poſitiuos, ſecunda à contradictorio in contradictorium: fitque à priuatione ad terminum poſitiuum.

Contemplare igitur ſubiectum aliquod; puta materiam primam in triplici ſtatu; primo ſecundum rationem puræ potentię ad aliquam formam, puta ad formam ignis. Secundo prout per actionem alterius ignis approximati diſponitur & mouetur ad ipſammet formam ignis. Tertio prout potientem ipſamet forma ignis. In primo ſtatu nondum mouetur, ſed eſt in potentia & da motum, & ad formam acquiſibilem per motum; in ſecundo ſtatu non eſt in pura potentia ad motum, ſed actu mouetur; in tertio potitur non ſolum motu, ſed forma ipſa: quam per motum acquirit.

Dixi non ſolum motu: nam in eodem inſtanti, immo in eodem ſigno naturæ eſt in

ſu-

subiecto & actio generatiua prout ab alteratiua distinguitur; forma quæ per actionem huiusmodi ponitur in natura; diximus enim actionem non esse priorem natura effectu. Verumtamen cum actio distinguatur à forma quæ per ipsam ponitur; subiectum non perficitur formaliter per actionem, tamquam per terminum; sed per formam ipsam, ad quam talis actio terminatur.

Dices. Simul cum motu instantaneo non est subiectum in potentia ad terminum motus; ergo etiamsi definitio Aristotelica quadret mutationibus successiuis, non tamen quadrat omnibus; & consequenter est definitio alicuius, non tamen omnis motus. Antec. probatur: quia simul cum motu instantaneo ponitur tota forma, adeoque ponitur terminus motus simul cum motu; ergo in sensu composito motus subiectum non manet in potentia. Explicatur hoc idem. Aer v.g. fiat ex tenebroso lucidus; non præcedit in aere motus illuminationis ad formam qua redditur luminosus; sed simul est in aere & motus illuminationis, & lumen ipsum, itaut illuminatio ipsa neque natura precedat lumen; sed sit ratio qua lumen ab illuminatione procedit. Idem dic de actione productiua formæ substantialis.

Resp. tenendum esse quod dictum est supra: videlicet, quod quamuis actio non præcedat nisi origine terminum: tamen potentia ad terminum non expletur in subiecto nisi per terminum ipsum. Igitur in eo-

eodem instanti, seu signo naturæ est in subiecto & actio & terminus actionis: sed per actionem formaliter expletur in ratione potentiæ mobilis per actionem: per terminum autem expletur ratio potentiæ perfectibilis per talem terminum. Ex hoc patet ad argumentum in forma. Distinguo antes, non est in potentia ratione motus formaliter; nega: ratione termini: concede. Et ostende subiectum formaliter perfici perfectione intenta, non per actionem, sed per terminum actionis. Hoc autem sufficit ad veritatem definitionis Aristotelicæ.

Instabis: Philosophus quinto Physic. textu 10. ait: *secundum substantiam autem non est motus: propterea quod nullum entium substantiæ contrarium est.* Idem docet eodem libro textu 55. sic; *quibus autem non sunt contraria, horum mutatio quidem est, motus autem non est.*

Resp. ergo non est mala definitio motus; etiamsi non conueniat mutationi secundum substantiam. Hæc enim non est motus. Resp. secundo alibi Philosophum inter genera motus enumerare eum qui est secundum substantiam. Alicubi igitur magis, alicubi minus stricte accipitur motus. Ex quo respondebis argumento,

Idem autem Philosophus, locis supra citatis, tria genera motus enumerat, videlicet: *secundum quantum, secundum quale, & secundum locum.* Hi tres motus successiui supr. Secundum restrictionem motus ad

tria prædicta genera, motus non comprehendit mutationem secundum substantiam. Albi autem, videlicet hoc eodem libro textu 4. dicit: *mutatur enim semper id quod mutatur aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum*. Hinc inuenies apud multos pro: *mutari* hanc aliam vocem, *moueri*; puta mouetur enim semper id quod mouetur, aut secundum substantiam, aut &c. secundum hanc acceptionem motus, mutatio secundum substantiam est motus.

Genera motus alibi etiam aliter enumerantur. Motus alius est ex non subiecto in subiectum, puta quando materia transit à priuatione ad formam, fit enim ex non subiecto formæ subiectum eiusdem. Alius ex subiecto in subiectum; vt cum ex subiecto vnius qualitatis fit subiectum alterius illi contrariç, puta cum ex calido fit frigidum. Alius ex subiecto in non subiectum, vt cum à forma transit ad priuationem eiusdẽ. Prima & vltima ex prędictis mutationibus est motus inter contradictoria media vero inter contraria.

Dices: quando Philosophus post definitionem motus à se tradictam exemplificat in generatione & corruptione, intelligendus est non de ipsa generatione, & corruptione formali, quę est instantanea: sed de generatione, & corruptione dispositiua quę est successiua ergo Philosophus sub motu à se definitio non cõprehendit motũ instantaneum.

Resp.

Resp. neg. antec. Nam Philosophus i diuidit generationem, & corruptionem ab alteratione, hoc est mutationem secundum substantiam à mutatione secundum quale, & consequenter generationem formalem ab alteratione. Generatio autem dispositiua, & alteratio sunt idem.

ARTICVLVS II.

De multiplici motuum oppositione.

Specificari motum à termino ad quem, communis est sententia. Ratio est, quia essentia motus est esse tendentiam in terminum: positionem, aut acquisitionem termini. Cum igitur totum esse motus sit propter terminum, aiunt differentia vnius ab alio desumendum à differentia termini à termino. Ita calefactio est motus specie diuersus à frigefactione: quia alter est ad frigus, alter ad calorem, qui sunt termini diuersi speciе.

Ex ijs, quæ dicta sunt in Logica, & vbiq; firmiter tenenda sunt: quicquid dissimilat entitatiue vnum ab alio, eo ipso diuersificat secundum speciem vnum ab alio. Igitur si præter diuersitatem termini est etiam alia diuersitas entitatiua inter motum A, & motum B, rigorose loquendo motus isti specie diuersi erunt; idem dic, si cum identitate, vel omnimoda similitudine in terminis, aut termino, erit aliquid in ipsomet motu

inferes impotentiam simultaneorum motuũ ad duplicem locum. Imo in ipsa impotentia essendi in duplici loco includitur impotentia pergendi ad duplicem locum, vt cõsideranti parebit.

Contra vltimam conclusionem fiunt aliquę difficultates petitæ ex motibus, sydeũ: Puta Sol motu raptus mouetur versus oriẽtem, motu autem proprio ab oriente in occidentem. Hoc ipsum ob oculos ponitur in experimento quotidiano, puta si sit Socrates in Triremi, quæ remis velisq: velocissimè feratur versus occidentem: ipse autem Socrates à prora ad puppim, adeoq: orientem versus motu progressiuo feratur. Hoc quotidie accidit. Pone deinde muscam supra humeros Socratis per varios giros deambulantem. In tali casu in Socrate est motus receptus in ipso & Triremi latiuus ipsius versus occidentem; & præterea in eodem est motus progressiuus, latiuus in oppositum, videlicet in orientem; in musca autem præter motum communem omnibus contentis in Triremi, & motum quem habet à Socrates est motus circumlationis circa cumeros deferentis. Datur igitur & in Socrates duplex, & in musca multiplex motus; & quidem tum ad opposita, tum ad diuersa: ergo idem subiectum potest moueri localiter, non solum diuersis, sed etiam oppositis motibus. Casum quem hic preposui varij variè proponunt.

Resp. admittendo casum, negando autem quod corpus moueatur pluribus motibus, nedum

nedum contrarijs. Vt autem difficultatem, quæ tota imaginationis est, ipsa imaginatione dissoluas: compara corpus quod mouetur cum aliquo puncto vel realiter, vel imaginarie immobili, Et inuenies numquam Socratem habere, aut acquirere, nisi vnam distantiam à tali puncto, nec, quomodocunq; moueatur, vmquam describere, nisi vnam lineam, per quam vel accedit vel recedit: comparatiue ad terminum, cum quo confertur.

Decipitur autem nonnullorum imaginatio; quia reipsa respectiue ad diuersa, quibuscum comparatur, sortitur corpus prędictum denominationem moti tum versus orientem: tum versus occidentem. Idque quia nullum ex his quibuscum confertur non habet & suum orientem, & suum occidentem; cum quodlibet corpus diuisibile diuidi possit in partes non tot quin plures versus quaslibet partes mundi. Rem explico in casu posito Triremis in qua est Socrates, est diuisibilis in quatuor partes quarum vna est versus Orientem, alia versus occidentem, &c. dum igitur Socrates accedit à prora ad puppim, v. g. respectu Triremis vergit in orientem. Si tamen compares Socratem ipsum cum scopulo quem reliquit, & raptum simul cum Triremi versus Occidentem: inuenies quod etiam accedens ad partem orientalem Triremis, recedit ab oriente simpliciter, & velocissimè fertur ad occidentem.

Aduerte autem, quod si maneret in prora

tanto plus distaret à scopulo quem reliquit, essetq; vicinior occidenti quanta est longitudo Triremis, adeoque conatus ille factus in Triremi versus orientem non effecit, vt non accederet simpliciter ad occidentem, sed vt tanto minus accederet. Hæc omnia bene vtenti imaginatione nedum intellectu, sunt clarissima. Quod præcipuè apparebit tenenti firmiter punctum prędictum, & describēti lineam, quam ab illo puncto facit Socrates: quam numquam inueniet, nisi vnam. Idem dic de syderibus, & quibuslibet corporibus cælestibus; quibus varij motus tribuuntur, qui non sunt varij simpliciter; sed respectiue ad diuersa. In quolibet autem vnus est motus localis, quamuis plures sint & ad diuersa impulsus, qui omnes simul non pluribus sed vni spatio mobile applicant. Alia circa motum localem dicentur in sequenti tractatu de loco.

Quarta conclusio. Nequit idem subiectum secundum quantum moueri simul duobus motibus contrarijs. Hæc conclusio sola sui explicatione probatur. Moueri simul duobus motibus contrarijs secundum quantum est simul augeri & simul decrescere: nequit idem subiectum augeri simul & decrescere; ergo &c. Minor est euidens. Si homini habenti decem nummos ex vna parte vnum detrahas & simul ex altera vnum addas, remanet cum decem nummis, adeoque nec augetur, nec decrescit in nummis. Idem habes in quantitate. Conclusio intelligenda est de augmento & decremento

to secundum eandem dimensionem. Constat enim homines aliquando simul augeri secundum latitudinem, & secundum longitudinem decrescere.

Quinta Conclusio. Quam oppositionem habent in eodem subiecto qualitates contrariæ, eandem habent motus ad ipsas. Circa contrarietatem qualitatum in eodem subiecto non est vna omnium sententia. Aliqui qualitates contrarias tam in gradu remisso quam in intenso incompossibiles esse existimat. Secundum hos numquam in eodem subiecto reperitur calor & frigus: puta tepor in aqua, vel aere non est mixtio caloris & frigoris, sed qualitas quædam simplex, sicut, v.g. Flauedo non est mixtio albedinis & nigredinis, sed qualitas simplex, quæ dicitur media, non per participationem vtriusque, sed per neutralitatem ab vtraque.

Alij ijque frequentiores inter quos Suarius, aiunt qualitates contrarias esse simul: non quidem in gradu intenso, sed in gradu remisso in eodem subiecto. In hac sententia tepor est admixtio calidi & frigidi. Nititur autem hæc sententia tum rationibus, quæ in tractatu de Elementis afferentur, tum auctoritate Philos. dicentis subiectum illud esse magis tale, quod minus habet de admixtione contrarij. Hæc secunda sententia supposita pro vera, proponitur contra conclusionem hic casus.

Detur subiectum spoliatum vtraq; qualitate intra eandem contrarietatem; calore

videlicet & frigora, ponatur inter duo agentia calidum vnum & alterum frigidum: puta inter ignem & niuem. In tali casu moueri poterit motu calefactionis & frigefactionis, ergo in tali casu idem subiectum mouebitur duobus motibus contrarijs: Probatur antecedens; quia non maiorem repugnantiam habent prędicti motus inter se, quam termini motuum; sed termini motuum, calor videlicet, & frigus saltem in gradu remisso, non habent incompossibilitatem; ergo neque motus prædicti.

Prima sententia dicet in tali casu subiectum motum iri motu tepefactionis, non autem frigefactionis simul & calefactionis. Duo videlicet agentia contraria producent qualitatem mediam inter vtramque: neutrum quicquam de sua. Hęc responsio patet impugnationi manifestæ. Nam si tepor est qualitas neutra, non autem participatio caloris simul & frigoris quomodo à calido simul, & frigido producetur sed de hoc alibi.

Secunda sententia si dicat moueri motu tepefactionis, dicit eo ipso moueri simul ad calorem & ad frigus: quandoquidem tepor nihil aliud est quam mixtura caloris, & frigoris. Casus est naturaliter impossibilis, supposito autem quod detur: licet vnicuique diuinare quid accideret. Sunt qui dicant neutrum ex prædictis agentibus acturum, quia sibi mutuo impedimento sunt ad agendum. Supponitur enim æqualis vtrin-

trinque virtus actiua. Quantum igitur caloris à calido produceretur in subiecto, tantum frigoris deberet ab eodem destrui, & vicissim quantum frigoris à frigido, tantumdem destrueretur caloris. Est enim natura agentis calidi vt tantumdem tollat de opposito, quantum ponit de suo. Idem dic vicissim de frigido. Hinc ille gradus caloris in eodem instanti in quo ponitur ab igne tolli deberet à niue. Implicat autem in eodem instanti poni, & tolli, quod est formaliter esse & non esse.

Alij dicunt in subiecto productum iri calorem à calido frigus à frigido. Quemadmodum enim simul esse possunt calor, & frigus, simul etiam possunt produci. Aiunt autem hanc legem inter contraria, vt videlicet tantum auferant de alieno, quantum afferunt de proprio esse, non vbi passum vtraque qualitate caret, sed vbi est, vt semper naturaliter est, cum mensura qualitatis debita intra contrarietatem. Tunc enim quantum introducitur de vna, tantum expellitur de opposita: quandoquidem vltra mensuram naturaliter possibilem, qua vulgo vocant, *Vt octo*, nullus qualitatis gradus admittitur in subiecto. Hæc responsio magis placet estq; mihi probabilissima. Admittere autem quod in prædicta hypothesi subiectum simul moueatur motibus contrariis modo explicato, non est admittere quicquam contra positam conclusionem.

Immò, vt obseruat Suarius, subiectum

tunc non erit dicendum neque calidum, neque frigidum; adeoque per huiusmodi motus, neque calefieri, neque frigefieri. Ratio est: quia ex doctrina Philosophi, & communi sensu mortalium, vnumquodque dicitur vel calidum, vel frigidum, secundum excessum, vel caloris supra frigiditatem, vel frigoris supra calorem: in tali autem casu neutra qualitas excedet, adeoque melius dices temperari subiectum secundum primas qualitates, quam aut calefieri, aut frigefieri, aut calefieri simul & frigefieri.

Ex hac eadem rationabilissima doctrina implicat simpliciter, & absolutè eandem rem calefieri simul, & frigefieri. Patet hoc: quia implicat quod subiectum simul habeat & plus frigoris, quam caloris, & plus caloris, quam frigoris. Sed de huiusmodi motibus vberius in libris de ortu, & interitu.

† †
†

DI-

DISPVTATIO VII.

De Loco, & Tempore.

QVÆSTIO I.

De quidditate, & propietatibus loci.

CONuenienter disputationi de motu succedit disputatio de loco: nullus enim motus euidentior est eo, qui est ad locum. Zeno inter veteres negauit motum localem; non quia non videret, sed quia stulte putabat se non videre; sicut faciunt ij, qui experimentis rem aliquam perspicuam habent, eandemque negant, quia de ea reddere nequeunt rationem.

Definit autem Philosophus locũ *Superciem primam corporis cõtinenti s immobilẽ.* Iuxta hanc definitionem locus vniuscuiusq; nostrum est immediata illa superficies, per quam continemur à corpore non vndique ambiente puta ab aere; quę tamen superficies nisi habeat immobilitatem quandam, locus non est. Duo igitur requirit Philosophus ad rationem loci. Primum est, vt sit aliqua superficies, inter quam & locatum nullum corpus intermedit. Secundum vt superficies sit immobilis. Circa hanc secundam partem innumeræ difficultates congeruntur à Ruuio: cum tamen bene intelle-

cta

tria prædicta genera, motus non compræhendit mutationem secundum substantiam. Alibi autem, videlicet hoc eodem libro textu 4. dicit: *mutatur enim semper id quod mutatur aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum*. Hinc inuenies apud multos pro: *mutari* hanc aliam vocem, *moueri*; puta mouetur enim semper id quod mouetur, aut secundum substantiam, aut &c. secundum hanc acceptionem motus, mutatio secundum substantiam est motus.

Genera motus alibi etiam aliter enumerantur. Motus alius est ex non subiecto in subiectum, puta quando materia transit à priuatione ad formam, fit enim ex non subiecto formæ subiectum eiusdem. Alius ex subiecto in subiectum; vt cum ex subiecto vnius qualitatis fit subiectum alterius illi contrarię, puta cum ex calido fit frigidum. Alius ex subiecto in non subiectum, vt cum à forma transit ad priuationem eiusdē. Prima & vltima ex prędictis mutationibus est motus inter contradictoria media vero inter contraria.

Dices: quando Philosophus post definitionem motus à se traditam exemplificat in generatione & corruptione, intelligendus est non de ipsa generatione, & corruptione formali, quę est instantanea: sed de generatione, & corruptione dispositiua quę est successiua ergo Philosophus sub motu à se definitio non cōprehendit motū instantaneum. Resp.

Resp. neg. antec. Nam Philosophus i diuidit generationem; & corruptionem ab alteratione, hoc est mutationem secundum substantiam à mutatione secundum quale, & consequenter generationem formalem ab alteratione. Generatio autem dispositiua, & alteratio sunt idem.

ARTICVLVS II.

De multiplici motuum oppositione.

SPecificari motum à termino ad quem, communis est sententia. Ratio est; quia essentia motus est esse tendentiam in terminum: positionem, aut acquisitionem termini. Cum igitur totum esse motus sit propter terminum, aiunt differentia vnius ab alio desumendum à differentia termini à termino. Ita calefactio est motus specie diuersus à frigefactione: quia alter est ad frigus, alter ad calorem, qui sunt termini diuersi speciе.

Ex ijs, quæ dicta sunt in Logica, & vbiq; firmiter tenenda sunt: quicquid dissimilat entitatiue vnum ab alio, eo ipso diuersificat secundum speciem vnum ab alio. Igitur si præter diuersitatem termini est etiam alia diuersitas entitatiua inter motum A, & motum B, rigorose loquendo motus isti specie diuersi erunt; idem dic, si cum identitate, vel omnimoda similitudine in terminis, aut termino, erit aliquid in ipsomet motu

per quod dissimiletur ab alio. Puta si homo & equus tendunt ad eundem terminum, cum motus equi sit esséntialiter affixus equo, motus vero hominis homini: duo isti motus, cum entitatiue dissimilentur, specie different. Quia tamen in motu nihil aliud attenditur quam esse propter terminum; ideo respicientes ad hoc solum prædicatum, dicemus cum alijs motum specificari à termino.

Hinc docet idem Philosophus passim, præcipuè vero 5. Physic. à textu 44. vsque ad 50. motuum contrarietatem à terminorum contrarietate desumi: vnde motus calefactionis, & frigefactionis non solum sunt diuersi specie, sed etiam contrarij; quia sunt ad terminos non solum diuersos, sed etiam contrarios.

Quæri solet hic, an idem subiectum diuersis motibus moueri queat, non successiue, quod est extra dubium, sed simultanee. Verum; si de motibus præcise diuersis sermo est, est etiam extra dubium idem subiectum simul habere diuersos motus. Socrates simul ambulat, nutritur, calefit, loquitur, &c. adeoque mouetur secundum locum, secundum quantum, secundum quale, &c. Dubium igitur est, an idem moueri queat motibus contrarijs. Hoc dubium multiplici conclusione per varia motuum genera euacuabitur.

Prima conclusio. Potest idem subiectum pro diuersis sui partibus moueri ad contraria. Hæc conclusio est euidens in Socrate

mo-

mouente manum dexteram versus orientem, & sinistram versus occidentem.

Secunda conclusio. Potest eadem res indiuisibilis diuisibile spatium occupans, intra spatium adæquatum moueri in partes oppositas. Hæc etiam conclusio est euidens. Dum enim dexteram moues ad orientem, & sinistram ad occidentem; anima quæ est res indiuisibilis, sed in spatio diuisibili, intra spatium à se occupatum mouetur, & versus orientem, & versus occidentem. Hæc conclusio supponit moueri animam ad motum corporis. Ratio vtriusque conclusionis est: quia tam res diuisibilis, quam indiuisibilis, diuisibile spatium occupans, potest esse simul in spatij partibus inter se oppositis. In quolibet enim spatio diuisibili facies diuisiones geometricas non tot quin plures, & in quaslibet partes oppositas.

Tertia conclusio. Nequit idem corpus naturaliter moueri secundum locum motibus contrarijs, aut diuersis, secundum idem. Probatur hæc conclusio, quia idem corpus nequit naturaliter esse in multis locis simul; ergo nequit simul moueri secundum idem ad diuersa, aut contraria spatia. Ant. prob. vbi de corporum replicatione, quam asserimus possibilem quidem diuinitus, naturaliter autem impossibilem. Dixi; *Secundum idem*: quia nec totum corpus potest simul esse in duplici spatio sibi adæquato, nec vlla pars eiusdem corporis. Ex impotentia autem essendi in duplici loco, rectè

inferes impotentiam simultaneorum motuũ ad duplicem locum. Imo in ipsa impotentia essendi in duplici loco includitur impotentia pergendi ad duplicem locum, vt cõsideranti parebit.

Contra vltimam conclusionem fiunt aliquę difficultate petitæ ex motibus, sydeṝũ: Puta Sol motu raptus mouetur versus oriẽtem, motu autem proprio ab oriente in occidentem. Hoc ipsum ob oculos ponitur in experimento quotidiano, puta si sit Socrates in Triremi, quæ remis velisq: velocissimè feratur versus occidentem: ipse autem Socrates à prora ad puppim, adeoq: orientem versus motu progressiuo feratur. Hoc quotidie accidit. Pone deinde muscam supra humeros Soctatis per varios giros deambulantem. In tali casu in Socrate est motus receptus in ipso & Triremi latiuus ipsius versus occidentem; & præterea in eodem est motus progressiuus, latiuus in oppositum, videlicet in orientem; in musca autem præter motum communem omnibus contentis in Triremi, & motum quem habet à Socrates est motus circumlationis cirsia cumeros deferentis. Datur igitur & in Socrates duplex, & in musca multiplex motus; & quidem tum ad opposita, tum ad diuersa: ergo idem subiectum potest moueri localiter, non solum diuersis, sed etiam oppositis motibus. Casum quem hic preposui varij variè proponunt.

Resp. admittendo casum, negando autem quod corpus moueatur pluribus motibus,

nedum

nedum contrarijs. Vt autem difficultatem, quæ tota imaginationis est, ipsa imaginatione dissoluas: compara corpus quod mouetur cum aliquo puncto vel realiter, vel imaginarie immobili, Et inuenies numquam Socratem habere, aut acquirere, nisi vnam distantiam à tali puncto, nec, quomodocunq; moueatur, vmquam describere, nisi vnam lineam, per quam vel accedit vel recedit: comparatiue ad terminum, cum quo confertur.

Decipitur autem nonnullorum imaginatio; quia reipsa respectiue ad diuersa, quibuscum comparatur, sortitur corpus prędictum denominationem moti tum versus orientem: tum versus occidentem. Idque quia nullum ex his quibuscum confertur non habet & suum orientem, & suum occidentem; cum quodlibet corpus diuisibile diuidi possit in partes non tot quin plures versus quaslibet partes mundi. Rem explico in casu posito Triremis in qua est Socrates, est diuisibilis in quatuor partes quarum vna est versus Orientem, alia versus occidentem, &c. dum igitur Socrates accedit à prora ad puppim, v. g. respectu Triremis vergit in orientem. Si tamen con. pares Socratem ipsum cum scopulo quem reliquit, & raptum simul cum Triremi versus Occidentem: innenies quod etiam accedens ad partem orientalem Triremis, recedit ab oriente simpliciter, & velocissimè fertur ad occidentem.

Aduerte autem, quod si maneret in prora

tanto plus distaret à scopulo quem reliquit, essetq; vicinior occidenti quanta est longitudo Triremis, adeoque conatus ille factus in Triremi versus orientem non effecit, vt non accederet simpliciter ad occidentem, sed vt tanto minus accederet. Hæc omnia bene vtenti imaginatione nedum intellectu, sunt clarissima. Quod præcipuè apparebit tenenti firmiter punctum prędictum, & describẽti lineam, quam ab illo puncto facit Socrates: quam numquam inueniet, nisi vnam. Idem dic de syderibus, & quibuslibet corporibus cælestibus; quibus varij motus tribuuntur, qui non sunt varij simpliciter; sed respectiue ad diuersa. In quolibet autem vnus est motus localis, quamuis plures sint & ad diuersa impulsus, qui omnes simul non pluribus sed vni spatio mobile applicant. Alia circa motum localem dicentur in sequenti tractatu de loco.

Quarta conclusio. Nequit idem subiectum secundum quantum moueri simul duobus motibus contrarijs. Hæc conclusio sola sui explicatione probatur. Moueri simul duobus motibus contrarijs secundum quantum est simul augeri & simul decrescere: nequit idem subiectum augeri simul & decrescere; ergo &c. Minor est euidens. Si homini habenti decem nummos ex vna parte vnum detrahas & simul ex altera vnum addas, remanet cum decem nummis, adeoque nec augetur, nec decrescit in nummis. Idem habes in quantitate. Conclusio intelligenda est de augmento & decremento

to secundum eandem dimensionem. Constat enim homines aliquando simul augeri secundum latitudinem, & secundum longitudinem decrescere.

Quinta Conclusio. Quam oppositionem habent in eodem subiecto qualitates contrariæ, eandem habent motus ad ipsas. Circa contrarietatem qualitatum in eodem subiecto non est vna omnium sententia. Aliqui qualitates contrarias tam in gradu remisso quam in intenso incompossibiles esse existimat. Secundum hos numquam in eodem subiecto reperitur calor & frigus: puta tepor in aqua, vel aere non est mixtio caloris & frigoris, sed qualitas quædam simplex, sicut, v.g. Flauedo non est mixtio albedinis & nigredinis, sed qualitas simplex, quæ dicitur media, non per participationem vtriusque, sed per neutralitatem ab vtraque.

Alij ijque frequentiores inter quos Suarius, aiunt qualitates contrarias esse simul: non quidem in gradu intenso, sed in gradu remisso in eodem subiecto. In hac sententia tepor est admixtio calidi & frigidi. Nititur autem hæc sententia tum rationibus, quæ in tractatu de Elementis afferentur, tum auctoritate Philos. dicentis subiectum illud esse magis tale, quod minus habet de admixtione contrarij. Hæc secunda sententia supposita pro vera, proponitur contra conclusionem hic casus.

Detur subiectum spoliatum vtraq; qualitate intra eandem contrarietatem; calore

 vide-

videlicet & frigora, ponatur inter duo agentia calidum vnum & alterum frigidum: puta inter ignem & niuem. In tali casu moueri poterit motu calefactionis & frigefactionis; ergo in tali casu idem subiectum mouebitur duobus motibus contrarijs. Probatur antecedens; quia non maiorem repugnantiam habent prędicti motus inter se, quam termini motuum; sed termini motuum, calor videlicet, & frigus saltem in gradu remisso, non habent incompossibilitatem; ergo neque motus prædicti.

Prima sententia dicet in tali casu subiectum motum iri motu tepefactionis, non autem frigefactionis simul & calefactionis. Duo videlicet agentia contraria producent qualitatem mediam inter vtramque: neutrum quicquam de sua. Hęc responsio patet impugnationi manifestæ. Nam si tepor est qualitas neutra, non autem participatio caloris simul & frigoris quomodo à calido simul, & frigido producetur sed de hoc alibi.

Secunda sententia si dicat moueri motu tepefactionis, dicit eo ipso moueri simul ad calorem & ad frigus: quandoquidem tepor nihil aliud est quam mixtura caloris, & frigoris. Casus est naturaliter impossibilis, supposito autem quod detur: licet vnicuique diuinare quid accideret. Sunt qui dicant neutrum ex prædictis agentibus acturum, quia sibi mutuo impedimento sunt ad agendum. Supponitur enim æqualis vtrin-

trinque virtus actiua. Quantum igitur caloris à calido produceretur in subiecto, tantum frigoris deberet ab eodem destrui, & vicissim quantum frigoris à frigido, tantumdem destrueretur caloris. Est enim natura agentis calidi vt tantumdem tollat de opposito, quantum ponit de suo. Idem dic vicissim de frigido. Hinc ille gradus caloris in eodem instanti in quo ponitur ab igne tolli deberet à niue. Implicat autem in eodem instanti poni, & tolli, quod est formaliter esse & non esse.

Alij dicunt in subiecto productum iri calorem à calido frigus à frigido. Quemadmodum enim simul esse possunt calor, & frigus, simul etiam possunt produci. Aiunt autem hanc legem inter contraria, vt videlicet tantum auferant de alieno, quantum afferunt de proprio esse, non vbi passum vtraque qualitate caret; sed vbi est, vt semper naturaliter est, cum mensura qualitatis debita intra contrarietatem. Tunc enim quantum introducitur de vna, tantum expellitur de opposita: quandoquidem vltra mensuram naturaliter possibilem, qua vulgo vocant, *Vt octo*, nullus qualitatis gradus admittitur in subiecto. Hæc responsio magis placet estq; mihi probabilissima. Admittere autem quod in prædicta hypothesi subiectum simul moueatur motibus contrariis modo explicato, non est admittere quicquam contra positam conclusionem.

Immò, vt obseruat Suarius, subiectum

tunc non erit dicendum neque calidum, neque frigidum; adeoque per huiusmodi motus, neque calefieri, neque frigefieri. Ratio est: quia ex doctrina Philosophi, & communi sensu mortalium, vnumquodque dicitur vel calidum, vel frigidum, secundum excessum, vel caloris supra frigiditatem, vel frigoris supra calorem: in tali autem casu neutra qualitas excedet, adeoque melius dices temperari subiectum secundum primas qualitates, quam aut calefieri, aut frigefieri, aut calefieri simul & frigefieri.

Ex hac eadem rationabilissima doctrina implicat simpliciter, & absolutè eandem rem calefieri simul, & frigefieri. Patet hoc: quia implicat quod subiectum simul habeat & plus frigoris, quam caloris, & plus caloris, quam frigoris. Sed de huiusmodi motibus vberius in libris de ortu, & interitu.

† †
†

DI-

DISPVTATIO VII.

De Loco, & Tempore.

QVÆSTIO I.

De quidditate, & propietatibus loci.

CONuenienter disputationi de motu succedit disputatio de loco: nullus enim motus euidentior est eo, qui est ad locum. Zeno inter veteres negauit motum localem; non quia non videret, sed quia stulte putabat se non videre; sicut faciunt ij, qui experimentis rem aliquam perspicuam habent, eandemque negant, quia de ea reddere nequeunt rationem.

Definit autem Philosophus locũ *Superciem primam corporis cõtinenti s immobilẽ.* Iuxta hanc definitionem locus vniuscuiusq; nostrum est immediata illa superficies, per quam continemur à corpore non vndique ambiente puta ab aere; quę tamen superficies nisi habeat immobilitatem quandam, locus non est. Duo igitur requirit Philosophus ad rationem loci. Primum est, vt sit aliqua superficies, inter quam & locatum nullum corpus intermedit. Secundum vt superficies sit immobilis. Circa hanc secundam partem innumeræ difficultates congeruntur à Ruuio: cum tamen bene intelle-

 cta

cta Pilosophi definitio nihil habeat aduersum se vllius momenti.

Quoad primam partem; nimirum quoad rationem primæ superficiei corporis continentis, dicit Philosophus vas, in quo est aqua, conuenire cum loco: itaut si ad rationem loci sufficeret esse primam superficiem corporis continentis, vas in quo est aqua, recte diceretur locus aquæ contentæ: sed quia vas non habet immobilitatem; circumfertur enim cum aqua, ideò vas, in quo est aqua, dicit nequit locus aquæ. Est enim manifestum aquam in eodem vase manentem locum mutare, adeoque si vas locus esset, acqua in eodem loco existens locum mutaret. Hæc omnia lucidissima sunt; cum tamē adeò male sentiant aliqui de Philosopho, vt putent illum requirere immobilitatem illius superficiei materialiter consideratæ, quę vndique circumfunditur rei locatæ.

Videtur enim res esse in eodem loco, etiā si moueatur superficies corporis eam ambientis: sicut visum est eam mutare locum, etiam si superficies sit eadem. V. g. columna Traiana est hodie in eodem loco in quo erat heri & nudiustertius; quamuis circa eam centies mota sit superficis corporis ambientis, perpetua videlicet aeris abeuntis, & succedentis variatione: in eodem etiam loco mansura, si pro aere succederet aqua.

Dicendum est igitur, quod quando Philosophus definitio cum primam superficiē corporis continentis immobilem: aliquid re-

requirit determinatè, aliquid indeterminatè. Indeterminat requiritur superficies aliqua corporis quæcumque & cuiuscumque illa sit: determinate autem hæc distantia à punctis, vel realiter, vel imaginarie fixis. Si igitur circa columnam idem immotus aer remaneat, & cum huiusmodi aere alio transferetur, mutabit locum, non mutatura, si, aere centies variato, eandem retineat distantiam ab illis punctis, quę immota vel tenebris, vel imaginaberis.

Hoc fere pacto dicis eundem esse fluuiu, qui nunc Romam aluit, ac qui Romam alluebat tempore Ciceronis, Eundem esse hodie, qui fuit heri: hic enim fluuius determinate dicit hunc alueum, & hanc scaturiginē, indeterminatē autem aliquam aquam ex hac scaturigine per hunc alueum influentē, quę quamuis numquam sit in eadē parte aluei, cum continuò fluat, non propterea nō est idem fluuius. Ad mutationem superficiei potest dici, quod mutetur locus materialiter. Ad mutationem distantiæ, quod mutetur formaliter. Prima mutatio non dicitur mutatio loci simpliciter: secus secunda.

Sunt autem loci proprietates quędā enumeratæ ab eodem Philos. 4. Physic. textu 29. & sequentibus. Prima est: quod locus nō est quid rei locatę, seu non est pars aliqua rei, quæ est in loco, Hinc apparet falsitas opinionis, quæ imputatur Platoni, quod videlicet locus sit materia, vel forma rei locatæ. Certū est enim rē eandem tam secundū materiā, quā secundū formam variari se-

cun-

cundũ locũ. Hinc apparet secunda proprietas, videlicet separabilitas loci à re locata.

Tertia proprietas est locum nec minoré esse nec maiorem locato. Non minorem, quia locatum continetur à loco, maius autem non continetur in minori; non maiorem, quia ad rationem loci non requiritur vllus excessus supra locatum; sed secundum id dicitur locus, secundum quod immediate applicatur locato. Hoc fere modo dicitur cuticula non esse maior nec minor reliquo corpore sub ipsa contẽto, quia instatur, & perfecte adaptatur corpori cuius est cuticula.

Quarta proprietas est, quod habeat sursũ & deorsũ, cui etiam si addere velis, quod habeat ad latera, nihil aliud dices, nisi locum corporũ, quæ omnia supponũtur diuisibilia, ipso etiam esse vndecumq; diuisibilem.

Præterea locus alius est proprius, alius communis. Proprius rem locatã vnicè cõtinet communis præter hanc, alias. Primum habes in superficie te immediate circumplectente, secundum in toto spatio huius scholæ. Ex his intelliges agere nos de loco rerum corporaliũ. Quomodo autem incorporalia sint in loco, non est physicæ contẽplationis. Certum est ea non circumscribi à superficie corporis ambientis, & in hoc fortasse sensu dixit Boetius, esse sapientibus euidens, quod incorporea non sunt in loco. Circumscribi autem à superficie corpori ambientis, est partes rei contentæ instari, siue aptari intimæ superficiei rei conti-

ti-

tinentis. Hoc igitur loci manere potest incorporeis, vt sint in hac, vel illa distantia, vel propinquitate cum punctis prædictis.

Obijcitur 1. Si datur locus est in loco; ergo datur locus loci; rursus si est locus loci hic etiam est in loco, & sic in infinitum. Antec. probatur: quia omne quod est, in loco est: ergo si locus est, in loco est. Quod autem in infinitum abeatur manifestum est quia quilibet locus cuiuslibet loci, erit in loco ex hoc ipso quod erit. Confirmatur, quia locus est in alio; ergo in loco. Ita argumentatur Zeno contra Philosophum.

Respondet Philosophus negando antecedens. Ad probationem negat antec. Ad confirmationē: Non omne quod est in alio in eo est sicut in loco. Pars est in toto, accidens in subiecto, neutrum in vtrolibet, vt in loco. Locum esse in locato minus capiunt homines vulgi, quam locatum esse in loco Vtrumq. capit Philosophus. Si nomine loci intelligas rationē illā qua cōstitueris hic vel ibi: locus est in te; diceturq; à nobis locus intrinsecus, & est illa vbicatio, de qua tam multa, & tam mira dicuntur. Si nomine loci intelligas corpus ambiens; locus nō est in locato, sed locatum in loco: corpus autē ipsum quod locus est, est etiā in loco, quia ab alio corpore ambitur. Sed hic nō proceditur in infinitum, deueniendo videlicet ad vltimam Mundi sphæram, quæ an sit in loco, vel non, dicetur infrà Cæterum tu es in hac schola. Hæc schola est in Collegio Romano. Collegium in Vrbe: Vrbs in Italia.

Ita-

Italia in Europa. Europa in Mundo. Vbi sit mundus diuina si potes.

Obij. 2 Etiam si fingas totum Vniuersum diuelli & alio transferri adhuc columna Traiana non esset in eodem loco, & simul esset in eodem loco; si standum est explicationi adductæ; ergo explicatio prædicta nihil valet. Antecedes probatur: quia si Vniuersum alio tranferatur adhuc culumna Traiana retinet eandem proportionem pioqinquitatis, & distantiæ, quam habebat cum alijs corporibus; ergo adhuc est in eodem loco. Rursus si conferas illam cum punctis fixis, quæ imaginatus es, non habet amplius eandem proportionem cum illis; ergo non est amplius in eodem loco; ergo simul est, & non est in eodem loco.

Resp. negando antec. & dico tunc columnam Traianam non fore in eodem loco, vt patet ex dictis etiam in obiectione. Hoc intelligi si imagineris immota columna Traiana totum circa orbem in immensum extendi, & vltra spatia, quibus concluditur vndique dilatari. si cũ tota huiusmodi dilatatione, fixa tenes puncta, quæ imaginatus es, hæc remanet abeuntibus corporibus, cum quibus illa compenetrasti. Columna autem Traiana retinens cum illis eandem proportionem quam habebat antea, est in eodem loco, quamuis proportionem mutet cum corporibus ab euntibus. sicut essem In eodem loco, etiamsi parietes isti vltra Theologiam, & Metaphysicam recederent.

Obij. 3. sequitur quod socrates non possit

fit moueri localiter, nisi acquirat nouam distantiam à prædictis punctis; consequens est absurdum; ergo & antecedens, sequela maioris probatur: quia moueri localiter est mutari secundum locum: locus formaliter consistit in proportione prædicta, seu in illa ratione, per quam Petrus est in tali distantia à punctis prædictis: consequenter est mutari secundum distantiam. Minor autem probatur hoc experimento. Sit Triremis longa quinquaginta passibus, attingens scopulum puppi. Sit in prora Socrates. Recedat puppis, seu Triremis per viam rectam à scupulo, & dum recedit Triremis, feratur Socrates à prora ad puppim eadem celeritate, qua Triremis recedit à scopulo. Hic casus est facilis. In tali casu Socrates motus est localiter per quinquaginta passus; & tamen fuit semper in eodem loco: ergo potest quis moueri localiter, & non mutare locum. Quod motus sit localiter, probant quinquaginta passus, quibus totam Triremim excucurrit; quod non mutauerit locum patet ex dictis, quia in illo instanti, in quo absoluit quinquagesimum passum est in eadem distantia à scopulo, in qua erat priusquam tam ipse, quam Triremis mouerentur quam distantiam semper seruasse manifestum est consideranti Hyppothesim.

Resp. quod quicquid mouetur localiter mutatur secundum distantiam, & quicquid non mutatur secundum distantiam, non mouetur localiter. Ad argumentum in forma: concessa maiori. Nega minorem. Ad

ca-

casum propositum dic Socratem non moueri localiter. Vt hoc non modo intelligas; sed videas, pone arguentem sub arcu Pontis Miluij tanto conatu natantem aduersus fluuium, quantò impetu fluuius fertur deorsum; si per totam æternitatem huiusmodi nisu conetur contra fluuium ire, defatigabitur quidem, sed non mutabit locum, nec localiter mouebitur; quamuis noua semper, & noua aqua illi subterfluat. Quemadmodum huic manibus, pedibusque nitenti contra ictum fluij, manenti tamen in eodem loco vnda subterfluit: sic Socrati solis pedibus nitenti aduersus Triremim, sa Triremis. Qui hoc facile capit in flumine, non autem in Triremi, impu et imbecillitati sue, non doctrinæ Aristotelicæ.

Quæres an totus Mundus sit in loco? Resp. Mundum non esse in loco physico: seu in loco extrinseco reali. Patet hæc responsio ex dictis: nullius enim corporis superficies Mundum vniuersum circumscribit. Potest tamen dici quod mundus sit in loco metaphysico, vel imaginario; quatenus licet vnicuiq; etiam extra mundum intelligere vel imaginari puncta quibuscum conferat Mundum vniuersum in ratione propinqui vel distantis. Hinc aliqui dicunt Mundum esse in spatio imaginario: quia circa mundum imaginantur spatia quædam ipsum cōtinentia, quæ realiter replerentur è Mundo si hic, follis instar, inflari posset, & vndecunque intumescere. In huiusmodi spatijs sunt omnia machinamenta Mathemati-

ticorum, puta pes Archimedis Mundum impellens, vel quidlibet aliud eundem librans.

QVÆSTIO II.

De penetratione corporum.

ANtiquiores quibuscum disputauit de loco Philosophus; dixerunt locum esse corpus quoddam longe lateque diffusum: hanc opinionem refellit Philosophus, quia, inquit, sequeretur corpora simul penetrari. Hoc argumentum Philosophi mõstrat opinionem veterum quibuscum agit esse quod locus penetratiue sit cum locato, quod de loco intrinseco dicetur infra. Est igitur apud Philosophum impossibilis penetratio corporum, hoc est simultas plurium corporum in eodem indiuisibiliter loco: sicut v. g. anima & corpus eundem omnino locum tenent.

Dicendum primo non repugnat simpliciter & absolute plura corpora esse simul in eodem loco.

Hæc conclusio admittitur vt certa ab ijs qui credunt Euangelio. Nam Christus Dominus ingressus est ad Apostolos ianuis clausis: hunc ingressum factum fuisse per penetrationem corporis Christi cum alijs corporibus; puta vel cum pariete, vel cum ianua ipsa, est certum. Ridiculum est enim quod aliqui dixerunt, Christum Dominum ita attenuasse suum corpus, vt instar

ra.

radiorum solarium per tenuissimas rimas illud insinuaret & in debitam figuram intra cubiculum illud restitueret. Hoc inquã est ridiculum, tum quia est contra sensum communem Patrum; tum quia hoc est æque miraculosum ac ipsamet penetratio, adeoque negare penetrationem & hoc admittere est ineptire. Etiam cum lapide superposito penetrauit se Christus Dominus resurgendo & duplici miraculo custodes sepulchri perterrefecit.

Dicendum secundo. Repugnat naturaliter penetratio corporum. Hanc conclusionem admittunt Peripatetici omnes. Probatur autem experientia qua constat nullũ corpus implere locũ alterius, nisi illo depulso. Quod autem semper ita fit, necessario ita fit. In hac necessitate fundatur ludus pilæ, mallei, trudiculi & alia huiusmodi infinita si enim & pila & malleus esse possẽt in eodem loco, non est cur hic illam trudat.

Probare hanc conclusionem per rationes à priori petitas vel ex fine naturæ, vel ex quocunq; alio capite, est velle rationibus rem clarissimam obscurare. Certum est enim euidentius esse penetrationem non dari, quam non dari propter hunc vel quẽlibet alium, qui assignaretur, finem. Adde quod etiam latere potest finis propter quẽ aliquid detur, quod tamen euidens sit dari

Sunt tamen contra conclusionem positã experimenta duo. Primum; sit cyathus plenus aqua; in eo sic pleno, modeste ponantur

tur multi nummi aurei. Experientia constat aquam non effluere, sed etiam cum illis nummis æque contineri ac sine illis: ergo cyathus aqua plenus simul continet nũmos: ergo nummi & aqua simul penetrantur. Sunt enim in eodem loco.

Resp. aquam ad infusionem nummorum quantumlibet modeste hæc fiat, sursum attolli. Adeoque nega in eodem loco esse aquam & nummos. Quod si labrum cyathi madefiat, aqua non modo attollitur, sed effluit, quod non accideret si penetraretur cũ nummis.

Secundum est in eodem cyatho: cyathus inquiunt, cineribus plenus tantumdem capit quantum vacuus: ergo cineres & aqua compenetrantur in cyatho. Antecedens probatur, implendo cyathum cineribus & eandem illi aquam refundendo, qua plenus erat prius quam cineres exciperet.

Hoc etiam experimentum est fallax. Ad argumantum; nega antec. Ad probationem dic falsum esse quod tantumdem aquæ capiat, &c. Sciendum est autem cineres immixtos esse corpusculis igneis & valde porosos: hinc fit quod aqua infusa & poros repleat & multos spiritus seu corpuscula ignea sursum expellat. Præterea ipsa aqua dum infunditur secundum bonam sui partem abit in vapores ope corporum quibus immiscetur. Cineres igitur ad infusionem aquæ comprimuntur; corpuscula immixta cineribus sursum abeunt, & præterea pars aquæ; consequenter minus est aquæ quam

quæ

quæ prius implebat, & minus alterius corporis cum quo aqua miſcetur.

QVÆSTIO III.

De replicatione.

ARTICVLVS I.

An idem corpus ſit in pluribus locis.

Corpora dupliciter exiſtunt in loco: definitiue videlicet, & circumſcriptiue. Definitiue exiſtit Corpus Chriſti Domini in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ: hoc eſt totum in toto ſpatio, & totum in qualibet parte ſpatij. Hic modus exiſtendi non eſt naturalis corporibus. Circumſcriptiue exiſtunt in loco reliqua corpora; hoc eſt ita vt totum corpus correſpondeat toti ſpatio occupato, & ſingulæ partes corporis ſingulis partibus ſpatij continentis. Puta; Calias totus correſpondet toti ſpatio ipſum continenti, & huius ſpatij aliam partem implet caput aliam humeri, & ſic de cæteris.

Dicendum eſt primò. Nequit naturaliter idem corpus eſſe ſimul in pluribus locis. Concluſionem intellige tam contra replicationem ſecundum vbi definitiuum, quem ſecundum vbi circumſcriptiuum. Et primò quod in pluribus locis nequeat eſſe definitiue, patet: quia nequit vel in vnico; eſt enim contra rationem corporis, puta con-

contra rationem hominis, vt vbi est caput, ibi sint pedes, & totus homo que sit in qualibet parte spatij occupati, ac in toto spatio. Hoc enim haberi nequit sine partium compenetratione. Nisi de fide esset ita de facto existere Corpus Christi Domini, multis ijsque insignibus Philosophis videretur impossibile, vt constabit ex sequentibus.

Quod autem neq; circumscriptiue possit esse corpus in pluribus locis, probatur, sicut probatum est non posse plura esse in eodem loco. Quemadmodum enim patet ad oculum quod accedente Socrate in locũ Calliæ, necesse est Calliam recedere; ita etiam patet Calliam non porgere ad locum Socratis nisi priori loco relicto. Rationem altissimam aiunt esse petendam ex differentia inter Deum & creaturam. Infinita Dei perfectio exigit vt Deus vbique sit: limitatio creaturæ, vt vna in vno, altera in altero, nulla in multis. Hæc ratio valeat quantum potest.

Dicendum secundo. Potest idem corpus de potentia absoluta esse in pluribus locis definitiue. Hæc conclusio est certa. Corpus Christi Domini est Romæ & Florentiæ & vbicunque sunt Hostiæ consecratæ totum in toto, & totum in qualibet parte.

Dicendum est tertio. Potest idem corpus de potentia absoluta esse in pluribus locis, itaut in vno sit circumscriptiue, in alijs definitiue. Hæc etiam conclusio est certa. corpus Christi Domini in Cælo est circum-

scriptiue, & cum extensione quam naturaliter exigunt corpora quoad locum; & simul est in hostijs innumerabilibus definitiue modo supra explicato. Duas hasce conclusione defendunt Theologi contra hæreticos, adeoq; illas hic supponemus pro certis, vt ad alia, quæ magis nostra sunt, procedamus.

Dicendum est quarto. Idem corpus potest de potentia absoluta simul esse in pluribus locis circumscriptiue.

Hæc conclusio non paucos habet aduersarios, inter quos vide P. Maurum. Probatur tamen: quia corpus esse simul in pluribus locis, puta Petrum esse Romæ simul & Florentiæ non repugnat. Non enim dicit esse Romæ & non esse Romæ, esse Florentiæ & non esse Florentiæ, aut quidlibet aliud huiusmodi, vt patebit ex solutione argumentorum. Hoc argumentum vbi agitur de possibili est vnicum; & qui putant se aliud inuenire decipiuntur verbis idem omnino significantibus, quamuis diuersis: puta qui dicunt, hæc perfectio admittit vnionem seu identitatem cum hac alia; ergo potest dari entitas huius & illius perfectionis. Nihil aliud dicunt nisi: inter hoc & illud prædicatum non datur repugnantia. Idem dices si dicas: hoc prædicatum nec formaliter nec consequenter excludit à se hoc aliud: & alia huiusmodi quibus aliqui videtur sibi dissimilia loqui; quia loquuntur dissimiliter. Sensus autem argumenti est: *Non apparet repugnãtia &c. g. nõ appares cur dicatur*

catur impossibile: cũ impossibile recte definiatur: *Id quod ex repugnantibus constat.*

Probatur præterea Conclusio ex sensu communi Patrum, apud quos corporum replicationes habentur pro historijs. De S. Franc. Xau. de S. Ant. Lusitano, recentiores historiæ: de Christo domino antiquiores aiunt fuisse simul in duplici loco; puta vbi narratur in actis apparuisse Saulo: *Saule, Saule, quid me persequeris?*

Hæc tamen omnia Aduersarij expediunt per Angelos sibi fingentes corpora aerea, vel alia ratione mortalibus apparentes. De Christo non inuenies qui dicant vel non apparuisse Saulo, vel localiter descendisse ad infimum Cælum, vel ita Cælos omnes aperuisse, vt etiam è loco vbi est ad dexteram Patris sedens, eidem videretur, quæ omnia vt falsa putamus, sic alijs refellenda relinquimus.

Confirmatur tamen nostra Conclusio argumento à fortiori. Potest idem corpus esse in pluribus locis definitiue: & in pluribus locis ita vt in vno sit circumscriptiue, & in alijs definitiuè; g. potest simul esse in pluribus locis circumscriptiue. Conseq. est efficax. Nam in hoc quod est esse in pluribus locis definitiue, reperitur hoc miraculum quod est esse in pluribus locis; & præterea hoc aliud, quod est esse definitiue: & consequenter aliquid mirabilius quam esse in pluribus circumpscriptiue.

Dixi conseq. esse efficacem: non quod difficile sit inuenire disparitates inter vnum

& alterum: quæ quamuis pure materialiter se habentes ad rem, possunt tamen aliter opinantibus videri sufficientes. Adeoque standum est primo argumento de non repugnantia. Aduerte autem obiter nos ab vno quod putamus maius, arguere ad aliud, quod putamus minus, agentes de potentia quæ est ad omnia. Non enim valet: hæc causa potest plus: g. potest & minus. Puta non valet: Elephas potest gignere alium Elephantem: g. potest & gignere muscam: quamuis elephas sit plusquam musca. Ratio est quia sit transitus de genere in genus; potest autem causa perfectior continere perfectionem sui generis, & virtutem actiuam in tali genere, quin contineat virtutem actiua in genere inferiori: sicut contingit quod excellentissimus Pictor nequeat suere crepidam. In casu autem nostro ex parte causę non est possibile fieri transitum de genere in genus, quia sermo est de causa intendente & extendente suã virtutem ad omnia.

Confirmatur 2. à paritate penetrationis. Possunt plura corpora esse simul in eodem loco; g. potest idem corpus esse simul in pluribus locis. Hoc argumentũ exterminat rationem cui innituntur aliqui ex Aduersarijs; vt in responsione ad argumẽta patebit.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijc. 1. Si idem corpus esset in duplici loco circumscriptiue, in neutro esset circũscriptiue: consequens repugnat, g. & antecedens. Minor est euidens: sequela maiori probatur: quia esse circumscriptiue in loco *A* est ita commensurari à loco *A*, vt à nullo alio commensuretur: g. si simul commensuretur à loco *B*, non est circumscriptiue in loco *A*. Idem dic de loco *B* respectu loci *A*. Explicatur hoc idem. Esse in loco *A* circumscriptiue vt in loco adæquato, est ita esse in loco *A* vt nihil ipsius sit extra locum *A*: sed eo ipso quod est in loco *B*, falsum est quod nihil ipsius sit extra locum *A*: g. eo ipso quod est in loco *B*, non est in loco *A* circumscriptiue, vt in loco adęquato.

Resp. neg. sequela maioris. Ad cuius probationem: nego antec. Esse in loco *A* circumscriptiuę non est ita circumscribi à loco *A*, vt à nullo alio circumscribatur; sed est ita in ipso vt locus *A* correspondeat toti corpori locato, & singulæ partes loci singulis partibus locati. Hoc autem non dicit locatum non esse in alio loco: sed solum nullam partem corporis locati non esse intra locum circumfusum toti locato. Ad explicationem: nega mai. Esse in loco *A* vt in spatio adæquato, non est ita esse in

illo, vt nihil ipsius sit extra illud: sed est ita esse in illo, vt nihil ipsius non sit intra illud. Hoc autem habes etiamsi corpus alibi collocetur. Aliud enim est rem non esse in *B*, aliud esse in *A*, vt patet ex terminis.

Obij. 2. Si datur replicatio pars est æqualis toti; consequens est contra primum principium; g. & antec. Minor probatur; quia omne totum est maius sua parte, & consequenter nulla pars æquatur toti. Sequela maioris probatur per hoc aliud principium: quæ sunt æqualia vni tertio sunt æqualia inter se. Hoc posito sic arguens. Lignum palmare est æquale spatio palmari, & e conuerso: replicetur hoc lignum, & erit æquale spatio bipalmari, & è conuerso æquale ipsi spatium bipalmare; g. & spatium palmare & spatium bipalmare sunt æqualia ligno palmari: quæ sunt æqualia vni tertio sunt æqualia inter se; g. spatium palmare & spatium bipalmare sunt æqualia inter se; spatium palmare est pars & medietas bipalmaris; ergo pars & medietas est æqualis toti; quod erat demonstrandum.

Resp. neg seq. mai. Ad probationem; admissa hypothesi, distingue min. subsumptã: quę sunt æqualia vni tertio eodem modo accepto sunt æqualia inter se: concedo min. quæ sunt, *&c.* vni tertio diuerso modo accepto, sunt, *&c.* neg. min. & conseq. Lignum palmare vt impleat simul duo spatia palmaria, siue vnicum bipalmare, ponitur replicatum: secus dum implet vnicum: adeoque diuersimode accipitur dum æquat duo, quã-

dum

dum vnicum. Quod dico de duobus dic de mille.

Obijcies 3. Idem moueri posset duobus motibus contrarijs; consequens est falsum; g. & antec. Sequela probatur. Ponatur Socrates Romæ simul & Florentiæ; hoc posito, posset Romæ moueri versus Florentiam, & Florentiæ versus Romam. Immo si & Roma Florentiam, & Florentia pergeret Romam, æquis vtrinque passibus: in medio itinere ipse sibi occurreret. Quid autem contingeret in tali casu; Item posset Romæ calefieri & Florentiæ frigefieri. Si nimirum Romæ ponatur prope ignem, & Florentiæ prope niuem: qui motus sunt contrarij. Præterea in casu posito occursu sui ad se; pone insuper arctam adeo viam vt duo homines nequeant simul per illam transire. In hac hypothesi dici non potest an Socrates contra Socratem hæreret, an penetratiue Socrates intra Socratem pergeret. Ex vno capite deberet hærere, quia locus duplici Socrati non sufficit. Ex alio deberet intra seipsum pergere: idem enim sibi ipsi compenetrari quid obstat?

Hęc & similia argumenta contemnit Aduersarius noster Gabriel Vasquez. Fiunt autem eadem ab hæreticis contra replicationem definitiuam. Nam corpus Christi existens Romæ & Florentię potest Roma versus Florentiam, & Florentia Romam versus transferri. In tali casu idem mouetur contra seipsum, & in partes oppositas. Qui respondent discrimen esse inter hunc casum

& album, quod Socrates per se, Corpus autem Christi Domini non per se, sed per accidens, & ad motum specierum, moueatur tam loquntur ad rem, quam loquerer si dicerem hominem Italium posse replicari, nō autem Aethiopem, afferendo pro disparitate quod italus est albus, ætiops autem niger, Tam enim repugnat esse duplici loco, & moueri duplici motu contrario per accidens, quam per se. Cæterum si duplex motus contrarius, dummodo per accidens sit, sit possibilis: tu etiam dic in casu proposito moueri dupliciter, & in partes oppositas idem corpus, sed per accidens, cum non per se, sed per accidens replicetur. Ad motum istum localem an foret duplex in eodē corpore, an secus, an naturalis, an connaturalis; supposita replicatione dicetur infra, vbi ad argumentum P. Vasquez.

Ad illud de calefactione & frigefactione dic idem euenturum quod eueniret si in vno loco prope vtrumque agens poneretur. Si enim nix præualet igni, frigefiet: si ignis niui, calafiet: idque siue ponas Socratem Romæ prope ignem, Florentiæ prope niuem, siue solum Romæ prope ignem & niuem. Interroganti igitur quid fieret in casu proposito, dic quod fieret idem, quod fieret in casu proponis.

Dices; ergo ignis Florentinus aget in Socratem existentem Romæ: ergo aget in distans.

Resp. concessa prima conseq. negando secundam. Socrates existens Romæ non

dis-

distat Florentia, si simul sit Florentiæ. Nam male definies quid sit distare Florentia si dixeris: distare Florentia est esse Romę, vel alibi extra Florentiam. Bene autem si dixeris? est non esse Florentiæ nec prope Florentiam, Vis hoc idem valere contra corpus definitiue replicatum, Corpus Christi Domini existens Florentiæ in ædibus S. Mariæ tangitur & comeditur Romæ in templo nominis Iesu. Vide an absurdus sit aut videatus vnum quam alterum. Nobis vtrumque verum: secundum est certum. Certo enim tenemus illud idē corpus quod est Florentiæ, comedi Romæ.

Hac eadem ratione dissolues hoc argumentum. Implicat idem distare à seipso: per replicationem idem distaret à seipso, g. implicat replicatio. Minor probatur. Petrus existens Romę distat à Paulo existente Florentiæ per hoc quod alter sit Romæ alter Florentiæ; sed in casu replicationis Socrates est Romæ & Florentiæ: g. Socrates distat à Socrate. Confirmatur, quia vbi Romanum distat ab vbi Florentino: ergo etiam vbicatum Romæ distat ab vbicatio Florentiæ.

Hæc omnia soluta habes in præcedentibus; Conc. mai. nega min. Ad probationem nega mai. Petrus & Paulus si nihil aliud habent quam quod hic Florentiæ, ille sit Romæ: non habent qua distent: sed requiritur insuper vt neque hic Romæ neq; ille Florentiæ sit. Ad confirmationem conc. ant. nega coseq. Vbi romanum non est Romæ & Florentiæ sed Romæ solum, adeoque

distat ab vbi florentino. Vbicatum autem est Romæ & Florentiæ, adeoque non distat neque ab vbi Romano, neq; ab vbi Florentino, neque ab ipso vbicatio. Hinc habes Socratem à neutro vbi distantem esse in duplici vbi; quorum vtrumlibet ab altero distat. Hoc dictum sit ex suppositione quod ipsa vbi non replicentur; quod an sit possibile quæretur inferius.

Instabis. Ignis Romanus nequit impedire niuem Florētinam nisi agendo in distans: nec è conuerso nix Florentina ignem Romanum: ex concessis in casu posito nix impediret ignem & ignis niuem: g. *&c.* Maior probatur; quia ignis distat à niue, & nix ab igne: ergo si ignis impedit niuem, & nix ignem, agunt in distans.

Resp. neg. mai. Ad prob. conc. ant. nega consеq. Ignis impedit niuem, & nix ignem non agendo mutuo in seipsa, sed per hoc quod æqualiter se habeant ad idem corpus, in quo quantum produceretur ab igne, tantum destrueretur à niue. Dum igitur nix petit producere in subiecto gradum frigoris, ignis petit producere gradum caloris: & quia introductio vnius gradus caloris est expulsio vnius gradus frigoris & è conuerso: æque nix exigit non produci de nouo illum gradum caloris, ac exigat ignis produci: adeoque nihil producitur ob æqualitatem virium in vtroque agente.

Obijc. 4. Principium proprium ex quo per sensum venimus in cognitionem de distinctione inter homogenea sensibilia, non

potest

poteſt falſificari: ſed principium huiuſmodi eſt quod habeant diuerſas vbicationes circumſcriptiuas: g. nec per diuinam omnipotentiam falſificari poteſt: ſed falſificaretur, ſi replicatio circumſcriptiua eſſet poſſibilis: g. hæc eſt impoſsibilis. Minor ſubſumpta prob. quia data replicatione, idem corpus, puta idem granum frumenti eſt in diuerſis locis circumſcriptiue: adeoque videns horreum, immo ſi vis totum orbem plenum frumento non habes certitudinem metaphyſicam, quod hæc ſint plura grana: ſed dubitare poteris an ſit vnum granum in locis innumerabilibus replicatum.

Qui hoc principium proponit vt euidens moneat magnam eſſe differentiam inter has duas propoſitiones: *quæ apparent in locis diſtinctis ſunt diſtincta*: &: *quæ ſunt in locis diſtinctis ſunt diſtincta*. Prima propoſitio poteſt falsificari: ſecunda non poteſt. Hoc ipſum ſi bene penetret qui hoc proponit, inueniet ſe gladio ſuo perimi. Nã ſenſus non iudicat de rebus prout ſunt, ſed prout apparent. Præterea: grano tritici in locis innumerabilibus replicato: non eſt verum quod aliqua ſint in locis diſtinctis: ſed quod aliquid ſit in locis diſtinctis. Sed hæc modo miſſa faciamus: & intelligamus vt aduerſarius, quod ab aduerſario proponitur. Ait igitur eſſe infalsificabile hoc principium: quot ſunt loca adæquata in quibus ſunt homogenea ſenſibilia, tot ſunt homogenea ſenſibilia. Ratio eſt; quia nullum eſt aliud principium, vnde per ſenſus dignoſcere poſsimus ſenſi-

bilium omnino similium pluralitatem eodē tempore existentium quam pluralitas loci adæquati. Quod si hæc sit indicium fallax, arguens æque trepidabit ad conspectum vnius militis; ac ad conspectū ingentis exercitus: quia vnicus miles erit Aduersario ratione replicationis centum millia militum. Hoc autem est magnum inconueniens.

Confirmatur hic discursus quia huic principio: quæ sunt in pluribus locis sunt plura, assentimur ex terminus, & à natura determinamur ad dicendum: *sunt plura* quotiescunque videmus ea esse in pluribus locis.

Resp. primo parum consuluisse securitati suæ arguentem nisi etiam verum sit; *quæ apparent in locis distinctis sunt distincta*. Aeque enim trepidabit ob vnum militem realiter implentem locum vnius exercitus, ac si apparenter, & è conuerso. Quomodo enim certus erit hanc esse puram apparentiam, non vero rem ipsam: & consequenter euidens est eandem dubitationem fore in sententia arguentis ac in nostra.

Resp. secundo. Hoc principium patere instantijs adeo insolubilibus vt euidens sit esse falsum. Prima instantia sit contra penetrationem quam admittit Aduersarius. Sicut pluralitas loci ostendit pluralitatem locatorum, ita vnicititas loci vnicitatem locati. Immo non aliter apparet pluralitas locatorum, quam per apparentiam plurium, vt ita dicam; vnorum. Sicut igitur non est vnde dignoscas multiplicitatem homogeneorum sensibilium eodem tempore existen-

sten-

ſtentium, niſi multiplicitas loci adæquati: ita non eſt vnde dignoſcas vnicitatem corporis niſi vnicitas loci: quod ſi hæc ſit indicium fallax, videns vnicum militem dubitabis an ſit integer exercitus penetratiue poſitus in loco adæquato connaturali vnius hominis. Quod ſi debet dari aliquod principium præſeruans arguentem ab errore, dum videns exercitium integrum iudicare poteſt fortaſse eſse vnicum militem: cur non debebit dari principium præſeruans te ab errore, dum videns vnicum militem iudicas fortaſse eſse integrum exercitum.

Profectò non abſurdius videns vnum hominem dices: fortaſse video homines innumerabiles ſimul penetratos, quam videns homines innumerabiles: fortaſse video vnum hominem multoties replicatum. Cur igitur vnum admittis & alterum negas? Quòd ſi dicas vtrumque, replicationem videlicet & penetrationem æqualiter impugnari ex principio poſito; eo ipſo principium eſt falſum.

Secunda inſtantia. Vbicunque video accidentia propria vini, determinor à natura ad iudicandum: eſt vinum. Et vbicunque video accidentia propria panis, determinor ad iudicandum: eſt panis. Accidentia enim ſenſibilia per ſenſum determinant intellectum ad iudicandum de quidditate ſubſtantiæ ſenſibilis. Et tamen hoc iudicium erit falſum in vino, & Hoſtia conſecrata.

In forma igitur ad argumentum nego maiorem. Nam vel ſermo eſt de principio

de

ex quo per sensum venimus in cognitionem certam certitudine metaphysica de distinctione inter homogenea sensibilia: & huiusmodi principium non datur. Vel sermo est de principio ex quo venimus per sensum in cognitionem certam certitudine pure physica & naturali, & hoc quidem datur, sed falsificari potest per diuinam omnipotentiam, & consequenter principium suprapositum est falsum.

Ad confirmationem patet ex dictis. Natura determinat ad iudicandum res se habere vt naturaliter se habent. Et consequenter granum frumenti replicatum naturaliter determinat ad iudicandum quod non sit vnum sed multiplex: sed non propterea iudicium huiusmodi est etiam metaphysice infalsificabile. Hinc patet ad omnes illas dubitationes. Ex sola possibilitate quod hoc & illud per diuinam omnipotentiam ita se habeat, non nisi stulte inducimur ad dubitandum quod reipsa ita se habeat. Et possibile per diuinam omnipotentiam vt ij quos puto esse meos discipulos & scribere lectionem, reipsa non sint mei discipuli, sed mera phantasmata in ponentia oculis meis: & tamen stultus sim, si dubitem: sicut stultus est qui putat se esse Regem & non est, cum tamen sit possibile ipsum esse. Aduersarius ipse dum arguit contra nos, non dubitat se argumentari contra homines, & tamen possibile est vt non contra nos arguat dum dicit se contra nos arguere; sed contra aereas potestates nostris vultibus indutas.

Ex

Ex quibus patet dubitationes fundatas in mera possibilitate cum dispensatione legis naturæ, esse omnino irrationabiles.

Obijc. 5. Si lapis poneretur à Deo in duplici loco extra suum centrum, puta;ita ut vtraq: vbicatio esset in aere: tunc ve vtrobiq;lapis descenderet, vel ab vno loco deorsum moueretur, & in alio quiesceret. vel in vtroq;quiesceret,:nihil horum dici potest: ergo non potest admitti replicatio vt possibilis. Minor probatur quia si dicas quod ab vtroque loco descenderet, concedis lapidi quod simul moueatur in duplici spatio. Quod si dicas quod lapis ab vno loco descenderet, sed in alio maneret immotus: concedis eundem lapidem esse simul principium motus localis & quietis pro eadem differentia temporis; & præterea esse principium quietis in loco sibi violento. Si dicas quod in vtroq: quiesceret contra est: quia lapis si nequit esse principium suæ quietis in vno loco violento. multominus potest in duobus. Hoc argumento Gabriel Vasquez negat possibilitatem replicationis.

Resp.conc. mai. neg. min. Ad probationem potest multipliciter responderi. Prima responsio esse potest lapidem ab vtroque loco casurum deorsum, si Deus nihil velit in lapipe nisi replicationem. Nam etiam cadens est in duplici loco, & præterea est quoad motum secundum naturam. Secunda responsio. Quod lapis ab eo loco in quo est non per vbi miraculosum deorsum mouere.

ueretur; in illo autem vbi in quo est per miraculum, consisteret, non vt principium quietis in tali loco, sed detentus ab extrinseco, videlicet ab illa eadem virtute per quam ibi collocatus est. Nam præter vnam vbicationem quæ ita illi debetur, vt non possit omnis negari, quælibet alia est illi miraculosa: vbicationem autem miraculosam conseruat ille idem qui dedit, vel loco illius dat aliam item miraculosam, si loco vbi permanentis in aere dat vbi fluens intra aerem à loco in quo positus est, vsque ad quemlibet alium locum, in quo collocetur.

Dices creetur in duplici loco: in hac hypothesi non est potior ratio cur ex vno ruat potius, quam ex alio; ergo ex neutro, vel ex vtroque. Antec. prob. quia non est assignabilis vtra ex his vbicationibus sit illi debita.

Resp. admissa hypothesi: conc. antec. neg. conseq. ad probat. dic neutram determinate ex prædictis vbicationibus esse illi debitam; esse tamen illi debitam indeterminate alterutram. In huiusmodi autem, determinatio est à causa prima, vt patet ex dictis in Logica.

Quod si fingas casum ita, vt Deus lapidem in duplici loco ponat in aere, & hoc facto cesset ab omni mirculo circa lapidem. Dico quod lapis ex vno loco deorsam cadet, & in alio esse cessabit, non per motum deorsum, neque per hoc quod quasi regrediatur intra se ipsum, sed per hoc præcise quod de-

destruatur alia vbicatio nulla in locum ipsius suffecta. Denique prout multipliciter potest casus proponi, potest etiam multipliciter solui. Potest enim contingere quod vtrobique quiescat, in vno quiescat, in altero moueatur &c. quia ex his omnibus nihil est quod inuoluat contradictoria.

Ex hac solutione habes quid respondeas alteri casui supraposito: an videlicet Socrates Romæ positus & Florentiæ: & Florentia Romam & Roma Florentiam moueretur. Quicquid enim respondeas, bene respondebis. Si dicas Petrum ab eo loco in quo est per vbi non miraculosum, motum iri in partem oppositam; non autem ab eo in quo est per vbi miraculosum, philosopharis rationabiliter, Quia quodlibet vbi quod habeat vltra vnum vbi, miraculose habet: est igitur supra vires non solum ipsius sed etiam totius natura, supposito vno vbi, dare illi in sensu composito & alterum: quemadmodum igitur illud aliud vbi permanens nequit dari nisi à solo Deo, ita neque illud vbi fluens, per quod videlicet moueretur ab alio dari potest quam à Deo. Ratio est: quia illud etiam vbi fluens in sensu composito cum altero vbi, est miraculosum: adeoq; mutatio vbi permanentis in vbi fluens est mutatio miraculi in miraculum, quod nequit fieri per naturam. Hinc habes quod si Socrati per se ipsum deambulanti Romæ, vbi est per vbi non miraculosum, existenti Florentiæ adhiberentur mille iuga boum; non posset è loco in quo est dimo-

dimoueri. Ratio est quia mille iuga boum non possunt dare Socrati vbi miraculosum

Quod si respondeas etiam è loco vbi per vbi miraculosum est, motum iri; hoc ipsū facile sustinebis, dicendo quod Deus ex suppositione quod ponat Socratem id duplici loco, debet in duplici loco concurrere cum ipso ad motum locaem: & ita cōtigisse narrant historiæ ex quibus replicationes SS. audiuimus, pura Franciscus Xauerius in duplici naui existens non erat in vna per modum corporis mobilis, in altera autem per modum Statuæ: sed ambulabat hac & illa, prout præsens necessitas nauigantium exigebat. Quamuis autem hoc ipsum vbi fluens sit miraculosum, est tamen connaturaliter consequens ad miraculum replicationis. Est autem ineptum putare quod Deus possit quidem dare duplex vbi permanens, non vero duplex vbi fluens; & ex difficulate duplicis vbi fluentis, impugnare duplex vbi simpliciter; quasi vero Deo difficilius esset mouere duplici motu idem corpus, quam duplici vbicatione vbicare. Superest ad illud de occursu sui ad se. Dic in tali hypothesi Socratē non compenetratum iri cum Socrate: quod repugnat: quia compenetratio est plurium; habiturum autem intra idem spatium duas vbicationes, per quarum alteram respiciet ad orientem, per alteram ad occidentem, vt fingere facile potes in duobus distinctis tali modo compenetratis.

Obijcitur vltimo. Si est possibilis replicatio

catio poteſt vna candela illuminare totum orbem: conſequens eſt abſurdum; ergo & antec. Sequela mai. probatur: quia ſi replicetur candela quantum replicari poteſt, immo minus etiam quam replicari poteſt, eo ipſo applicabitur ſpatijs innumerabilibus; illuminat autem quæcunque ſpatia, in quibus replicetur; ergo ſpatia innumerabilia illuminabit.

Reſp. 1. Hoc idem argumentum valere contra penetrationem. Nam innumerabilia ſpatia ſeu corpora illuminabilia poſſunt ſimul compenetrari; hoc poſito illuminabuntur omnia ab vna candela, quæ per hoc ipſum quod præſens eſt cuilibet, eſt præſens omnibus.

Reſp. 2. Omiſſa mai. neg. min. Ratio eſt; quia luminoſum vt agat nihil aliud requirit quam applicari illuminabili; in caſu poſito applicaretur toti orbi terrarum; igitur in tali caſu illuminaret totum orbem terrarum. Qui imaginantur à luminoſo efluere lucem & diffundi intra medium ſicut à fõte effluit aqua, & diffunditur intra alueum; negabunt candelam replicatam plus lucis effundere quam non replicatam: replicatio enim non eſt multiplicatio virtutis. Sed non ita accidere indicatum eſt, vbi de accidentibus. Lux igitur quæ producitur in illuminabili, ſeu in medio, non egreditur ab illuminante, ſed educitur de potentia ipſius medij ab illuminante applicato: ſicut calor non egreditur ab igne, ſed virtute ignis applicati educitur de potentia calefactibi-

lis

lis. Hinc est quod quantumlibet multiplicentur calefactibilia intra sphæram actiuitatis agentis calidi, non propterea quodlibet ex his minus incalescit. Qua in re subueniendum est infirmitati imaginationis humanę, ita rem sibi repræsentatis, quasi ab illo igne tot gradus caloris agrederentur quot suni illi, qui in omnibus quę calefiunt producuntur.

Hinc etiam est, quod sine vllo additamento, immo sine vlla variatione in virtuet tum calefactiua, tum iluminatiua potest agens calidum, aut illuminatiuum calefacere, aut illuminore plura, & plura subiecta in finitum: nequit autem fons sine accessione nouæ, & nouæ oquæ intra seipsum, implere non tot quin plures alueos, vt patet; non oportet igitnr existimare, quod aut illuminatio, aus calefactio, aut quidlibet aliud huiusmodi fiat impendio agentis, quod vt vidimus per hoc, quod agat, nihil omnino immutatur. Quod si velis ab hac sententia peripatetica præscindere hic, & cum alijs opinari illuminationem fieri per effusionęm physicam lucis.

Resp. 3. neg. seq. mai. Ratio est: quia si intra medium, quo contineatur tota sphæra actiuitatis candelæ, hæc eiaculata sit omnia corpuscula, quæ potest eiaculari; non habet alia, quæ intra quodlibet aliud medium eiaculetur. Sicut si Socrates Romæ existens, atq; Florentię, vel hic, vel ibi proijciat nummos omnes quos habet: non habet quos alibi impendat.

Dices. Eadem eſt ratio candelæ millies replicatę in ordine ad illuminãdum, ac baiuli milles replicati in ordine ad ferendum pondus; candela millies replicata poteſt illuminare quantum illuminarent mille candelæ: ergo baiulus millies replicatus poſſet ferre quantum ferre poſſunt mille baiuli. Hoc autem abſurdum eſſe probatur; quia ſequeretur quod homo vnicus, puta Petrus per merum miraculum replicationis fieret par ferendo toti orbi terrarum. Confirmatur: quia homo replicatus æquiualet multis hominibus. ſed certum eſt eſſe poſſibiles tot homines, vt ſimul ſuſtineat pondus totius orbis, ergo poteſt tam multipliciter replicari Petrus, vt vnus inſtar Atlantis ſuſtineat idem.

Reſp. neg. mai. Iam ſemel rogauimus Aduerſarium, na mille illa ſpatia, puæ illuminantur a mille candelis, ſi ſimul penetrẽtur, illuminanda ſini ab vna candela? Si reſpondet negatiuè, nega etiam illa eadem illuminando, ſi candela in ſingulis loco diuiſis replicetur. Si affirmet, roga iam an mille pondera, quæſint paria humeris mille baiulorum ſimul penetrata ſuſtineri poſſint ab vno baiulo. Si neget: nega etiam baiulum millies repiicatum ſuſtenturum mille pondera, quorum quodlibet ſit paropſius humeris. Rationem quam effert Aduerſarius, afferes & tu, dicendo videlicet eoſdem humeros non poſſe ſimul ferre tot pondera; quæ æque ſimul ferrentur cum penetratione ipſorum, ac cum replicatione humerorum;

rum: quia mille pondera sunt supra virtutem latiuam, seu substentatiuam vnnius baiuli. Tam enim est eadem virtus siue idem robur in baiulo replicato, quam in eodem baiulo respectu ponderum compenetratorum. Opprimutur igitur baiulus a nimio pondere, siue replicetur ipse, siue pondera compenetrentur, Non enim sine immutatione, sui, ac vitalium spirituum impendio sustinet pondus; nec sine sui mutatione fert hoc & illud, sicut candela sine sui mutatione calefacit, ac illuminat hoc & illud. Patet igitur disparitas ex dis: effectus non immutat suum agens; pondus immutat, & opprimit latorem suum, quia quodlibet pondus ponit impetum in latore; ideo ad multiplicationem ponderum, adeo multiplicatur impetus, vt nequeat baiulus illi resistere.

Ad illud de æquiualentia, dic vnum hominem æquiualere infinitis in ordine ad implendum spatium, non autem in ordine ad omnia. Inc solues alia, quæ in hac materia congeri solent. Puta si daretur replicatio posset Petrus assentiri Florentiæ, quod *A* existit, & huic dissentiri Romæ. Amare Romæ *A*, & illud idem odisse Florentiæ, & sic de alijs, quæ inuenies concessa ab aliquibus, qui fortasse rem non satis examinant. Hæc omnia neganda sunt: nequit idē intellectus simul dicere est, & non est de eodem; quantumlibet replicetur; replicatio enim non facit, quod intellectus simul assentiatur contradictorij. Dices: assentiri Flo-

Florentiæ, & dissentiri Romę non sunt contradictoria: in tali casu daretur assensu Romæ, & dissensus Florentiæ, seu daretur Romæ *est A* Florentiæ daretur *non est A*, ergo non darentur contradictoria.

Resp. quod assensus, & dissensus impertinent se habent ad locum: & locus impertinenter se habet ad essensum, & dissensum: igitur quemadmodum si Petrus nunc Romæ existens dicat: *Est A*, & Paulus etiam nunc existens Florentiæ dicat: *non est A*; sibi contradicunt: ita etiam si idem Petrus nunc & Romæ, & Florentiæ existens dicat: *est*, & *non est*, idem sibi contradicit. Ex his patet ad argumentum, dicendo, quod contradictio consistit in hoc quod idem de eodem dicat: *est* & *non est*: & consequenter nequit vllo modo vtrumq; esse in eodem intellectu. Vbi aduerte discrimen inter hominem existentem in duplici loco, & eundem existentem in duplici instanti. Existens in duplici loco, si in vno dicat: *est*, & in altero; *non est*; dicit simul: *Est*, & *non est*: in duplici autem instanti, si in vno dica: *est*, & in altero: *non est*, non simul, sed successiue dicit: *est*, & *non est*, in quo non est vlla implicantia.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De loco intrinseco.

ARTICVLVS I.

Per quid formaliter res sit in loco.

LOcus, quem ex Aristotele supra definiuimus, est locus extrinsecus. Agendum est hic de loco, quem vocant, intrinseco? quærendo videlicet an præter illam primam superficiem circumscribētem corpus, & corpus ipsũ, requiratur aliquid ad hoc vt corpus sit in hoc, vel illo loco.

Dicendum est primo. Res non est in loco formaliter per hoc, quod ipsa, & locus sint. Probatur hæc conclusio, quia Petrus est & hic locus, & tamen Petrus non est in hoc loco: ergo quod Petrus sit in hoc loco non habetur per hoc, quod existat & Petrus, & hic locus.

Dicendum secundo. Petrus est in loco *A* per vbicationem sibi, & loco *A* superadditam. Probatur hæc conclusio: quia cæteris positis, & non posita vlla forma, per quam Petrus sit in loco *A*, Petrus non est in loco *A*; ergo requiritur illa forma, per quā Petrus sit in loco *A*, Hanc autem formam vocamus vbi intrinsecum, seu locum intrinsecum. Est autem hic locus forma modalis ita essentialiter affixa Petro, vt impossibile sit esse, & non esse in Petro, & ita determi-

nans

nans Petrum ad esse hic, vt impossibile sit hanc esse. & Petrum non esse hic. Sicut diximus de alijs passim determinatiuiuis vltimis ad hanc, vel illam denominationem. Propterea dicitur ipsum *hic* Petri, quod idem est, ac ratio per quam Petrus est formaliter hic.

Dices; Hæc denominatio; *Petrus est hic*, potest haberi præscindendo ab omni modo superaddito; ergo, &c. Antec. prob. quia potest haberi quod Petrus sit hic per hoc præcise quod Petrus sit, & habeat indistãtiam ab hoc loco: in hoc non includitur modus vbicationis superadditus. &c. ergo. quod Petrus sit hic habetur sine, &c.

Resp. neg. antec. ad probationem conc mai. nega min. Habere indistantiam, seu negationem distantiæ ab hoc loco, dicit formaliter præsentiam in hoc loco; præsentia autem in hoc loco non habetur formaliter per Petrum, & hunc locum, sed insuper per aliquid quod sit vltimum determinatiuum huius denominationis: Petri existentis in hoc loco. Hoc autem vltimũ determinatiuum est illa forma, seu illud vbi de quo hic agimus.

Dices iterum: per hoc præcise quod Petrus sit, & non sit in vllo alio loco, est hic: Esse non includit modũ vbicationis: nec illum includit non esse in vllo alio loco; ergo esse hic Petrum non includit modum vbicationis superadditum. Mai. prob. quia valet illatio. *Petrus est, & non est in vllo alio loco: ergo Petrus est hic*. ergo &c. Si autem

hoc valet, manifestum est Petrum esse hic, per hoc quod sit, & nullo alio loco sit. Min. autem prob. quia quod Petrus sit, habetur formaliter per existentiam Petri, certum est autem existentiam Petri non haberi per modum vbicationis: rursus quod Petrus non sit in vllo alio loco, est denominatio pure negatiua, ad quam non requiritur vlla forma positiua, vt patet ex dictis alibi.

Resp. neg mai. Ad probationem conc. antec. nega conseq. Ex hoc quod Petrus sit & non sit in vllo alio loco recte inferes, quod sit hic ex suppsitione illius principij: *quicquid est, alicubi est*. Ey hoc autem quod alicubi sit. & non sit in vllo alio loco recte inferes esse in hoc. Hoc autem nihil aliud est quam ex eo quod sit & negatione omnis alterius vbicationis inferre quod habeat hanc vbicationem, sicut v. g. si *A* necessario esset vel album vel nigrum, ex hoc quod non esset album recte inferres: ergo est nigrum: non quod habeat esse nigrum per suum esse, & præcisam carentiã albedinis, sed quia posita prædicta necessitate, ex defectu vnius qualitatis recte infertur existentia alterius. Non esse nigrum aut non esse album, sunt denominationes pure negatiuæ; hoc modo non esse in hoc vel illo loco est denominatio pure negatiua. Esse album & esse nigrum est denominatio positiua, sicut & esse hic, vel esse alibi: propterea nec ibi sufficit res & carentia nigredinis ad rationem albæ; neq; hic res &

caren-

carentia omnis alterius vbicationis ad rationem existens hic. Esse igitur & non esse alibi infert de consequenti, non autem includit de formali esse hic.

Hoc idem accidit in alijs similibus denominationibus. Puta quælibet creatura eo ipso quod est, pendere debet ab aliqua causa: si autem per argumentum ab exclusiones dicas: non pendet neq; ab hoc neq; ab illa alia, recte inferes: ergo ab ista. Nec proterea habebit pendere ab ista formaliter per negationem dependentiæ ab illis alijs, sed per formam positiuam, quæ recte infertur ex carentia omnis alterius formæ; quam formam albi vocauimus actionem, estque ratio qua hoc pendet ab illo.

Dices vlterius: potest indifferentia quam habet Petrus ad esse vel non esse hic tolli per impulsum vel per motum per quem applicatur huic loco extrinseco: neq; motus neq; impetus sunt vbicatio de qua hic agitur; ergo sibe vbicatione prædicta potest tolli indifferentia, &c.

Resp. dist. mai potest tolli indifferentia per motum aut impetum in genere determinatiui antecedentis, conc, in genere determinatiui formalis nego. Motus antecedens & impetus totus quantus est, & non est ratio formalis essendi hic, sed ratio formalis qua mouetur huc, seu qua tendit huc Puta per motum quo tendis ad Vaticanum non es formaliter in Vaticano. Si igitur hic motus determinat ad esse in Vaticano, oportet vt determinet ad illam rationem

formalem per quam sis in Veticano. Potest igitur motus aut impetus antecedens esse causa formæ per quam sis in Vaticano: non autem ipsa forma.

Dices: impossibile est dari totum motum & impetum antecedentem, & me non esse hic; ergo; sum hic formaliter per motũ antecedentem.

Resp. omisso antec. neg. conseq; Impossibile est dari actionem quin detur terminus actionis puta dari in materia actionem productiuam caloris, quin detur calor; & tamen non per actionem formaliter; sed per calorem subiectum est calidum.

ARTICVLVS. II.

An omnia in composito vna vbicatione vbicentur.

DVbitatur an sit vna an multiplex vbicatio eorum quæ idem compositum constituunt. Ex vno capite videtur esse vna. Primo quia est vnus locus adæquatus extrinsecus; ergo etiam vnus erit locus intrinsecus. Secundo. quia vnius entis simpliciter debet esse vna vbicatio, sed compositum est vnum ens simpliciter; ergo compositi est vna simpliciter ubicatio.

Tertio. Per hoc præcise quod forma siue substantiali, siue accidentalis, sit in materia existente hic, ipsa etiam est hic: sed quod forma sit in materia existente hic, habetur formaliter per ubicationem materiæ & inexi-

existētiam formæ in materia; ergo per ubicationem materiæ & inexistentiam formæ in ipsa, habetur formaliter quod forma sit hic. Hoc autem non includit aliam ubicationem quam ubcationem materiæ. Nam forma illi inexistit uel per unionem uel per inhæsionem, quarum neutra est ubicatio. Hæc sunt quibus mouenter aliqui ad iudicandum omnia in composito ubicari una ubicatione, quam uocant ubicationem primi subiecti, hoc est materiæ primæ.

Ex alio capite. Vbicatio est modus essētialiter affixus rei quam vbicat, sed potest dari hæc eadem vbicatio materiæ absq. eo quod hæc forma, & hæc accidentia sint hic, ergo hæc vbicatio materiæ non est ipsū hic huius formæ, & horum accidentium. Mai. patet ex dictis vniuersaliter de modis, de quorum conceptu est non existere quin actu modificent ea omnia quorum sunt modi. Min. autem probatur. Quia materia in eodem loco manens potest mutare formam; experientia enim constat idem subiectum in eodem loc esse modo calidum & modo frigidum.

Idem urgeri potest contra Vasquez qui dicit omnia ubicari in composito una ubicatione quantitatis. Nam post uariata forma substantiali manere hic hæc eadem quantitas: & consequenter dari hoc ubi huius quantitatis, quin detur hic hęc forma: ergo ubi huius quantitatis non est ubi hus formę. Item constat manente eadem quantitas, & in eodem loco, uariari accidenden-

dentia rei quantæ. Idem enim quantam in eodem loco manens & cum eadem quantitate est modo album, modo nigrum & sic de cæteris.

Ex his sequitur quod qui vnam in composito vbicationem volunt per quam singula vbicentur, vnum ex his dicere debent videlicet vel dari posse hoc vbi quin dentur ea quæ vbicantur per ipsum, vel ad quamlibet variationem cuiuslibet accidentis in composito compositum mutare locum intrinsecum, vel formam seu substantialem, seu accidentalem non esse in loco nisi improprie: proprie autem esse in loco solum primo sobiectum.

Hoc vltimum minus displicet quamuis à nullo fere dicatur, cum omnibus fere videatur euidens quod hęc albedo est in hac Schola: mihi autem euidentissimum quod hæc albedo est in hoc pariete; & quod hic paries sit in hac schola. Esset igitur facile sustinere prȩter primum subiectum proprie & per se nihil vbicari: cætera autem quæ in ipso sunt denominari esse in hoc vel in illo alio loco, ab vbicatione subiecti in quo sunt. Diximus autem quod esse in subiecto non est esse in loco.

Ratio autem cur hæc vbicatio sit potius subiecti quam formæ, quamuis denominet totum, est obuia; cum obuium sit formam superuenire subiecto, non autem subiectum formæ; forma enim ex præexistente subiecto educitur, si sit materialis, præexistente subiecto infunditur si sit spiritualis; vtraq;

au-

autem mutat locum ad mutationem, ſecundum locum, illius ſubiecti in quo eſt. Et quidem ſi forma illa ſit anima, magis mouet quam moueatur, quamuis moueri dicatur localiter ad motum ſubiecti ſeu corporis, quod ipſa mouet.

In hac ſententia poterit dari vbi quin detur ea quæ vbicantur, non quidem per ſe, ſed per accidens. Puta dabitur vbi huius lapidis quin detur calor vel frigus quæ ab hoc vbi denominantur eſſe in hoc loco non autem quin detur lapis ipſe, vel etiam dabitur vbi lapidis quin detur lapis, non autem quin detur id quod in lapide eſt primum ſubiectum, à cuius vbicatione dicitur eſſe in loco ipſamet forma conſtitutiua lapidis. Iuxta hanc eandem ſententiam poterit idem locus intrinſecus eſſe plurium corporum ſucceſſiue. Patet hoc: quia idem ſubiectũ eſt plurium ſucceſſiue corporum: locus autem eſt ſubiecti per ſe: per accidens autem formæ in ſubiecto receptæ; igitur ſi tranſmutationem intelligas ſubſtantię in ſubſtantiam, ſubiecto in eodem loco manente, intelligis vnum corpus habere eundem locũ non ſolum extrinſecum, ſed etiam intrinſecum quem habebat alterum.

Hac in re facile eſt vtramlibet ſententiam ſuſtinere. Tenendum tamen in compoſito non omnia vna vbicatione vbicari. Ratio eſt quia de conceptu modi communiter recepto, eſt quod nequeat eſſe quin modificet rem cuius eſt modus; vnde dicitur eſſentialiter affixus rei cuius eſt modus Quod ſi diſ-

tinguas inter rem quam modificat per se, & rem quam modificat per accidens, contra est, primo, quia eo ipso quod essentialiter affigitur rei quam modificat, videtur præcludi locus huic distinctioni, & poni per hanc distinctionem quædam indifferentia in formis medalibus, quæ est propria formarum absolutarum; puta hæc albedo habet facere album & quidem per se: habet autem esse in hoc potius, adeoq; dealbare hoc potius quam aliud, per accides.

Secundo quia esse in loco proprie & per se, dicitur de corpore seu de toto. Immo occupare hunc locum conuenit huic corpori non tam ratione materiæ quam ratione formæ. Patet hoc: quia maior vel minor extensio materiæ secundum locũ est à forma: ita vt illa materia quæ sub forma aquæ occupat palmum spatij, sub forma aeris occupat decem palmos, & tamen iuxta præfatam sententiam, non corpus sed subiectũ per se erit in loco. Cum igitur totum proprie sit in loco, & in toto pars potissima sit forma, & à forma potissimũ habeatur quod hic vel ille locus sit proprius huius vel illius corporis, dicendum est formam non minus proprie esse in loco, quam materiã: rursus cum materia retineat eundem locum abeunte forma, dicendum est non vna esse vtriusq; vbicationem intrinsecã, sed vniuscuiusq, suam.

Ad ea quæ dicuntur in oppositum breuiter responderetur. Ad primum conc. ant. nega conseq. Hanc non valere patet ex dif-

fe-

ferentia inter locum intrinsecum ex extrinsecum. Secundus est communis successiue pluribus, nulli essentialiter affixus: secus primus.

Ad secundum distingue maiorem; vnius entis indiuisibilis est vna vbicatio: conc. diuisibilis in plura separabilia secundum locum nega, & eodem modo distincta min. nega cons.

Ad tertium nega mai. Potest forma tam substantialis quam accidentalis esse in materia, quæ sit hic, & tamen non esse hic: vt patebit ex sequentibus: vbi dicitur ex duobus extremis simul vnitis posse alterum replicari, altero non replicato. In tali casu anima est in corpore quod est Romæ, & tamen ipsa non est Romæ.

QVÆSTIO V.

An extrema simul vnita sint separatim replicabilia.

QVæstio procedit tam de extremis facientibus vnum per se, quam de facientibus vnum per accidens. Petita nō solum an possit replicari corpus Petri, nō replicata anima eiusdē, sed etiā an possit replicari Petrus, non replicato eiusdem calore, vel albedine. Vt autem clare procedamus, distinguendum est inter accidentia, quæ dicuntur absoluta à loco, & ea quæ dicuntur affixa loco, Primi generis sunt albedo, calor, siccitas, &c. Secundi ipsum

sum vbi intrinsecum, siue permanens per quod sum hic: siue fluens, per quod moueor hic. His positis.

Dicendum est primo. Si vtrumq; extremum intrinsece afficit vnio: ad replicationem vnius conaturaliter replicatur & alterum absolutum à loco, V. g. si replicetur corpus Petri, connaturaliter replicatur & anima. Si replicetur Petrus, connaturaliter replicatur & albedo, & calor Petri. Ratio est; quia vnio intrinsece afficiens vtrumque extremum exigit, vt vbi est vnum, ibi sit & alterum. Dixi *Vnio afficiens vtrumq; extremum intrinsece*, quia si daretur vnio intrinsece quidem recepta in vno, respiciens autẽ alterum vt pure terminum extrinsecum, nõ exigeret, vt vbicumq; ponitur vnum, ibi ponatur & alterum. Huiusmodi est v. g. vnio quæ in venerabili Sacramento Eucharistiæ, est inter species, & Corpus Christi, quæ intrinsecè recepta in speciebus, respicit Corpus Christi vt terminum pure extrinsecum. Hæc autem exigit quidem vt vbicunq; ponũtur hę species, ibi ponatur Corpus Christi: non autem vt vnicunq. ponitur Corpus Christi, ponantur hæ species.

Secus accidit quando vnio est vtriq; extremo intrinseca quod habetur quando extrema connaturaliter petunt vniri. Tunc enim vnio petit, vt vbi est vnum, ibi sit & alterum. Hinc Conc. Trid. docet, quod quamuis in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis, & vini, hic ex vi verborum solus sanguis, illic solũ corpus ponatur, vtrobiq; ta-

tamen ponitur totus Christus, secundum corpus, & animam, & sanguinem. Corpus quidem, inquit, sub specie panis, & sanguis sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguis sub specie panis, animaque sub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur. Hinc aiunt communiter, quod si quis in triduo mortis consecrasset, ille sub specie panis solum corpus, sub specie vini solum sanguinem posuisset. Nam corporis mortui caro, & sanguis non dicunt inter se connexionem illam, quam dicunt caro & sanguis corporis viui.

Ratio disparitatis inter vniones prædictas est hæc. Vnio recepta intrinsecè in vtroque extremo, vtrique extremo intrinsece vnitur. Intrinsece autem vnita, connaturaliter loquendo, se se muto concomitantur. At vero recepta intrinsece in altero dumtaxat ex extremis, alterum autem respiciens vt terminum pure extrinsecum, non vnitur vtrique intrinsece. Adeoq; si replicetur id, cui extrinseca est, non est cur replicetur & ipsa, ipsa autem non replicata non est cur replicetur alterum extremum, cui est intrinseca. Applica hanc doctrinam exemplis superius datis, & inuenies illam esse liquidissimam.

Dicendum secundo. Nō repugnat ex duobus extremi vnitis alterum replicari, altero non replicato: v. g. non repugnat repli-

cari corpus Petri, non replicata anima eiusdem. Replicari totum Petrum, non replicata eius albedine, aut alie huiusmodi accidente. Hæc conclusio non aliter probatur, quam respondendo obiectionibus.

Obijcitur 1. Ad hoc vt ex anima, & corpore fiat vnum, requiritur vt hæc duo sint sibi mutuo intime presentia si ponatur vel corpus sine anima, vel anima sine corpore Florentię, ista duo non erunt sibi inuicē pręsentia, ergo ista duo non facient vnum. Min. est euidens. Nam corpus existens Florentiæ & anima existens Romę non autē Florentiæ non sunt sibi intime præsentia.

Resp. concessa mai. negando minorem. Ad probationē nega. Si enim corpus & anima hoc est totus homo existat Florentiæ, & sola anima insuper ponatur Romæ, nō propterea illa anima non est intimè pręsēs corpori quod est Florentiæ, vt patet ex terminis. Si solum corpus esset Romæ & sola anima Florentiæ, tunc non essent hæc duo sibi mutuo præsentia; sed nec facerent vnū, sicut non faciunt corpus D. Petri existens in Vaticano, & anima eiusdem in Paradiso.

Obijc. 2. Si poneretur Florentiæ materia sine forma, posset huic materiæ existenti Florentiæ vniri naturaliter alia forma: puta materię habenti Romę formam aquæ, vniri Florentiæ forma ignis: consequens est absurdum: ergo & antec. Antec. probatur quia hæc materia non habet Florentiæ vllam formam sibi vnitam. Materiæ autem non habenti vllam formam potest vniri

quæ,

quælibet forma, vt contra ex alibi dictis.

Resp. negando sequelam maioris. Materia existens Florentiæ habet vnitam sibi formam aquæ, quamuis non habeat illam Florentiæ, hoc est quamuis nec forma ipsa, nec vnio formæ existat Florentiæ. Repugnat autem naturaliter eidem materiæ duas formas substantiales, quales sunt ignis & aquæ, simul vniri. Ad probationem dic magnam esse differentiam inter istas duas propositiones: *Materia Florentiæ existens non habet vllam formam*, & *Materia Florentiæ existens non habet vllam formam, Florentiæ*; prima est falsa in casu posito: quia excludit à materia formam simpliciter: secunda est vera, quia non excludit formam, sed formam quæ sit Florentiæ. Duo autem ista benè stant; habere formã, & non habere formam Florentiæ. De facto enim de hoc meo corpore verum est, & quod habeat formam, & quod non habeat formam Florentiæ.

Obijcit. 3. Si corpus Petri poneretur Neapoli, anima non ibidem posita; idem corpus esse viuum, & non viuum, seu esset viuum, & mortuum, consequens est absurdum; ergo & antec. Sequela probatur; quia corpus est viuum vbi animatum; est non viuum vbi est inanimatum; sed alicubi, putà Romæ esset animatum, & alicubi, putà Neapoli esset inanimatum: g. Romæ esset viuum, & Neapoli non viuum; Romæ viuum, & Neapoli mortuum; adeoq; viuum & non viuum & mortuum.

Resp

non mori Neapoli. Confirmatur: quia caussa occidens Petrum Romæ, puta pugio Romanus non agit in Petrum existenté Neapoli, &. potest diuidere animam a corpore hic Romæ, absque eo duod diuidat illam eandem acorpore Neapoli. Confirmatur iterum, quia pugio Romanus non agit Neapoli: ergo non diuidit animam a corpore Neapoli.

Rsp. neg. sequelam maioris. Aequiuocatio est inter separationem animæ à corpore quæ fit per destructionem vnionis, & positionem corporis sine anima in aliquo loco, absque eo quod sit simpliciter verum animam separari à corpore. Per occisioné anima separatur a corpore simpliciter: implicat autem corpus viuere per animam a se diuisam. Per hoc autem quod Deus replicet corpus Neapoli, anima non replicata, anima nō separatur a corpore simpliciter. Ad confirmationem patet ex dictis. Pugio Romannus non ditat a Petro existéte Neapoli.

ARTICVLVS II.

An ipsum vbi sit replicabile.

PLerique negant, aliqui affirmant. Qui negant his rationibus nitentur. Primo. Vbi Romanum est essentialiter hæc distantia ab vbi Mediolanési: g. implicat vbi Romanum poni Mediolani. Conseq. est euidens implicat enim esse distantiam Mediolano, & esse Mediolani, vt patet ex dictis alibi,

sibi, videlicet Petrum existentem Romæ & Florentiæ non distare Florentia. Antec. autem probatur item ex dictis in definitione loci vbi immobilitatem diximus haberi per distantiam hanc, vel illam, ab his & illis punctis realiter, vel imaginarie fixis.

Secundò. Vbi Romanum est essentialiter affixum huic spatio imaginario, quod imaginor penetratum cum ipso vbi; g. nequit esse extra hoc spatium. Probatur conseq. quia si potest esse extrà hoc spatium: eo ipso est essentialiter indifferens ad esse, vel non esse extrà hoc spatium; sed quod est indifferens ad esse, vel non esse extrà hoc spatium, non est essentialiter affixum huic spatio: g. &c. Minor probatur à pari. Petrus indifferens, & vt indifferens ad esse. vel non esse extra hoc spatium A. non est essentialiter affixus huic spatio A: ergo si hoc vbi est indifferens ad esse, vel non esse extrà hoc spatium, non est essentialiter affixum huic spatio.

Tertiò. Modus quilibet est ita essentialiter affixus rei quam modificat, vt impossibile sit esse extra rem, quam modificat (sermo est de modo qui recipitur in re modificata) sed hoc vbi modificat Petrum existentem hic vt existentem hic; immò est ipsum hic Petri existentis hic; ergo non potest esse extra Petrum vt existentem hic, seu non potest esse, nisi in Petro vt existēte hic: sed si nequit esse in Petro, nisi vt existente hic, nequit esse Mediolani in Petro: ergo hoc vbi Romanum nequit ad replicationem

tionem Petri poni Mediolani.

Quartò. Vbicatio circumscriptiua nequit poni cum vbi definitiuo, seu replicari nequit definitiue. Item rotunditas nequit poni quadrate, aut triangulariter; g. vbi Romanum nequit esse Mediolani. Explicatur simul, & probatur antec. Implicat quod vbicatio tripalmaris, v.g. tota sit in puncto, vel qualibet parte cuiuslibet spatij tripalmaris: Item quod vbicatio, per quam res occupat locum orbitularem si vel in spatio quadrato, vel in spatio angulari, itaut hæc congruat illi. Est enim impossibile quod rotundum quadrato, aut cuilibet figuræ angulari congrual, supponimus demonstratum in Mathematicis, Probatur iam consequentia; quia hoc vbi tam essentialiter est hic, quam vbi rotundum est essentialiter incongruum vbi angulari. ergo tam implicat hoc vbi esse in alio quolibet vbi, quam esse in vbi angulari, & congruere vbi angulari vbi rotundum.

Quinto. Duratio est essentialiter irreplicabilis, g. etiam vbicatio. Antec. probatur: quia implicat horam vigesimam primam coexistere horæ vigesimæ: g. implicat horam vigesimam iterum fluere postquam fluxit, quod est replicari secundum tempus. Secundum ant probatur, ex conceptu receptissimo temporis, quod est essentialiter successiuum: successiui autem partes non sibi coexistunt: imo successiuum à permanenti differt in hoc quod permanentis partes sint simul, secus successiui. Probatur iam prima con-

conseq. quia quam essentiale est durationi *B* facere successionem cum duratione A, tam essentiale est vbicationi B facere extensionē cum vbicatione A. Siue: quam essentialiter duratio A & duratio *B* sunt tanta extensio temporaria, puta duarum horarum; tam essentialiter vbicatio *A* & vbicatio *B* sunt extententensi localis tanta; puta duarum vlnarū; ergo quam impossibile est horam *B* poni penetratiue cum hora A, tam impossisibile est vbicationem *B* penetratiue poni cum vbicatione A.

Confirmatur pro duratione & durationis irreplicabilitate per hoc dictum commune *volat irreuocabile tempus* Quod proloquiū sic sonat apud omnes, vt existiment diem hesternam essentialiter irreuocabilem ad spatium hodiernum. Hoc idem diximus in procemialibus Logicę in vulgari illo argumento: Logica vel dirigit operationem factam vel faciendum *&c.* Item vel bonam vel malam, *&c.* vbi ostensum est vel potius suppositum pro indubitato cognitionem elapsam, eo quod sint cognitiones nostræ de natura temporis, iterum reuocari non posse, vt, si praua sis, emedetur. Est igitur suppositum pro indubitato durationem elapsam nulla virtute reuocari posse ad esse. Igitur duratio A nequit replicari, & postquam abijt iterum poni cum duratione *B.*

Dicendum est, his non obstantibus, vbicationem esse de potentia absoluta replicabilem. Probatur Conclusio argumento solidiori ijs omnibus quæ contra addacta sunt;

vi-

vipelicet. Cum replicabilitate vbicationis saluatur tota essentia vbicationis; g. vbicatio est replicabilis. Probatur antec. quia tota essentia vbicationis est esse essentialiter affixam hic, immo esse ipsum hic illius rei quam formaliter ponit hic, & vltimum determinatiuum rei existentis hic ad esse hic. Hoc autem totum & quidlibet aliud huiusmodi saluatur cum tota replicailitate; vt patebit dicendis. Et primo quidem manifestum est istos duos conceptus: *non posse non esse hic, &: posse esse alibi* non repugnare inter se. Hon posse autem non esse hic & esse essentialiter affixũ hic, sunt vnum & idem. Explicatur hoc ipsum: indifferentia ad esse vel non esse Mediolani, non pugnat cum necessitate metaphysica, ex suppositione quod sin, essendi Romæ. Posfunt igitur ista duo prædicata simul in vnam eandemque entitatem conuenire.

In hac ipsa metaphysia necessitate essendi Romæ habes euidens discrimen inter vbi constituens Petrum Romæ, & Petrum ipsum. Petrus enim Romæ existens non est ita indifferens ad esse vel non esse extra Romam, vt habeat metaphysicam necessitatem essendi Romæ; sicut vbi Petrum vbicans Romæ ita est indifferens ad essendũ vel non essendum extra Romam, vt simul habeat necessitatem metaphysicam essendi Romæ. Hæc sententia patebit illustrius ex argumentorum dictione.

Primum dijcitur vel neg. ant. vel dist. est distantia secundum id quod dicit de po-

siti-

sitiuo: conc. secundum omne quod dicit distantia: nego. Quando dictum est in explicatione loci immobilitatem importare talem distantiam aut propinquitatem ab his vel illis punctis realiter vel imaginarie fixis; intellectum est de proquinquitate & distãtia secundum id quod vtraq; vel vtralibet dicit de positiuo. Patet hoc, quia hoc vbi non solum est distantia, sui, sed etiam distantia rei quam vbicat; est enim locus non modo sui sed rei locatæ. Manifestum est autem rem locatam non distare ab hoc vel illo corpore per hanc vbicationem præcise, sed per hanc & carentiam alterius. Eodem modo hæc vbicatio se sola non distat Mediolano; sed se & simul carentia alterius vbicationis, per quam ipsa sit præsens Mediolano.

Ad secundum. Conc. ant. neg. cõs. Ostensum est in corpore indifferentiam ad essendum vel non essendum Mediolani stare cũm necessitate metaphsica essendi Romæ. Ad prob. concessa mai. nega min. Ad cuius probationem patet ex dictis. Non ideo Petrus non est essentialiter affixus spatio A, quia est indifferens ac esse vel non esse extra spatium A: sed quia potest non esse in spatio A. Hoc autem non cõuenit vbi Romano; quod ita est indifferens ad esse vel non esse extra Romam, vt nequeat non esse Romæ.

Ad tertium transmisso toto primo syllogismo nega min. subsumptam. Vbi Romanum positum Mediolani cum Petro & in Petro, est in Petro vt existente Romæ; & constituit Petrum Romæ formaliter: adeoq;

digito

digito oſtendens illud vbi Romanum replicatũ Mediolani dicere poteris: hoc vbi conuenit huic ſubiecto vt exiſtenti Romæ, nec eſt in hoc ſubiecto, niſi vt faciat illud exiſtens Romæ. Non eſt autem nouum formã aliquam præſtare in ſubiecto aliquam denominationem & non omnẽ quam tale ſubiectum ſuſtineat. Lac eſt album & dulce. Dulcedo eſt in albo formaliter vt dulci, & albedo in dulci formaliter vt albo. Etiamſi igitur in hoc ſubiecto quod eſt Mediolani ſit & vbi Romanum & vbi Mediolanenſe, & vnum vbi penetratiue cum alio: vbi Romanum erit in Petro exiſtente Mediolani, vt in ſubiecto exiſtente Romæ; & vbi Mediolanum in ſubiecto exiſtente Romæ, vt in ſubiecto exiſtente Mediolani. Poſitio autem vbi Romani in ſpatio Mediolanenſi non facit quin preſtet in Petro effectum formalem exiſtentis Romæ.

Ad quartum. Conc. ant. nega. conſ. Hæc vbicatio eſt eſſentialiter tanta & talis extenſio. Implicat autem in terminis tantam & talem extenſionem huic diuerſæ extenſioni vel nulli extenſioni congruere: puncti nulla eſt extenſio; ſpatij quadrati aut quodomodolibet angularis eſt diuerſa extenſio ab extenſione orbiculari: implicat igitur hanc illis conguere. Apparet hoc in duratione. Puta duratio horaria eſt eſſentialiter horaria: per hoc autem quod durationem eſſentialiter horariam contrahas ad quadrantem manifeſtum eſt te deſtruere ipſius eſſentiã, quod non eſt manifeſtum ſi vnam duratio-

nem

nem horariam simul cum alia duratione horaria fluentem intelligas. Eodem modo si extensionem localem palmarem ad spatium digitale contrahas, manifestum est hanc extensionem non manere palmaré: secus si hanc eandem cum altera æquali extensione cópenetres. Ad probationem consequentiæ, concesso. antec. nega consequentiá Ratio negandi terdicta est hactenus.

Ad quintum. Inuenies qui negent antec, Ad probationem, aiunt esse quidem de ratione successiui, vt vna pars post alteram fluat: per hoc autem quod simul fluat, non tolli, quod fluat post. Imò hoc ipsum dicimus quando dicimus replicari; videlicet illam eandeé durationé quæ vel ante vel post horam duodecimam ita fluit vt impossibile sit hanc ita non fluere, posse etiam simul cum duodecima fluere. Pariformiter igitur & de duratione & de vbicatione loquuntur vbi Romanum ita faciunt indifferens ad esse, vel non Mediolani, vt essentialiter áffigatur Romæ; durationem *B* ita faciũt indifferentem ad fluendum vel non fluendum cum duratione *A*; vt essentialiter fluere debeat post durationem A. Et sicut palmus *B* etiam replicatus in palmo *A*, est tamé essentialiter post palmũ *A*, & cum palmo *A* facit extensionem bipalmarem: ita duratio *B* etiam replicata in duratione *A*, est essentialiter post durationem A, & cum duratione A facit extensionem secundum tempus duplam durationis A.

Ad confirmationem distinguunt: vola ir-

irreuocabile tempus: reuocatione faciente vt iterum sit: nęga; faciente vt non fuerit: concede. Et hic est sensus huius proloquij eleganter expressus à Terentio his verbis: *factum infectum fieri nequit.* Quod dictum sit isti gratiam eruditorum. Idem dic de cognitione, quæ non propterea inemendabilis est, quia iterum esse nequeat, sed quia eo ipso quod immutetur; aliter tendit in obiectum, & consequenter non est eadem, quandoquidem modus tendendi est ipsamet cognitio, vt alibi dictum est.

Respondere tamen potes transmisso ant. neg. conseq. disparitatem potes tum ex dictis de conceptu soccessiui; tum ex eo quod nequeat existere duratio A nisi suo modo sit in natura tempus imaginarium cui illa aplicat rem quam facit durantem; tempus autem imaginarium hæsternum nequit esse nunc. At etiam dum vbicatio Romana est Mediolani, est in rerum natura suo modo locus imaginarius cui hæc aplicat rem locatam. Vno verbo: duo loca imaginaria simul sunt suo modo in natura: secus duo tempora. Adeoque vbicatio replicata simul locat rem cuius est vbicatio; duratio vero non faceret durantem, quia tempus imaginarium, cui essentialiter applicat; non est.

AR

ARTICVLVS VLTIMVS.

Expedimentur reliqua circa vbicationem.

DE vbicatione siue vna, siue multiplici quæ dicenda supersunt, per quæsita breuiter expedienda sunt.

Quæres primò quæ sit causa productiua vbicationis?

Resp. quamlibet rem vbicatam esse causam sufficientem suæ vbicatioois Quotiescunque aliquam creaturam cuiuslibet effectus dicimus causam sufficientem, non propterea excludimus concusum causæ primæ, sine qua nulla causa creata mouet hilũ. Præter rem vero vbicatam possunt ad hanc vel illam vbicatianem determinare hi vel illi motus antecedentes; hic vel ille impulsus; hic vel ille finis & alia huiusmodi, puta ad vbicationem qua sum hic, & cuius sum causa, & subiectum, determinant motus antecedens, impulsus, & per modum causæ finalis ipsamet prælectio. quam adeo diligenter scribitis.

Quæres secundo quandonam producatur hæc vbicatio qua ego sum hic?

Resp. produci in illo eodem instanti in quo ego sum hic. Immo per productionem seu per primum esse huius vbicationis ego sum formaliter hic, seu ponor formaliter hic. Oportet igitur in hoc eodem instanti, in quo sum primo hic, considerare & formam per quam formaliter sum, hic, & causam

sam talis formæ. In causa talis formæ non debet reperiri formaliter hæc ipsa forma; causa enim etiam adæquata tota quanta est, contradistinguitur à suo effectu. Hinc aliqui cruciantur sic ratiocinantes. Quando produco hoc meum hic, non sum nullibi: ergo vel sum hic vel alibi: non sum hic, quia si iam sum hic non est cur producam per quod sim hic: non alibi? quia implicat me alibi producere per quod sim hic: puta me producere vnquam in meo cubiculo rationem formalem per quam sim in hac schola; cum ratio formalis per quam sum in hac schola, sit essentialiter improducibili alibi quam in hac schola.

Tota hæc difficultas oritur, vt in alijs multis, ex confusione negationis cum præcisione. Et quidem in argumento proposito nulla est difficultas. Concesso toto primo entimemete; nega minorem. & dic me esse hic quando produco vbicationem per quã sum hic. Patet hoc ex dictis; quia in eodam instanti est prius, & posterius secundum naturam, immò per illud idem formaliter habetur ratio prioris, per quod habetur ratio posterioris. Quamuis igitur vbicatio sit effectus & ratio formalis per quam sum hic, non debeo antecedenter ad hanc ipsam formam per quam sum hic, esse hic, ad ipsam producendam. Argumentum igitur aliter proponatur. videlicet, In priori ad formam per quam sum hic non sum nullibi, ergo sũ hic vel alibi: neutrum dici potest: ergo, &c. Minor probatur; quia in priori ad formam

per quam sim hic non datur forma per qua sim hic: sed implicat me esse hic sine forma per quam sim hic, ergo in priori ad esse hic non sum hic; sed neque sum alibi; quia in illo eodem instanti sum hic; implicat autem in eodem instanti esse hic & alibi. Agimus enim de esse in loco vt naturaliter sumus: non autem vt esse possumus per replicationem: adde quod etiamsi alibi sim per replicationem, illud alibi impertinenter se habet ad rationem per quam sum hic Maior autem videtu nota ex terminis, quia quandocunque sum, alicubi sum ergo si in illo priori sum, non sum nullibi.

Resp. disting. mai. in illo priori non sum nullibi negatiue; conc. non sum nullibi præcisiuè nego. Causa productiua talis vbicationis, præscindit ab omni vbicatione: hoc est non includit vllam vbicationem: sed neque negationem vbicationis. Cum enim prius & posterios sint in eodem instanti & vbicatio sint in instanti A, implicat in eodē instanti esse negationem vbicationis: ne vbicatio sui negationi coexistat. Semel pro semper intelligendus est sensus istarum propositionum. *In priori est hoc, & non illud. In priori non est neque hoc neq; illud* & similium. In priori esse A & non esse B est quod A se teneat ex parte causæ non autem B. In priori non esse neque A neque B, est quod neque A neque B pertineat ad causam, seu sint ex constitutiuis causæ seu actus primi adæquati. In priori ad vbicationem qua corpus primo vbicatur non est

ne-

neque vbicatio ipsa, neque negatio vbicationis, quia nec vbicatio nec negatio vbicationis sunt causa aut de actu primo vbicationis quæ ponitur; sicut in priori ad lucem hoc est in toto actu primo lucis non est neque lux neq; negatio lucis: quia neq; lux neq; negatio lucis est de actu primo ad luce vt patet ex dictis.

Ad probationem patet ex dictis. Aliud est rem esse alicubi quandocunque est, quod nihil aliud significat, nisi rem in nullo instanti esse nullibi: aliud esse alicubi in priori ad id ipsum ad quod est prior, & per quod est prior, & per quod est alicubi. Res in illo instanti, in quo per formam A seu per vbi A est hic, est prior ipsa forma per quam est hic: sed non includit in ratione prioris ipsam formam per quam est hic, nec vllam aliam per quam sit alibi, adeoq; neque est hic, neque alibi in priori: hoc est: non ponitur in actu primo proximo ad hanc vbicationem per hanc vbicationem, neque per vllam aliam.

Quæres tertiò. An vbi quod replicatur replicetur per aliud vbi? Ratio dubitandi est; quia diximus passim non dari actionis actionem, vnionis vnionem, vbicationis vbicationem, ne vsdelicet detur processus in infinitum.

Resp. non obstantibus ijs, quæ diximus vbi, cum replicatur, vbicari per aliud vbi. Probatur: quia vbi quod replicatur ita ponitur in loco, in quo ponitur per replicationem, vt sit indifferens ad esse vel non es-

se in illo loco, etiam in sensu composito essendi in rerum natrra; igitur denominatio essendi in illo loco non habetur formaliter pet hoc, quod ipsum sit, & locus etiam sit, in quo est: igitur requiritur aliquid aliud, hoc autem aliud nihil est quam illud vbi, per quod ponitur ibi vbi posset non esse. Vides eandem rationem militare pro vbi superaddito in replicatione ipsius vbi, quæ militat pro vbi superadito Petri & cuiusl ibet alterius rei, nimirum rationem indefferentiæ.

Ad ea quæ dicuntur in oppositum dic vbi non indigere alio vbi vt sit vbi essentialiter est, & vbi est eo ipso quod sit, in quo apparet manifesta disparitas. Considera igitur ubi Romanum Petri replicatum Mediolani. Romæ habet de sua essentia esse Romæ, & ponere Petrum Romæ; Mediolani autem recipipit aq vbi superaddito essentialiter affixo Mediolani, ibidem esse. Effectum igitur formalem essendi Romæ præstat & sibi intransitiue & transitiue Petro; effectum vero formalem essendi Mediolani transitiue recipit ab ubi Mediolanensi habente de sua essentia esse Mediolani: vnde dicitur ubi Romanum esse per se Romæ, per accidens autem Mediolani.

Ex hanc doctrina habes ubi Romanum replicatum Mediolani semper præstare suũ effectum formalem. Ratio est quia etiã replicatum Mediolani ubicat suum subiectum Romæ, & in subiecto existente Mediolani

facit

facit vi idem sit Romæ. Quod si dicas: non facit Mediolani vt Romæ, ergo non præstat suum effectum formalē Mediolani. Respondeo concesso antecedenti: negando supositum consequentis. Quia effectus formalis vbi Romani non est ponere rem Mediolani. Si rursus inferas: ergo est alicubi vbi non præstat suum effectum formalem; distinguo consequens: est alicubi localiter, vbi non præstat suum effectum formalem: concedo, alicubi subiectiue: nego. Non est in ullo subiecto in quo non præstet id quod essentialiter præstat. Facere autem ut subiectum Mediolani quatenus Mediolani sit Romæ, est inepta reduplicatio.

Actio ipsa quæ est modus rei actæ facit essentialiter rem actam, non tamen rem actam hic, etiamsi actio sit hic: sed esse actam res habet ab actione seu per actionē, esse actam hic habet per actionem & vbicationem, qua est hic. Diuum est enim actionem non esse alligatam his vel illis circumstantijs sed indifferentem ad has vel illas. Sic igitur argueret Aduersarius: modus non potest esse vbi non præstat effectum formalem: sed actio etiam quæ est hic non facit rem actam hic vt hic; ergo actio non potest esse hic. Eodem modo solue hoc argumentum quo soluisti primum; ostendendo per quid formaliter res sit acta, & per quid & actio & res sint hic, videlicet non per vnam eandemque formam; vt dictum est.

sitiuo: conc. secundum omne quod dicit distantia; nego. Quando dictum est in explicatione loci immobilitatem importare talem distantiam aut propinquitatem ab his vel illis punctis realiter vel imaginarie fixis; intellectum est de proquinquitate & distātia secundum id quod vtraq; vel vtralibet dicit de positiuo. Patet hoc, quia hoc vbi non solum est distantia sui, sed etiam distantia rei quam vbicat; est enim locus non modo sui sed rei locatæ. Manifestum est autem rem locatam non distare ab hoc vel illo corpore per hanc vbicationem præcise, sed per hanc & carentiam alterius. Eodem modo hæc vbicatio se sola non distat Mediolano; sed se & simul carentia alterius vbicationis, per quam ipsa sit præsens Mediolano.

Ad secundum. Conc. ant. neg. cōs. Ostensum est in corpore indifferentiam ad essendum vel non essendum Mediolani stare cūm necessitate metaphsica essendi Romæ. Ad prob. concessa mai. nega min. Ad cuius probationem patet ex dictis. Non ideo Petrus non est essentialiter affixus spatio A, quia est indifferens ad esse vel non esse extra spatium A: sed quia potest non esse in spatio A. Hoc autem non cōuenit vbi Romano; quod ita est indifferens ad esse vel non esse extra Romam, vt nequeat non esse Romæ.

Ad tertium transmisso toto primo syllogismo nega min. subsumptam. Vbi Romanum positum Mediolani cum Petro & in Petro, est in Petro vt existente Romæ; & constituit Petrum Romæ formaliter: adeoq;

digito

digito ostendens illud vbi Romanum replicatū Mediolani dicere poteris: hoc vbi conuenit huic subiecto vt existenti Romæ, nec est in hoc subiecto, nisi vt faciat illud existens Romæ. Non est autem nouum formā aliquam præstare in subiecto aliquam denominationem & non omnē quam tale subiectum sustineat. Lac est album & dulce. Dulcedo est in albo formaliter vt dulci, & albedo in dulci formaliter vt albo. Etiamsi igitur in hoc subiecto quod est Mediolani sit & vbi Romanum & vbi Mediolanense, & vnum vbi penetratiue cum alio: vbi Romanum erit in Petro existente Mediolani, vt in subiecto existente Romæ; & vbi Mediolanum in subiecto existente Romæ, vt in subiecto existente Mediolani. Positio autem vbi Romani in spatio Mediolanensi non facit quin prestet in Petro effectum formalem existentis Romæ.

Ad quartum. Conc. ant. nega. conſ. Hæc vbicatio est essentialiter tanta & talis extensio. Implicat autem in terminis tantam & talem extensionem huic diuersæ extensioni vel nulli extensioni congruere: puncti nulla est extensio; spatij quadrati aut quodomodolibet angularis est diuersa extensio ab extensione orbiculari: implicat igitur hanc illis conguere. Apparet hoc in duratione. Puta duratio horaria est essentialiter horaria: per hoc autem quod durationem essentialiter horariam contrahas ad quadrantem manifestum est te destruere ipsius essentiā; quod non est manifestum si vnam duratio-

nem

nem horariam ſimul cum alia duratione horaria fluentem intelligas. Eodem modo ſi extenſionem localem palmarem ad ſpatium digitale contrahas, manifeſtum eſt hanc extenſionem non manere palmarẽ: ſecus ſi hanc eandem cum altera æquali extenſione cõpenetres. Ad probationem conſequentiæ, conceſſo antec. nega conſequentiã Ratio negandi terdicta eſt hactenus.

Ad quintum. Inuenies qui negent antec. Ad probationem, aiunt eſſe quidem de ratione ſucceſſiui, vt vna pars poſt alteram fluat: per hoc autem quod ſimul fluat, non tolli, quod fluat poſt. Imò hoc ipſum dicimus quando dicimus replicari; videlicet illam eandẽ durationẽ quæ vel ante vel poſt horam duodecimam ita fluit vt impoſſibile ſit hanc ita non fluere, poſſe etiam ſimul cum duodecima fluere. Pariformiter igitur & de duratione & de vbicatione loquuntur vbi Romanum ita faciunt indifferens ad eſſe, vel non Mediolani, vt eſſentialiter affigatur Romæ; durationem *B* ita faciũt indifferentem ad fluendum vel non fluendum cum duratione *A*; vt eſſentialiter fluere debeat poſt durationem A. Et ſicut palmus *B* etiam replicatus in palmo *A*, eſt tamẽ eſſentialiter poſt palmũ *A*, & cum palmo *A* facit extenſionem bipalmarem: ita duratio *B* etiam replicata in duratione *A*, eſt eſſentialiter poſt durationem A, & cum duratione A facit extenſionem ſecundum tempus duplam durationis A.

Ad confirmationem diſtinguunt: volat ir-

irreuocabile tempus : reuocatione faciente vt iterum sit : nęga ; faciente vt non fuerit : concede. Et hic est sensus huius proloquij eleganter expressus à Terentio his verbis : *factum infectum fieri nequit.* Quod dictum sit isi gratiam eruditorum. Idem dic de cognitione, quæ non propterea inemendabilis est, quia iterum esse nequeat, sed quia eo ipso quod immutetur ; aliter tendit in obiectum, & consequenter non est eadem, quandoquidem modus tendendi est ipsamet cognitio, vt alibi dictum est.

Respondere tamen poter s transmisso ant. neg. conseq. disparitatem potes tum ex dictis de conceptu successiui ; tum ex eo quod nequeat existere duratio A nisi suo modo sit in natura tempus imaginarium cui illa aplicat rem quam facit durantem ; tempus autem imaginarium hæsternum nequit esse nunc. At etiam dum vbicatio Romana est Mediolani, est in rerum natura suo modo locus imaginarius cui hæc aplicat rem locatam. Vno verbo : duo loca imaginaria simul sunt suo modo in natura : secus duo tempora. Adeoque vbicatio replicata simul locat rem cuius est vbicatio ; duratio vero non faceret durantem, quia tempus imaginarium, cui essentialiter applicat ; non est.

AR

ARTICVLVS VLTIMVS.

Expedimentur reliqua circa vbicationem.

DE vbicatione siue vna, siue multiplici quæ dicenda supersunt, per quæsita breuiter expedienda sunt.

Quæres primò quæ sit causa productiua vbicationis?

Resp. quamlibet rem vbicatam esse causam sufficientem suæ vbicatioois Quotiescunque aliquam creaturam cuiuslibet effectus dicimus causam sufficientem, non propterea excludimus concursum causæ primæ, sine qua nulla causa creata mouet hilũ. Præter rem vero vbicatam possunt ad hanc vel illam vbicatianem determinare hi vel illi motus antecedentes; hic vel ille impulsus; hic vel ille finis & alia huiusmodi, puta ad vbicationem qua sum hic, & cuius sum causa, & subiectum, determinant motus antecedens, impulsus, & per modum causæ finalis ipsamet prælectio quam adeo diligenter scribitis.

Quæres secundo quandonam producatur hæc vbicatio qua ego sum hic?

Resp. produci in illo eodem instanti in quo ego sum hic. Immo per productionem seu per primum esse huius vbicationis ego sum formaliter hic, seu ponor formaliter hic. Oportet igitur in hoc eodem instanti, in quo sum primo hic, considerare & formam per quam formaliter sum, hic, & causam

sam talis formæ. In causa talis formæ non debet reperiri formaliter hæc ipsa forma; causa enim etiam adæquata tota quanta est, contradistinguitur à suo effectu. Hinc aliqui cruciantur sic ratiocinantes. Quando produco hoc meum hic, non sum nullibi: ergo vel sum hic vel alibi: non sum hic, quia si iam sum hic non est cur producam per quod sim hic: non alibi? quia implicat me alibi producere per quod sim hic: puta me producere vnquam in meo cubiculo rationem formalem per quam sim in hac schola: cum ratio formalis per quam sum in hac schola, sit essentialiter improducibili alibi quam in hac schola.

Tota hæc difficultas oritur, vt in alijs multis, ex confusione negationis cum præcisione. Et quidem in argumento proposito nulla est difficultas. Concesso toto primo entimemete; nega minorem. & dic me esse hic quando produco vbicationem per quā sum hic. Patet hoc ex dictis; quia in eodam instanti est prius, & posterius secundum naturam, immò per illud idem formaliter habetur ratio prioris, per quod habetur ratio posterioris. Quamuis igitur vbicatio sit effectus & ratio formalis per quam sum hic, non debeo antecedenter ad hanc ipsam for mam per quam sum hic, esse hic, ad ipsam producendam. Argumentum igitur aliter proponatur. videlicet, In priori ad formam per quam sum hic non sum nullibi, ergo sū hic vel alibi: neutrum dici potest: ergo, &c. Minor probatur; quia in priori ad formam

per quam sim hic non datur forma per qua sim hic: sed implicat me esse hic sine forma per quam sim hic, ergo in priori ad esse hic non sum hic; sed neque sum alibi; quia in illo eodem instanti sum hic; implicat autem in eodem instanti esse hic & alibi. Agimus enim de esse in loco vt naturaliter sumus: non autem vt esse possumus per replicationem: adde quod etiamsi alibi sim per replicationem, illud alibi impertinenter se habet ad rationem per quam sum hic Maior autem videt'u nota ex terminis, quia quandocunque sum, alicubi sum ergo si in illo priori sum, non sum nullibi.

Resp. disting. mai. in illo priori non sum nullibi negatiue; conc. non sum nullibi præcisiuè nego. Causa productiua talis vbicationis, præscindit ab omni vbicatione: hoc est non includit vllam vbicationem: sed neque negationem vbicationis. Cum enim prius & posterios sint in eodem instanti & vbicatio sint in instanti A, implicat in eodē instanti esse negationem vbicationis: ne vbicatio sui negationi coexistat. Semel pro semper intelligendus est sensus istarum propositionum. *In priori est hoc, & non illud. In priori non est neque hoc neq; illud* & similium. In priori esse A & non esse B est quod A se teneat ex parte causæ non autem B. In priori non esse neque A neque B, est quod neque A neque B pertineat ad causam, seu sint ex constitutiuis causæ seu actus primi adæquati. In priori ad vbicationem qua corpus primo vbicatur non est ne-

neque vbicatio ipsa, neque negatio vbicationis, quia nec vbicatio nec negatio vbicationis sunt causa aut de actu primo vbicationis quæ ponitur; sicut in priori ad lucem hoc est in toto actu primo lucis non est neque lux neq; negatio lucis: quia neq; lux neq; negatio lucis est de actu primo ad luce vt patet ex dictis.

Ad probationem patet ex dictis. Aliud est rem esse alicubi quandocunque est, quod nihil aliud significat, nisi rem in nullo instanti esse nullibi: aliud esse alicubi in priori ad id ipsum ad quod est prior, & per quod est prior, & per quod est alicubi. Res in illo instanti, in quo per formam A seu per vbi A est hic, est prior ipsa forma per quam est hic: sed non includit in ratione prioris ipsam formam per quam est hic, nec vllam aliam per quam sit alibi, adeoq; neque est hic, neque alibi in priori: hoc est: non ponitur in actu primo proximo ad hanc vbicationem per hanc vbicationem, neque per vllam aliam.

Quæres tertiò. An vbi quod replicatur replicetur per aliud vbi? Ratio dubitandi est; quia diximus passim non dari actionis actionem, vnionis vnionem, vbicationis vbicationem, ne vsdelicet detur processus in infinitum.

Resp. non obstantibus ijs, quæ diximus vbi, cum replicatur, vbicari per aliud vbi. Probatur: quia vbi quod replicatur ita ponitur in loco, in quo ponitur per replicationem, vt sit indifferens ad esse vel non es-

se in illo loco, etiam in sensu composito essendi in rerum natrra; igitur denominatio essendi in illo loco non habetur formaliter pet hoc, quod ipsum sit, & locus etiam sit, in quo est: igitur requiritur aliquid aliud, hoc autem aliud nihil est quam illud vbi, per quod ponitur ibi vbi posset non esse. Vides eandem rationem militare pro vbi superaddito in replicatione ipsius vbi, quæ militat pro vbi superadito Petri & cuiuslibet alterius rei, nimirum rationem indefferentiæ.

Ad ea quæ dicuntur in oppositum dic vbi non indigere alio vbi vt sit vbi essentialiter est, & vbi est eo ipso quod sit, in quo apparet manifesta disparitas. Considera igitur ubi Romanum Petri replicatum Mediolani. Romæ habet de sua essentia esse Romæ, & ponere Petrum Romæ; Mediolani autem recipipit aq vbi superaddito essentialiter affixo Mediolani, ibidem esse. Effectum igitur formalem essendi Romæ præstat & sibi intransitiue & transitiue Petro; effectum vero formalem essendi Mediolani transitiue recipit ab ubi Mediolanensi habente de sua essentia esse Mediolani: vnde dicitur ubi Romanum esse per se Romæ, per accidens autem Mediolani.

Ex hanc doctrina habes ubi Romanum replicatum Mediolani semper præstare suũ effectum formalem. Ratio est quia etiã replicatum Mediolani ubicat suum subiectum Romæ, & in subiecto existente Mediolani

facit vi idem sit Romæ. Quod si dicas: non facit Mediolani vt Romæ, ergo non præstat suum effectum formalẽ Mediolani. Respondeo concesso antecedenti: negando supositum consequentis. Quia effectus formalis vbi Romani non est ponere rem Mediolani. Si rursus inferas: ergo est alicubi vbi non præstat suum effectum formalem; distinguo consequens: est alicubi localiter, vbi non præstat suum effectum formalem: concedo, alicubi subiectiue: nego. Non est in ullo subiecto in quo non præstet id quod essentialiter præstat. Facere autem ut subiectum Mediolani quatenus Mediolani sit Romæ, est inepta reduplicatio.

Actio ipsa quæ est modus rei actæ facit essentialiter rem actam, non tamen rem actam hic, etiamsi actio sit hic: sed esse actam res habet ab actione seu per actionẽ, esse actam hic habet per actionem & vbicationem, qua est hic. Diuum est enim actionem non esse alligatam his vel illis circumstantijs sed indifferentem ad has vel illas. Sic igitur argueret Aduersarius: modus non potest esse vbi non præstat effectum formalem: sed actio etiam quæ est hic non facit rem actam hic vt hic; ergo actio non potest esse hic. Eodem modo solue hoc argumentum quo soluisti primum; ostendendo per quid formaliter res sit acta, & per quid & actio & res sint hic, videlicet non per vnam eandemque formam; vt dictum est.

QVÆSTIO VI.

De Vacuo.

ARTICVLVS I.

An sit possibile.

AGimus hic de Vacuo non secundum conceptum vulgi, sed secundum conceptum sapientium. Vulgus vacum vocat quicquid alicui rei continendæ specialiter deputatum, re illa caret, vel alia ad sensum æquiualenti. Ita crumenam carentem nummis, lagenam carentem vino vacuas vocant, quamuis hæc & illa saltem aere repleantur. Vacuum à Philosophis definitur: *locus carens corpore contento*. Ex hac definitione habes ad rationem vacui requiri locum, qui sit capax corpus aliquod continere, & præterea quod in tali loco nullum corpus existat. Ex his duo inferens, Primum est, quod quamuis extra mundum nullum sit corpus, non propterea extra mundum datur vacuum: cum non detur ibi locus aptus corpori continendo. Secundum est, quod si locus aliquis ita occupetur à substantijs spiritualbus, vt ab eo abigant omne corpus, eo ipso datur vacuum.

De Vacuo fusè disputat Aristoteles 4. Physic. ostendens illud simpliciter repugnare. Ex recentioribus multi vacuum admittunt. Inter cæteros est P. Magnus, qui li-

librum scripsit cui titulus est: *Ocularis demonstratio Vacui*. Et vere in illo experimento quod adducit oculi nullum corpus intra fistulam depræhendunt: adeoque si intellectus oculis nihil præstat, nec ipse intellectus inuenit quo fistula repleatur. Experimentum illud adducetur inferius, & quam demonstrat oculis dari vacuum, tam demonstrabit intellectui vacuum repugnare. Sint igitur duæ conclusiones.

Prima. Vacuum naturaliter repugnat. Naturã abhorrere à vacuo innumeris experimentis fit manifestum. Inter alia est illud familiale de cucurbitulis (vuglo ventosas vocant) quibus medici passim vtuntur. Nam in ijs cum aer reducit se ad debitam densitatem, euanescente videlicet calido à quo raruerat, experientia constat carnem attolli, vt relictum ab aere spatium impleat. Immò si Chirurgus eas ab humeris auulsurus recta sursum attollat, diffringit potius quam auellat. Vnde eas aliquantisper eleuans ab vna parte retrahit, & aer subingrediens finit illas auelli.

Præterea si lagenam aqua, vel vino plenã operto orificio inueteris, sæpe continget nihil ex ipsa effluere, nisi illam tantisper inclines; videlicet vt per canaliculum sese insinuans aer pergat ad occupandum locum, qui deferendus est à liquore effluente, & quia si recta inuertatur non habet aer qua se insinuet, ideo nihil effluit. Hoc idem sæpe experiuntur Acholiti dum ex am-

pulla bene obturata in superiori orificio, nihil effluit in calicem ex protenso canaliculo quamuis aperto.

Denique est quotidianum experimentum in tubis, quod vulgò *Trombas* appellant, quibus Nautę ad euacuandus naues, olitores ad irrigandas carotas, Romani ad exhauriendas post inundationem Tiberis, cellas subterraneas passim vtuntur. In ijs attracto sursum aere, aqua ascendit ad quamlibet altitudinem, ne intra tubum non sit neque aqua, neque aer, adeoque vllum corpus. Sunt infinita alia, quæ sponte omittimus vt pote obuia cum in vsu versentur quotidiano.

Ratio à priori cur natura vacuum abominetur est necessitas contiguitatis corporum inter se, ad accipiendas & transmittendas influentias vnius in aliud, mediorum videlicet in inferiora, superiorum in media, & per media ad reliqua omnia. Quod si supponas vacuum, vel digitale circa te; cælestes influxus conseruationi tuæ necessarij hærebunt in illa vltima superficie, & cum post hanc nihil sit in quo fiat propagatio qualitatem (nec enim queunt esse sine subiecto) numquam vsque ad te aliuum qualitatum propagatio fiet. Propterea natura quæ conseruationi sui maximoperè studet, contiguitatem huiusmodi summopore amat, & quo amore amat contiguitatem corporum cum corporibus; vacuum detestatur.

Secunda conclusio. Potest per diuinam om-

omnipotentiam dari vacuum. Probatur conclusio, quia tota vis quam natura adhibet ad impediendum vacuum, superari potest per diuinam omnipotentiam: ergo per eandem poterit dari vacuum. Antecedens probatur respondendo obiectionibus, si vllæ ab Aduersarijs afferantur. Sed quia posse fieri per diuinam omnipotentiam vix est qui neget: posse fieri per natura multi affirment, his satisfaciendum est.

Obijcitur primo, experimentum P. Magni. Accipe fistulam vitream in clausam ex vna parte, vt nullum corpus vel tenuissimum introgredi possit. Imple fistulam mercurio, siue argento viuo, & qua parte patet crasso digito occlude. Deinde in concham alio mercurio plenam im merge; nec retrahe digitum donec fistula secundũ viuum ex parte deorsum ruere, & in spatio relicto, quod erit trium, vel quatuor digitorum, pro magnitudine, vel paruitate, tibi, edere vibrationes quasdam, & fluctuare, donec postmodum planè conquiescat.

In hoc experimento patet ad oculum locus relictus à mercurio in superiori parte fistulæ; in hunc locum nullum corpus successit mercurio descendenti: supponitur enim fistula hermetice clausa, itaut nihil ualeat sese intus insinuare. Ex parte autem inferiori, qua videlicet fistula immergitur, supponitur adesse mercurius, & tollere locum omni alteri corpori, quod sursum ascendat. Quod si natura ita abhorret uacuum, vt aliquod corpus necessario debeat

esse intra locum, qui apparet in tubo, potior ratio est remanendi in mercurio iam possidente hunc locum, quam succedendi abeunti mercurio, in quolibet alio corpore. In hoc experimento alia speculantur. Videlicet lucem stare sine subiecto, adeoque falsam esse doctrinam peripateticam vel in eo quod dicit lucem esse accidens, vel in eo quod dicit accidens esse non posse sine subiecto. Præterea per fistulam hoc modo au... uam rerum species transmittuntur videtur enim tuum mercurius ipse intra fistula clau... us, tum alia corpora, quæ trans fistula sunt quæ omnia patent cuilibet oculato.

Resp. hoc experimento probari impossibilitatem vacui afferendo rationes cur tantum, & non plus descendat mercurius. Dico igitur particulas quasdam magis tenues & spiritosas eiusdem mercurij, vel etiam tenuissima quædam corpuscula immixta mercurio ità carefieri, vt impleant spatium supra relictum. Ad mensuram talis rarefactionis descendit mercurius, qui propterea edit vibrationes prædictas, quasi tentas descendere vlterius, sed impotens. Natura enim debet & continere mercurium sursum contra inclinationem eiusdem, & ipsius spiritus rarefacere contra eorumdem exigentiam. Quamdiu autem facilius est prædicta corpuscula rarefacere, quam continere mercurium, sinit mercurium descendere: sed quia post ingentem rarefactionem magis repugnat vlterior rarefactio, quam suspensio mercurij: propterea abstinet à ra-

refa-

refactione maiori, & suspendit mercurium Hac est ratio cur tantum, & non plus descendat mercurius, de quo nullam rationem reddnnt vacui propugnatores.

Fundatur autem hęc ratio in naturali exigentia, quæ inest cuilibet substantiæ huius, vel illius qualitatis: quę quamuis possit, hoc vel illo modo imminui, aut admisceri contrariæ, nequit tamen sine ipsa in quandam determinata mensura stare substantia. Puta frigus, & densitas debetur aquæ: posses tamen ità alterare aquam calefaciendo, & rarefaciendo, vt ex aqua faceres aerem; quia quamuis aqua sit capax caloris, & raritatis, nequit tamen cum qualibet iactura frigoris, & densitatis vlterius conseruari.

Quod dictũ est in experimento posito patet ad oculum. Si quis enim vel subtilissime superforet fistula, itaut vel minimũ aeris sese insinuet: videt prædictos spiritus, seu corpuscula ad debita densitate redire, & ex interiori superficie tubi guttari deorsũ fluere.

Obij. 2. Demittatur perpendiculariter columna perfectissime complanata super basim item perfectissime complanata. Hoc postulatum videtur negari non posse. Hoc tamen dato, vel admittendum est vacuum, vel negandum quod basis, & columna possint se mutuo immediatè contingere; secundum est absurdum; ergo admittendum est primũ. Maior probatur, quia superficies columnæ nequit immediate applicari superficiei basis, nisi excludatur totus aer inter columnam, & basim; si enim maneat aer in-

termedius, non se immediate contingent: Rursus aer ille nequit excludi, nisi per motum localem, adeoq; diffundi debet per circumferentie colnmnæ, & basis. Priusquam autem ad extremam tam columnæ quam basis oram perueniat, recisse debet à medio. In illo autem medio nullum aliud corpus successit, nondum enim columna basim attingit, cum inter hanc & ipsam intermediet aer diffusus à medio ad circumferentiam; ergo in illo medio datur vacuum.

Hoc vt melius intelligas diuide superficiē basis & columnæ in varios circulos alios alijs maiores, donec deuenias ad vltimū, qui in extrema vtriusq; ora erit amplissimus. Aer recedens à primo interiori circulo implet secundum, & exclusus per compressionem à secundo implet tertium, & sic de cæteris, donec extra columnam, & basim totus aer effluat. Quamdiu autem intra columnam, & basim aliquid aeris restat, columna non tangit basim. Probatur hoc, quia cum basis, & columna sint perfecte complanatæ, & hæc perpēdiculariter cadat supra illam, nequeunt se contingere secundum vnam partem, quin se contingant secundum omnes: sed in tali casu non se contingunt secundum omnes; ergo non se contingunt secundam vllam. Minor probatur; quia adhuc inter extrema vtriusque mediat aer. Rursus non se contingunt in medio, & tamen iam à medio exclusus est aer; ergo inter columnam, & basim datur vacuum: probatur consequentia: quia loco aeris exclusi

nul-

nulsum corpus successit.

In tractatu de continuo inuenies negari passim illa postulata, per quæ plana perfecta perfectę sphęræ postulantur: non ob difficultatẽ hic propositã, sed ob maiores: quæ ibi proponentur. Qui negat alicubi postulata huiusmodi, debent semper illa negarẽ adeoq; non premuntur hic hoc argumento. Nos in præsentia damus postulatum, & hoc dato, negamus maiorem. Dicimus autẽ columnam inter & basim in casu posito intercedere tenuissimum, & insensibile velum aeris, sicut intercederet, v.g. tenuissimũ velum aquæ, vel olei si columna & basis aqua maderet vel oleo. Hoc autem non impedit quin columna, & basis immediatè se tangat immediatione contactus physici: quamuis in rigore metaphysico reipsa contactus immediatus non sit columnæ, & basis. Sicut autem columna, vel basis mederet oleo, ridiculus esset qui diceret columnam marmorea non basi fulciri, sed oleo ita ridiculus erit, qui in casu positu, dicet columnæ fulcrum esse aerem, non marmos, cũ aeris velũ sit incomparabiliter tenuius velo olei, quod haberetur in alio casu. Dicitur autem contactus physicè immediatus; quia aer intermedius nequit per sensum deprehendi

Obijc. 3. Sint duæ tabulæ perfecte complanatæ: altera alteri superponatur: post vero superior ab inferiori tota simul eleuetur, itaut in eleuatione maneant parellelæ. In tali casu dabitur vacuum: ergo vacuũ est naturaliter possibile. Minor probatur.

quia

quia aer subingrediens non venit ad mediũ nisi transeat prius inter extrema vtriusq; Igitur dum aer est inter extrema, & nondũ in medio, datur in modio vacuum: nam duæ tabulæ prædictæ non se contiugunt in medio, sicut non se contingunt secundum catera, in quibus iam successit aer.

Resp. quod in casu posito neque Oglandus, neque Briaræus, nec vtorque simul tabulam auellet à tabula; sed ad eleuationem vnius, altera etiam eleuabitur, non alio visco conglutinata, quam periculo vacui. Hoc vt experiare; accipe tabulam planam: hac apuæ placidæ in concha, vel situla superpone: deinde tabulam recta eleua, seruatis aquæ & tabulæ paralellis; videbis te simul cum tabula aquam sursum trahere, quod erat demonstrandum.

Obijc. 4. Motus localis fieri nequit, nisi in vacuo; datur motus locatis: ergo datur vacuum. Maiorem probant veteres, quia in pleno nequit corpus moueri localiter, putà lapis, qui est intra viscera huius parietis nequit hac illac moueri;

Resp. negando maiorem. Ad probationem. Sic mouemur localiter in aere; sicut piscet in aqua.

Dicæs: ergo ad motum vnius culicis mouetur totus aer qui est in mundo: Consequens est absurdum: ergo & antecedens Probatur consequentia? quia culex abiens pellit aerem sibi proximum, aer proximus pulsus alium sibi proximum pellit. g. sic vsque ad vltimem supetficiem aeris

Præ-

Præterea in locum culicis abeuntis succedit æqualis moles aeris circumfusi: loco aeris succedentis succedit alius,& alius,& sic vsque ad superficiem, quæ contingit vel concauum lunæ,vel concauum Firmamenti.Patet hoc in concha,in cuius medium si vel leuissimus aut tenuissimus lapillus inciderit, tota aqua in circulos cõmmouetur incipiendo à minimo.circa lapillum, desinendo in maximum circa oram conchæ.Qua similitudine vtuntur Patres Spirituales vt explicent minimam etiam culpam in maximas plerunque abire.

Resp. negando consequentiam. Sicut Pisciculus aquam mouens circa se in mari, non commouet totum oceannum: ita & culex commouens aerem circa se, non agitat totam aeris massam. Immo minimum aeris commouet ad motum aeris sibi propinqui. In concha ipsa quæ ad explicationem adducitur patet quod corpusculem decidens ita leuiter mouet aquam circumfluam, vt ad nullam pene distantiam sensibilem moueatur. Quando igitur corpus siue magnum siue paruum mouetur in aere, aliquid aeris condensatur & aliquid rarefit: id quod rarefit implet locum relictum a corpore quod mouetur,corpus ipsum quod mouetur implet de spatio relicto ab aere qui densatur: commotio autem aeris est ad Proportionem corporis quod moretur,nũquam autem ad distantiam valde notabilem extenditur, ob summam facilitatem aeris, tum ad se condensandum, tum ad raresendum.

Obijc,

Obij. 5. Conatus ad inducendum vacuum potest crescere magis & magis in infinitū: vis impeditiua vacui semper est maior tali conatu: ergo vis impeditiua vacui est infinita.

Resp. transmissa maiori: & concessa minori; negando consequentiam. Conatus prædictus quantumuis crescat, numquam est infinitus? adeoque vis resistitiua eidem, vt sit super ipsvm, non est necesse quod sit infinita: sufficit autem incrementum in virtute semper esse supra incrementum in conatu, v. g. quando conatus ad vacuum est vt tria, vis resistitiua sit vt quatuor: qnando ille est vt quatuor, hæc sit vt quinque; immo etiamsi æqualiter crescāt quando tantumdem resistis quantum impugnaris, non vinceris.

Denique Obijcitur contra secundam Conclusionem: Est impossibilis locus carens trina dimensione: vbi datur trina dimensio non datur uacuum. ergo impossibile est dari uacuum. Antecedens probatur; quia intra quamlibet concauam superficiem datur profunditas, longitudo, & latitudo, itaut Mathematicus possit iufinita ibi describere.

Resp. negando maiorem. Ad probationem dic quod in uacuo dantus prædictæ dimensiones non reales, sed imaginariæ, adeoq; æque sufficit Mathematicis uacuum ac nobis plenum.

ARTICVLVS II.

De motu in Vacuo.

VEteres contra Philosophum assumebant dari uacuum; quia sine uacuo motus localis saluari non poterat. Aristoteles contra ipsos negat dari uacuum; quia in uacuo fieri nequit motus localis. Argumentum Veterum solutum est quæstione superiori. Discursus Philosophi est hic examinandus, Sic igitur ratiocinatur Aristoteles.

Motus grauium & leuium fieri nequit in instanti; in vacuo fieret in instanti: argo in vacuo fieri nequit. Maiorem vt indubitatã assumit Philophus, nec repugnant ij quibuscum disputat, animaduertentes in omni motu locali esse prius & posterius, & mobile, vt ab extremo transeat ad extremum, transire prius Per medium. Tota igitur difficultas est in probanda minori. Probatur autem sic. Maior & minor velacitas grauium in descensu, leuium in ascensu determinatur à maiori vel minori resistentia medij; in vacuo nulla esset medij resistentia: ergo esset infinita velocitas: adeo que in instanti à concauo Lunæ lapis descenderet supra terram: ascenderet ignis à terra ad concauum Lunæ, Maior vltimi syllogismi probatur experientia & ratione. Quia videmus eundem lapidem velocius ferri deorsum in aere, quam in aqua:

eo quod plus resistat aqua quam aer. Vnde enim maior hæc tum velocitas tū tarditas, nisi à resistentia maiori vel minori illius corporis quod à mobili permeatur? Quod autē in vacuo nullum huiusmodi corpus daretur est idipsum quod supponitur.

Totus hic discursus est liquidus. Dubitatur autem an ea quibus innititur sint principia ipsius Philosophi, an potius Aduersariorum, ijsq; vtatur Philosophus vt argumentetur ad hominem: Nos tum ob auctoritatem multorum sic opinantium, tum ob ea quæ dicturi sumus inferius, putamus hunc discursum niti principijs non Aristotelicis, sed receptis apud eos quibuscum Aristoteles contendebat, adeoque Philosophum hic argumentari ad hominem.

Dicendum. In vacuo fieret motus localis grauium & leuium. Ad intelligentiam conclusionis finge Scolam hanc vacuam esse. In tali hypothesi pilam ferream imaginare suspensam vel è fornice: vel in ipso medio vacui itaut nullum vsquam corpus contingat. Si ponatur contingua fornici, non cadet deorsum. Si in medio, deorsum ruet. Hoc autem est moueri in vacuo. Non cadet si contingat fornicem, quia per huiusmodi casum daretur noua disiunctio corporis à corpore. Cadet in secundo casu; quia disiunctione huiusmodi non faciet.

Conclusio sic explicata probatur: quia non est vlla ratio cur lapis non moueatur, seu quodlibet aliud corpus seu graue seu leue; ergo in casu posito & grauia & leuia mo-

mouerentur. Antecedens patebit solutione obiectionum. Quod autem detur ratio positiua cur moueatur, probamus: quia etiam in tali casu inest grauitas graui, leuitas leui: ergo est ratio cur hoc & illud moueantur. Probatur iterum: quia determinatio ad motum non omnis habetur à resistentia medijs; ergo etiamsi desit resistentia medij, non deest omnis determinatio ad motum. Antecedens probatur: quia in eodem medio diuersa mobilia diuersimode mouentur; ergo tota determinatio ad mensuram velocitatis vel tarditatis in motu, non habetur à medio. Antecedens patet experientia. Plumbum v. g. vel ferrum etiam data paritate molis, descendit velocius intra idem medium qua lapis; aut aliquid aliud graue quidem sed non tam graue.

Ex hac Conclusione habes quid respondeas ad argumentum Philosophi, seu potius à Philosopho factum contra veteres arguente ad hominem: negando videlicet determinationem totam ad hunc vel illum modum tarditatis, aut velocitatis, haberi vnice à resistentia maiori, vel minori medij in quo fit motus.

Obijcitur 1. Si pila ferrea sit in medio vacui non est ratio cur potius moueatur in vnam partem, quam in aliam: ergo nequit moueri. Antecedens probatur; quia in tali hypothesi non datur neque sursum neque deorsum respectu pilæ, ergo non est potior ratio cur in hanc, quam cur in illam partem feratur. Consequentia est

euidens. Antecedens probatur; quia quamuis reipsa detur deorsum & sursum [vacuum enim huius Scholæ non impedit centrum terræ esse deorsum & concauum Lunæ esse sursum] p la tamen ferrea non percip t vbi sit sursum, vbi deorsum; & consequenter respectu eiudem ita est sursum ac deorsum, ac si non esset.

Respond. negando antecedens. Ad probationem nega iterum antecedens. Probatio huius antecedentis laborat in supposito. Quod videlicet grauia & leuia percipiant centrum ad quod mouentur & perceptione centri moueantur ad centrum: quod est ineptum. Sunt qui putent grauia deorsum ferri, eo quod trahantur à centro immittente ad ipsa qualitatem quandam sympaticam similem qualitati qua magns trahit ad se ferrum. Qui hoc modo philosophantur sapienter negant pilam in vuacuo motum iri, & si suponatur hæc sententia: nostra Conclusio nequit sustineri: prædicta enim qualitas nequit propagari per vacuum, vt patet ex dictis.

Conclusio igitur intelligenda est in alia hypothesi negante huiusmodi influxũ centri in id quod mouetur ad centrum. Dicere autem quod etiam in hac hypothesi mobile debet percipere centurum, ad quod fertur est vel facere lapides simile nobis, vel nos emiles lapidibus; vtrumq; absurdum. Graue & leue nec in vacuo, nec in pleno percipiunt centrum; nec nos ipsi dum mouemur vt graues, semper percipimus quo mouea-

ueamur, vt apparet in ijs qui casu ruunt per præcipicia. Mouetur igitur graue deorsum sua grauitate, hoc est impetu quodam innato seu ipsi indito ab auctore naturæ versus centrum mundi, quod ab ipso non magis percipitur quam scopus ad quem Sagitta dirigitur percipiatur à sagitta. Hanc explicationem habes ex D. Thoma considerante grauia & leuia impulsa. hæc quidem sursum, illa uero deorsum à natura sicut sagitta impellitur hac vel illac à Sagittario. Quemadmodum autem non sagitta sed Sagittarius scit sopum sagittæ; ita non graue aut leue, sed natura, quæ fecit graue & leue scit locum grauis & leuis.

Dices; ergo graue & leue mouentur ab extrinseco. Probis conseq. quia mouentur sicut sagitta; hæc mouetur ab extrinseco; ergo & illa.

Resp. neg. conseq. Ad probationem dist. mai. mouetur sicut, &c. aliqua paritate; concedo: omnimoda paritate; nego. Paritas consistit in hoc quod & hæc, & illa ignorant locum quo tendant, quamuis hic locus nec ab eo qui sagittam impellit, nec ab eo qui graue fecit, ignoretur. Disparitas autem est in multis. Quod punctum præsens est in hoc quod sagitta secundum se non sit neque in hanc neq; in illam partem; adeoq; per hoc quod recipiat esse sagittæ non recipit impelli ad dexteram potius quam ad sinistram. Graue autem per hoc ipsum quod recipit esse graue, recipit impelli deorsum vnde impulsus vni est ab intrinseco, alteri

ab extrinseco: neq; enim quando dicimus graue deorsum impelli ab auctore naturæ; ita intelligendi sumus quasi aliquid poneremus in graui distinctum à ratione per quam est graue, quo moueatur ad medium: sed intelligimus per hoc ipsum quod graue sit, habere quod deorsum impellatur. Hinc est quod dicit D. Thomas quod viuentia mouent se: grauia autem & leuia, & quæcunque non viuunt mouentur à generante: non quod generans nouis semper & nouis impulsibus moueat id quod genuit, sed quia dans ipsi esse, dedit etiam principium eorum motuum, qui conueniunt ipsius esse; & quidem tale principium quod necessario sese exerceat in his vel illis circumstantijs, vt explicabitur fusius in tractato de Vita.

Obic. 2. Si graue mouetur in vuacuo, motut localis fit instanti: consequens est absurdum; ergo & antec. Min. probatur: quia spatium in quo mouetur habet prius & posterius, cum sit diuisibile: puta spatium tripalmare est diuisibile in tres palmos, quorum primus prior est mobili, quam secundus, secundus, quam tertius, igitur debet mobile prius esse in primo quam in secundo, prius in secundo, quam in tertio; successiue autem in toto illo spatio quod percurritur. Prabátur autem sequela maioris: quia deficiente omni corpore medio; intra quod moueatur, non est potior ratio cur hac potius velositate quam illa moueatur: vbi enim nulla habetur determi-

natio à medio ad modum tarditatis aut velocitatis, nulla simpliciter determinatio habetur.

Resp. neg. seq. maioris. Probationi iam est satisfactum; vbi dictum est determinationem ad hanc vel illam velocitatem seu tarrditatem non haberi à solo medio, sed à grauitate maiori vel minori rei quæ mouetur. Probatum est hoc: quia experientia constat intra idem medium ferrum moueri velocius quàm saxum: quemadmodum igitur in pleno magis graue velocius: minus graue minus velociter cadit: ita etiam contingit in vacuo, in quo maior grauitas grauiori, minor minus graui inest.

Obijc. 3. Si pila moueretur in vacuo; fieret nouum vacuum. etiam ex suppositione vacui, non est naturale fieri aliud vacuum; ergo etiam ex suppositione vacui non est naturale grauia moueri in ipso aut leuia. Mai. prosi. quia locus ille plenus pila ferrea, descendente eadem pila vacuatur ergo fit in natura nouum vacuum.

Resp. Si verum est fieri nouum vacuum, etiam verum est impleri vacuum vetus: quod non est minus illo quod fit de nouo; habetur autem insuper quod pila magis accedat ad centrum & secundum naturam suam feratur: igitur etiam data paritate vtriusque vacui, est cur moueatur potius qua quiescat.

Resp. ad argumentum directe negando mai. Ad probationem nega pilam in casu prædicto implere vllum locum. Constat ex

ipsa

ipsa hypotesi hanc non contineri ab vlla superficie corporis ambientis. Est quidem illa pila in loco formaliter; quia etiam ibi est per vbicationem sibi intrinsecam, & ibi etiam habet proportionem propinquitatis & distantiæ cum alijs corporibus vniuersi. Non est tamen in loco materialiter qui sit locus ipsius, quia non continetur ab vlla superficies corporis circumfusi.

Dices: superficies corporis ambientis ipsum vacuum dici potest locus pilæ prædictę: ergo illa pila habet locum proprium quem impleat. Probatur antecedens; quia inter prædictam superficiem & pilam nihil intermediat; ergo talis superficies est prima superficies corporis ambientis pilam; ergo est immediata seu immediate applicata pilæ.

Resp. neg. antec. Ad probationem dic inter pilam & superficiem mediare vacuum adeoque aliquid mediare, quantum sufficit vt superficies prædicta non contingat pilam. Illa superficies dici potest immediata immediatione quadam negatiua, non autem positiua: quatenus inter ipsam & pilam nullum corpus mediat, ipsa autem pilam non tangit, sed est inter vtramq; interuallum replebile alic corpore, vt patet. Vidimus autem ed rationem loci requiri vt non sit neq; maior neq; minor locato, quod non reperies in superficies prædicta.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

De Tempore.

TEmpore nihil notius, nihil tamen difficilius explicatu. Quid sit tempus omnes intelligimus cum de tempore loquimur, & alios loquentes audimus. Quid sit tempus si interrogamur, respondere nescimus, vt merito dixerit Augustinus: quid ergo est tempus? Si nemo ex me quærat, scio: si quærenti explicare velim: nescio. Difficultas autem ista maxime apparet ex ijs quæ ibidem sibi proponit idem Augustinus, Habes hæc in libris Confessionum quos facile euolues.

Definitur tamen ab Aristotele 4. Physic. textu 101. *numerus motus secundum prius & posterius*. Hanc definitionem explicat Philosophus distinguẽdo dupplicem numerum. Alius enim est numerus numeratus, seu numerabilis, alius n numerus numerans. Numerus numerans sunt ipsi actus intellectus, quibus numeramus dicendo. *vnum, duo tria, prius, posterius*, &c. Numerus numerabilis est ipsamet rerum successio, seu partium, quæ per huiusmodi actu sunt numerabiles. Hanc Philosophi definitionem amplectitur Schola peripatetica: diuersimode tamen à diuersi exponitus. Sunt qui dexerint tempus non esse quid reale. sed consistere solum in actibus intellectus mentientis hoc & illud per prius & posterius:

rius: puta dicentis: prius est Aeneas quam Iulius, prius Iulius quam Numa, & sic de cæteris.

Reijciuntur hi ex hoc quod numerum quo numeramus, pro tempore accipiant. Hic enim in nobis est non in rebus; tempus autem in rebus est, non solum in nobis. In huiusmodi quæstionibus tota difficultas est in nimia facilitate. Est enim euidens successionem importare prius & posterius; puta diem hanc quæ successiue fluit, non esse totam simul, sed fluere per partes, quarum aliæ sunt matutinæ, aliæ meridianæ, aliæ vespertinæ. Qui autem quærit vbi sint huiusmodi partes, ita torquetur, sicut torquentur pueri dicentes se habere quinque annos, si rogentur vbi sint illi anni: an in crumena an alibi quod accidit ijs omnibus qui in qualibet denominatione de præsenti quærunt omnia de præsenti.

Hoc posito satis intelligitur definitio Aristotelica: quomodo videlicet tempus sit numerus seu mensura cuiuslibet habentis prius & posterius: *Dicimus enim* ait Philosophus *motum esse plurem & minorem secūdum tempus, eo quod eadem mensura vni motui pluries applicetur quam alteri*. Puta mensis est maior hebdomada, quia mensura diurna pluries applicatur mensi, quam hebdomadæ. Meritū autem illud quod inest motui ad mensurationem huiusmodi dicitur tempus ipsius. Hoc modo vita Petri dicitur tanti vel tanti tēporis, prout assignata mensura toties illi applicatur.

Men-

Mensura autem ipsa, vt ait Philosophus qua metimur motum, debet esse aliquid notissimum; vt contingit in alijs, quę alio genere mensuræ metimur, dum dicimus pannum esse tot, vel tot palmorum. Quemadmodum autem mensura panni est panno extrinseca: sic etiam mensura motus erit extrinseca motui. Hanc mensuram alii ponunt in circulatione Solis, alii in circulatione primi mobilis: vtrique eadem ratione ducuntur, aientes, hi quidem circulationem primi mobilis esse & regularissimam & notissimam: illi autem hoc idem de circulatione solis. In fauorem primi mobilis est illud Philosophi: *primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum.* In fauorem Solis est quod motus ipsius nobis familiarius innotescit. Hinc tot Soles hunc vel illum vixisse dicimus, metientes annos & dies per totidem reuolutiones Solis: annos quidem per integram reuolutionem per duodecim signa Zodiaci: dies autem per excursum Solis ab Oriente ad Occidentem. Et quidem circa hoc nequit esse difficultas.

Neque tamen hoc obstat quin ad metiẽdos hos & illos motus aliis etiam mensuris vtamur. Puta etiamsi recte metiamur motu primi mobilis aut Solis alios motus, eosdem etiam metiri poterimus motu lunæ & Martis. Sicuti etiamsi pannum recte metiamur cubitis, adhuc eundem metimur & palmis. Immo qualibet ex illis mensuris deficiente, poterit quælibet alia recte substitui.

Iuxta hanc doctrinam dixit Augustinus quoq etiam cessanto motu primi mobilis, Solis & Cælorum, non proteria dificeret omnis mensura eorum quæ suacessiue fiunt. Nam, ait ille posset ita regulariter moueri rota figuli, vt huiusmodi rotæ & circulatione essente pro mesura rerum magis vel minus prius aut posterius durantem. In tali hypotesi res durans per centum circulationes eiusaem rotæ plus duraret qua res durans per sexaginta solum. Et res durans in prima circulatione prior esset re durante in secunda dumtaxat.

QVÆSTIO VIII.

De Tempore intrinseco.

SCopus præsentis quæstionis est inuenire an quemadmodum res est hic, non per se ipsam, neq; per complexum ex se & hoc loco intrinseco; sed per vbicationem vtriq; superadditam, quæ dicitur ipsum hic huius rei ita etiam res sit nunc, non per se ipsam neq. per complexum ex se & hoc tempore extrinseco; sed per durationem vtriq; superadditam; quæ sit ipsum nunc rei nunc existentis.

Dicendum est rem esse nunc per durationem sibi & tempori extrinseco superadditam. Hæc duratio dicitur tempus intrinsecum rei, estque modus essentialiter affixus tum rei quam durantificat, tum tempori imaginario cui illam præsentat. Probatur con-

conclusio ijsdem argumentis quibus probata est conclusio circa locum intrinsecum. Puta: Petrum existere, & existere millionesiam circuletionem primi mobilis, non est formaliter Petrum esse in millionesima circulatione primi mobilis; ergo reqeritur aliquid huic rei, & huic circulationi superadditum, per quod hæc res sit in hac circulatione: seu huic circulationi coexistat. Ant. prob. quia si intelligas existentiam Petri ante prædictam circulationem, & circulationem ipsam, in eo imaginario tempore cui est essentialiter affixa: intelligis & existentiam Petri, & circulationem ipsam: nec tamen intellis Petrum existentem in ipsa: ergo, &c.

Hæc conclusio de tempore intrinseco quãuis æque certa, ac de loco, non tamen adeo facile intelligitur è tironibus. Ratio est, quia ly *est*, & ly *existit* consignificant tempus, & quidem præsens. Si autem consignificant præsens: eo ipso quod de re dicunt *existit*, sibi videnter ponere quantum sufficit ad hoc, vt tempori præsenti coexistat, & tamen nihil ponere præter existentiam rei. In hoc quod putant se sufficienter importare coexistentiã rei huic tempori, cum dicunt; *Res existit*, non dicipiuntur: decipiuntur autem in hoc, quod putent se nihil dicere, aut ponere, nisi existentiam rei. Ex hoc enim ipso quod consignificent tempus, aliquid aliud significant præter existentiam rei.

Dices: impossibile est existere hoc tẽpus

extrinsecum, & existere Petrũ, quin Petrus coexistat huic tempori extrinseco; sed per hoc ipsum quod coexistat huic tempori extrinseco, existit in hoc tempore: ergo impossibile est existere hoc tempus extrinsecum, & existere Petrum, quin Petrus existat in hoc tempore. Mai. prob. quia si existat hæc dies, & existat Petrus, manifestum est Petrum coexistere huic diei; ergo & Petrum existere in hac die.

Hoc argumentum est apparens, propter hoc verbum *Existit*, quod indiuisibiliter importat, & rem & tempus rei. In forma nega mai. Ad probationem, scias oportet quod ipsum existere, seu esse debet hic accipi non secundum quod consignificat tempus, sed secundum quod significat ipsummet esse secundum se, quod est distinctum à tempore; Iuxta hanc acceptionem si Petrus existat heri, vel nudius tertius vel cras, vere existit, & etiam hæc dies existit, & tamẽ Petrus non existit in hac die: potest igitur intelligi in natura existentia vera realis, & physica Petri, & existentia huius diei qui intelligatur coexistentia Petri huic diei.

Instabis: eo ipso quod Petrus non est nunc, simpliciter non est ergo eo ipso quod simpliciter est nunc est; ergo ad esse nunc sufficit esse: seu ergo vt sit nunc, sufficit vt sit simpliciter.

Resp. neg. antec. Ad probationem abutitur Aduersarius ratione consignificata per verbum: non autem accipit esse, seu existere secundum præcisam rationem essendi,

di, seu existendi. Etiam si igitur intelligas Petrum in alia differentia tempori. existētem, intelligis Petrum verè, & propriè existentem, & tamen non intelligis coexistentē huic nunc, quod de facto datur, quando intelligis Petrum cras, vel heri existentem; eadem igitur existentia Petri vere, & realiter posita in natura est omnino indifferens, vt huic, vel illi tempori extrinseco coexistat, & consequenter indifferentia huiusmodi debet aliunde determinari.

Replicabis: per hoc præcise quod existat Petrus, & simul existat hæc dies, Petrus existit in hac die; in hoc nihil importatur præter existentiam Petri, & existentiam huius diei: ergo præcise per existentiam Petri, & existentiam huius diei, Petrus existit in hac die.

Resp. conc. mai. neg. min. in prædicta denominatione præter existentiam Petri, & existentiam huius diei, importatur simultas vtriusq; existentiæ, quæ simultas non habetur per vtramq; existentiam solum. Patet hoc quia eadem existentia Petri est omnino indifferens, vt coniungatur cum existentia huius, vel cum existentia alterius diei; ergo quod coexistat huic, vel alteri, habetur per aliquid vtriq; superadditum.

Dices iterum: quod detur heri, vel cras existentia Petri, non est quod Petrus existat, sed quod Petrus extiterit, vel estiturus sit: ergo per hoc præcise quod existat, existit hodie: ergo vt existat hodie nihil requiritur præter existentiam ipsius, & exi-

stentiam huius diei. Antec. est manifestum Nemo enim dicet: existit dies hesterna: aut: existit dies crastina. Probatur iam cõs- quia per hoc præcise quod verum sit: *Existit* verum est: *existit hodie*.

Resp. dist. antec. quod detur &c. non est quod existat, si attendatur solum ratio significata: nego; si attendatur etiam ratio cõsignificata: conc. Et eodem modo dist. cons. per hoc præcise quod existat, attendendo tam ad rationem significetam, quam ad rationem consignificatam, existit hodie: cóc. attendendo ad solam rationem significatam nega conseq. Breuius etiam respondebis sic: per hoc præcise quod existat, existit nunc ratione rei significatæ; nego ratione rei consignificatæ: conc. Hoc igitur argumentum, quod vim habet in verbo: habet etiam solutionem in verbo, immo probationem conclusionis in Verbo, Nam ideo dum dico; *Petrus est*, dico Petrum esse nũc quia per verbum est non solum significatur existentia, sed insuper significatur tempus: rursus non significatur quodlibet tempus talis existentiæ; sed tale tempus per quod hæc existentia coexistat cum hoc instanti extrinseco; puta, cum instanti vespertino diei octauæ Iunij; igitur præterea existentiã per verbum ipsum quo affirmas rem existere, ponis in re distinctum aliquid, per quod huic instanti coexistat. Hoc autem est quod vocamus durationem, seu tempus intrinsecum.

Circa durationem autem eadem fere dubitan-

bitantur quæ circa vbicationem. Primo à qua causa, & quando producatur illa duratio, per quam ego sum nunc, Huic dubitationi eodem modo satisfit, quo satisfactum est alteri, dicendo rem durantem esse suæ durationis productiuam, eamque producit in illo eodem instanti, in quo res est cum pura præcedentia nature rei quæ durat ad durationem qua durat. Atque in hac re idem omnino dicendum est, quod superius dictum est de vbicatione.

Dubitatur 2. An in composito omnia durent vna duratione, an singula singulis.

Resp. singula singulis Probatur, quia durante materia deficit duratio formæ, & infinitorum accidentium durantium in materia: ergo non est vna duratio materiæ, & duratio formæ, aut aliorum receptorum in materia. Quemadmodum autem hunc & illum locum explicandum duximus per habitudinem propinquitatis, & distantiæ ad hæc, & illa puncta, vel realiter, vel imaginarie fixa: ita etiam hanc & illam durationem, seu hoc & illud tempus optimè explicatur secundum habitudinem ad hæc, vel illa instantia, vel realiter, vel imaginarie fixa, & immobilia. Ita tuus Proauus fuit in alio tempore quam sis tu: quia si compares durationem tui Proaui, & tuam cum instanti crastino, vel quolibet alio, inuenies diuersam habitudinem durationis prædictæ tui proaui, & tuæ ad illud idem instans. Quado autem duo eidem indiuisibili instanti, indiuisibili autem tam formaliter quam

æquiualenter coexistunt: sibi coexstunt; v. g. si Petrus & Paulus coexistunt hodierno instanti meridiano: Petrus, & Paulus sibi coexistunt.

Non tamen valet absolute; quæ coexistunt eidem tertio sibi coexistunt: Petrus, & Paulus coexistunt eidem tertio: ergo Petrus & Paulus sibi coexistunt. Mai. enim est falsa; cum illud tertium possit ita durare, vt secundnm vnam partem suæ durationis coexistat vni, secundum alteram alteri extremo. Nunc de facto coexictimus multis iam senibus, qui dum essent pueri, alijs coextiterunt, quibus non coexistimus. Idẽ apparet in hoc alio argumento: quæ sũt proxima vni tertio sunt proxima inter se, sed Italia, & Hispania sunt proximæ vni tertio? ergo sunt proximæ inter se. Min. prob- quia vtraq. est proxima Galliæ. Mai. autem est euidenter falsa: cum tertium possit esse adeo amplum vt faciat maximam extremorum à se inuicem distantiam.

Hinc diuina Æternitas non recte accipitur pro mensura durationum creatarum secundum prius, & posterius, aut secundum simul. Certum est enim quotquot sunt, fuerunt, & erunt; intra diuinam Æternitatem suis singula temporibus esse, adoq; omnia quæ sunt, fuerunt, vel erunt coxstientiam hxbere cum Æternitate diuina. hæc tamen est indiuisibilis: ergo non quæcunq; coexistunt durationi indiuisibili, eo ipso sibi coexistunt. Ratio est, quia hæc ipsa Æternitas quamuis formaliter indiuisibilis, est æquiualen-

ualenter diuisibilis, adeoq; per diuersas quo ad æquiualentiam partes intra idem indiuisibile instans habetur habitudo propinquitatis, aut distantiæ secundum tempus eorũ, quæ vel à se mutuo distant, vel sibi mutuo propinquantur.

Æternitas quoad hoc intelligitur per immensitatem. Diuina enim immensitas & vbique est, & vbiq: tota est; adeoq. & quod Romæ est, quod est Neapoli sunt eidem immensitati præsentia: non tamen, sunt sibi mutuo præsentia. Hinc & immensitas; & ęternitas sunt mensura, hæc quidem durantiũ, illa locatorum, sed mensura excedens, & incommensurabilis, Definitur autem diuina Æternitas: *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*. Deus enim non plus habet durationis post infinita sęcula, quam in quolibet instanti; sicut non plus habet immensitatis in toto vniuerso, quam in quolibet punčte vniuersi; quamuis & æternitas & immensitas explicentur per ordinem, & ad quęlibet spatia, ad quælibet tempora. quorum vtraq; si in infinitum amplifices, non habes quibus diuinam tum æternitatẽ tum immensitatem compræhendas.

QVÆSTIO IX.

De numquam, & nullibi craturæ existentis.

ARTICVLVS I.

Possis nè esse, & nunquam esse.

SVnt qui affirment, quia duratio est id per quod aliquando es: potes esse sine omni duratione; ergo potes esse, & numquã esse. Mai. patet ex dictis, Min. prob. quia duratio ipsa est quid consequen ad esse; ergo non repugnat ipsum esse haberi sine duratione. Antec. etiam patet ex dictis. Probatur conseq. quia potest Deus, reposita, seu te posito in natura, velle suspendere omnem suum concursum in ordine tum ad quẽlibet alium effectum à te ponendum, tum in ordine ad ipsammet durationem.

Confirmatur: quia certum est te non posse quicquam produceue neq; intra te, neq; extra te, Deo non concurrente; certum est insuper posse Deum suspendere suum concursum, seu denegare sum concursum in ordine ad multa, quæ tamen necessitate naturali consequntur ad tuum esse; puta in ordine ad quemlibet actum vitalem, ad quãlibet qualitatem in te producendam, & sic de infinitis alijs; igitur poteris etiam negare suum concursum in ordine ad durationem ipsam.

Præ-

Præterea esse, & non esse in vllo tempore, non est esse, & non esse; ergo non repugnat esse, & non esse in vllo tempore: & cõsequenter esse; & nunquam esse. Antecedens probatur; quia non esse cum aliquo addito, non opponitur contradictoriè esse simpliciter; non esse autem in vllo tempore est non esse cum aliquo addito, vt patet: ergo non opponitur contradictoriè huic, quod est esse simpliciter, Maior probatur; quia non esse hic, non esse album, &c. non opponuntur huic quod est esse simpliciter: nonnisi quia non esse his modis est non esse cum addito: ergo &c.

Vlterius; intelligere quod sis, non est intelligere quod sis in vllo tempore, neque determinatè, neque indeterminatè; ergo quod sis re ipsa, non est quod sis in vllo tempore neque determinatè, neque indeterminatè: rursus intelligere tuum esse præcisum ab omni tempore, non est intelligere chimeram; ergo poni tuum esse præcisum ab omni tampore non est poni chimeram; sed esse pręcisum ab omni tempote, est esse, & numquam esse; ergo te esse,, & numquam esse, non est chimera.

Denique sequeretur omnem substantiã creatam necessario necessitate metephysica facere aliquod vnum per accidens. Necessario enim est cum aliqua vbicatione, & duratione. Hoc autem vitatur, si possit esse, & nullibi & nunquam. Nam substantia cum carentia formæ non facit vnum; cum ipsa carentia nihil sit; vt patet ex quæstione de negationibus.

Sed

Sed contra est quod ait Philosophus: quod est & numqum est & nullibi est sicuti Sphinx, & Hyppocentaurus, quod idem significat apud Philophum, ac Chimera, & Hyrcoceruus. Non posse rem esse, & numquam esse fuit aden notum Philosopho, vt numquam conaretur hoc demostrare. Et re ipsa potissimum argumentum contra numquizantes est inintelligibilitas numquizationis Fac enim te dicere. Cæsar, & Scipio, & Epaminondas alijq; Heroes fuere, sed non sunt: & ita dicentem rogari ab Auditoribus: quando nam fuere? & rogationi respondere: numquam. Si non ridearis, aut pro irrisore habearis, potest aliquid esse, & numquam esse: Si autem hoc ipso vel rideas, vel ridearis, ridiculum est dicere fuisse aliquid; & numquam fuisse.

Item si Deus spondeat Aduersario illum fore Beatum: roganti autem quando, respondeat: numquam: non putabit aduersarius promissam sibi beatitudinem. Quamuis autem aduersarij in hoc præcipuè hæreant, quod videlicet impopossibilitas numquizationis nequeat demonstrari; puto demonstrari, & quidem ad euidentiam, modo conueniant nobiscum in primis principijs. Sit igitur hæc demonstratio.

Implicat quod res sit & non sit verum: *res est*: ergo implicat quod res sit & numquam sit. Antec. est euidens; nam de omni quod est, verum est dicere: *est*. Probatur autem conseq, Hæc propositio: *Petrus est* est de secundo adiacente, ergo li *est* habet vim

ver-

verbi; sed eo ipso quod li *est* habet vim verbi, significat, cum tempore; ergo in hac propositione: *Petrus est* li *est* significat cum tempore significare autem cum tempore & consignificare tempus sunt vnum & idem; ergo li *est* in propositione prædicta consignificat tempus: sed hæc prositio est vera; ergo impossibile est Petrum esse quin de ipso vera sit propositio consignificans tempus: sed eo ipso quod necessarió vera est propositio significans existentiam Petri, & consignificans tempus; necessario cum existentia Petri datur aliquod tempus; & consequenter necessario Petrus est cum aliquo tempore, adeoq; in aliquo tempore.

Totus hic dicursus fundatur in primis principijs summularum: & hæc ipsa necessitas affirmandi aliquod tempus quotiescunq; fit propositio de secundo adiacente euincit rem esse non posse, quin in aliquo tempore sit. Et hæc impossibilitas affirmandi solam existentiam fuudatur in impossibilitate quam habet quælibet res, vt sola sit & sino omni consequente ad suum esse.

Dices: hæc propositio: *Deus est* est secundo adiacente: in hac propositione non consignicatur tempus; ergo non in omni propositione de secundo adiacente consignificatur tempus. Mai. est euidens; nam istæ duæ propositiones: *Deus est*, & *Petrus est* sunt eiusdem omnino rationis nec differunt nisi secundum materiam. Min. autem prob. quia hæc propositio: *Deus est* vero est ante omne tempus; vera etiam futura si nullum

tem-

tempus daretur: ergo hæc propositio non consignificat tempus: vel propositio consignificans tempus potest esse vera etiamsi res non sit in in vllo tempore, Conf. est euidens. Igitur hæc propositio: *Petrus est* vel non necessario consignificat tempus; vel etiamsi consignifice, tempus: potest esse vera, dato etiam quod non detur vllum tempus.

Resp. ex dictis supra Deum esset semper: adeoq, si quis diceres: *Deus numquam est* esset similis insipient qui dixit in cordo suo *non est Deus*. Illud autem semper quod est semper Dei, est ipsamet æternitas quæ Deus est; adeoque quamuis nos dum dicimus: *Deus est* respiciamus ad tempus in quo sumus, quando tamen Deus dicit; *Ego sum* longe in alio sensu habet illud sum, quam habeamus nos; nam per idipsum per quod est, Deus est & semper est, & vbique est, adeoq: etiamsi præter ipsum nihil esset & consequenter nulla tempora esset: vere diceret: *ego sum* non consignificans aliquid, quia non per aliquid à se distinctum semper est, immo & per seipsum semper est, & per seipsum formaliter, non per aliud à se dicit: *ego sum*. Non est igitur potandum quod quémadmodum verbum de pręsenti in propositione quã formas, præter rem quam significat, consignificat etiam tempus ab eadem distinctum; ita etiam in propositione qua Deus dicit. *ego sum*, li *sum* aliquid significet distinctum à Deo.

Ad argumentum in forma concessa mai. nega minorem Etiam in hac propositione;

Deus

Deus est li est consignificat tempus. Dum *A*ngelus dicit; *Deus est* : & dum homo dicit; *Deus est:* & dum quælibet creatura dicit: *Deus est*, pet li *est* non solum significat existentiam Dei, sed consignificat rationem qua Deus ipsi cognitioni coexistit qua dicitur *Deus est*. *A*d probationem dist. ante omne tempus verum est. *Deus est* veritate propositionis factæ à creatura: nega suppositum, veritate quæ fit Deus ipse conc. Hæc autem ipsa varitas qua Deus dicit *ego sum* importat illam ipsam sempiternitatem, qua Deus semper est, quæ eminenter est omne tempus, & mensura supercompræhendens omne quod vnquam est.

Instabis: etiam ante omne tempus potuit esse aliqua creatura; in tali hypothosi & Deus diceret: *Creatura est*: & Creatura ipsa diceret: *ego sum*, & tam Deus quam creatura diceret verum: sed in tali hypothesi non esset in vllo tempore. ergo de creatura potest verificari quod sit, etiamsi non sit in vllo tempore. Minor est euidens; quod enim est ante omne tempus, non est in vllo tempore; probatur tamen hoc idem euidentius; quia quod est ante omnem diem, non est in vlla die: quod est ante omnem circulationem solis, non est in vlla circulatione solis; ergo quod est ante omnē tempes nō est in vllo tempore. Maior autem probatur: quia non implicet creatam fuisse aliquam creaturam ante omnia tempora.

Resp. ex hac ipsa instantia suggeri argumentum pro nostra sentētia: Da enim creatum

tum fuisse aliquid huiusmodi. Implicat hoc ita fuisse creatum, vt neque ante ipsum neque post ipsum possit aliud creari; sed eo ipso quod ante ipsum, & post ipsum potest aliquid creari; est in tempore; ergo implicat aliquid creari & aliquid esse, & non esse in tempore. Maior est euident: quia quandocunque fingas creatum aliquid, potes intelligere fuisse ante creabile, & post ipsum aliud creabile; nisi in aliqua re creata intelligas diuinam æternitatem, antequam implicat aliquid esse & post quam implicat aliquid esse. Minor autem probatur: quia eo ipso quod aliquid ante ipsum, aut aliquod post ipsum est creabile, habet relationem seu habitudinem prioris & posterioris ad hoc & illud, & medij inter hoc & illud: potest igitur mensurari cum hoc & illo secundum prius est posterius: quod formalissime est esse in tempore.

Aequiuocatio aduersarij consistit in hoc, quod putat e rem non esse in tempore nisi simul cum re ponatur aliquid extrinsecum rei cui res coexistat, & cuius motus motum rei mensuret. Quando autem dicimus rem, eo ipso quod est, aliquando esse, per li *aliquando* non intelligimus aliquod tempus extrinsecum, puta, aliquam circulationem solis, aut primi mobilis. Quis enim dicat impossibile esse rem vlla existere quin alicui motui huiusmodi coexistat? sed per li *aliquando* intelligimus necessitatem alicuius temporis intrinseci, temporis formalis & metaphysici, per quod illa res respon-

pondeat his vel illis instantibus etiam non realibus, sed saltem imaginarie fixis & immobilibus vt dictum est alibi.

Igitur ad argumentum in forma nega posse quidquam creari ante omne tempus, loquendo de tempore formali & de antecedentia excludente ab eo quod creatur omne tempus, in sensu explicato. Ad probationem in contrarium dic posse creari aliquid ante omnem diem, & ante omnes annos, & ante quamlibet aliam mensuram extrinsecam maioris vel minoris, prioris vel posterioris durationis: non tamen ante omne tempus intrinsecum vt patet ex dictis ita vt verum sit: *res est simpliciter*, & falsum: *est aliquod tempus*.

Idem argumentum quod supra attulimus paucis variatis sic proponi posset ad probationem nostræ sententiæ. Omnis creatura existens coexistit æternitati diuinæ; igitur vel coexistit adæquatè & totaliter, vel inadequate & partialiter. Si adæquate & totaliter, eo ipso semper est; si inadæquate solum & partialiter, eo ipso aliquando est. Si primum; toti æternitati æquatur, si secundum; corresponder alicui dumtaxat parti virtuali eiusdem æternitatis. Rursus Deus potest intra eandem suam æternitatem aliquid ante, & aliquid post prædictam creaturam creare: ergo idem quod prius Ex hoc eodem discursu vides quod creatura correspondens adæquate toti æternitati diuinæ, eo ipso semper esset: adeoque falsificaret propositionem dicentem: numquam

est,

est, sicut Deus per suam sempiternitatem illam tandem falsificat. His positis respondendum est ad argumenta initio huius articuli proposita.

Ad primum concessa maiori, nega min. Ad probationem concesso antec. nega conseq. Ad prob. conseq. nega ant. Cuius falsitas patet ex dictis. Hoc dictum *qui dat esse dat consequentia ad esse* ita intelligendum est vt ea quæ naturaliter solum consequuntur, naturali necessitate etiam dentur. Quæ autem metaphysice & indispensabiliter cõsequuntur, nequeunt vllo modo denegari Ita inuenies in tractatu de relatione apud eos qui illam constituunt in modo superaddito, non posse per vllam potentiam poni album *A* & album *B*, quin eo ipso consequatur modus relationis inter vtrumque. Item qui subsistentiam ponunt in modo superaddito naturæ singulari completæ, dicunt impossibile esse à natura singulari cõpleta diuisa ab omni alio non pullulare modum illum. Et sic de alijs. Ad confirmationem patet ex dictis: non quæcunque consequuntur ad meum esse eadem necessitate cõsequuntur.

Ad secundum distiug. ant. esse &, &c. non est esse & non esse, formaliter; conc. antec. non est esse & non esse, consequenter, nega ant. & consequ. Ad probationem atec. dist. iterum; non esse cum aliquo addito necessario necessitate metaphysica consequente ad esse, non opponitur contradictorie esse simplciter, non oppositione de formali

con.

conc. oppositione de consequenti; nega.
Non esse autem cum aliquo addito nullo modo contradictorie opponitur, si illud additum non sit aliquid omnimoda necessitate consequens ad esse. Propterea esse & non esse album, esse & non esse hic, nullo modo opponuntur.

Ad tertium concede totum, præter vltimam minorem subsumptam. Tuum esse est non solum præcisum, sed realissime distinctum ab omni tempore, adeoque dari tuum esse non est formaliter dari vllum tempus neque determinate neq; indeterminate: est tamen quod in aliquo tempore sis consequenter, propter metaphysicam necessitatem superius dictam. Esse igitur tuum quamuis distinctum realiter à quolibet & omni tempore, eo ipso tamen quod detur, datur in aliquo tempore, adeoque implicat dari te vel quidlibet aliud huiusmodi, quin eo ipso præter te, aut quidlibet aliud huiusmodi, aliud detur. Sermo autem est hic de ijs quæ durant itaut non sint sibi sua duratio.

Ad vlt. Resp. conc. Sequelam. Concede etiam non fieri vnum ex substantia, & carentia formæ. Propterea *homo non videns* non est concretum, nisi pure logicum. Dicitur autem suo modo accidentale, quia quemadmodum per ly videns ponitur, ita per ly non videns tollitur accidens à subiecto: adeoque vtraque denominatio, quamuis diuersimodè, vt dictum est alibi, includit idem accidens.

Hinc

Hinc etiamsi des personam humanam esse concretum logicum dicens naturam singularem & negationem vnionis &c. non propterea das esse concretum per accidens seu accidentale; sicut est v. g. hoc aliud *Homo non videns Deum*; ratio est quia tam hæc denominatio; *homo non videns Deum* quam hæc alia *homo videns Deum* includit accidens; videlicet visionem Dei: cum hæc: *natura singularis non vnita alteri &c.* non includat vllum accidens, sicut neque hæc alia; *Natura singularis vnita alteri in vnitatem suppositi.* vnio enim quæ per primam excluditur, per secundam ponitur in Natura singulari, adeoque per vtramque attingitur, non est accidens: quamuis non vniri sit naturæ contingens, sicut est illi contingens siue vniri, siue terminari per modum substantialem, quem aliqui ponunt; cum quo tamen non concedunt quod faciat vnum per accidens.

ARTICVLVS II.

Possis ne esse & nusquam esse?

Argumenta priori articulo proposita in fauorem numquizantium eodem robore pugnat pro nusquizantibus. An eadem etiam facilitate soluantur, patebit ex dicendis. Interim.

Dicendum est; implicat te esse & nusqua esse.

Hæc couclusio negit eodem argumen-

to

to probari, quo probata est antecedens; nã propositio de secundo adiacente non consignificat locum, sicut consignificat tempus. Hoc tamen dat conclusioni præsenti conclusio antecedens; quod ostenderit non esse de ratione antecedentis posse per diuinam omnipotentiam carere omni consequenti: & consequenter tollit ab Aduersariis hoc antec. *omne quod ãtecedit potest carere quolibet quod se consequatur*.

Probatur vlterius Conclusio ab innata persuasione cuilibet intellectui quod eo ipso quod res sit, alicubi sit. Et hoc est argumentum Philosophi 4. Physic. textu 1. Vbi sic habet; *quæ sunt: omnes existimant alicubi esse: quod vero non est, muscam esse: vbi enim est Hircoceruus aut sphinx*? In quo vides hæc duo apud Philosophum haberi pro æqualiter certis ac manifestis; *quod non est nullibi est &; quod est, alicubi est*. Et sicut absurdus esset qui diceret alicubi esse id quo non est: ita etiam ridiculus erit qui dicet nullibi esse id quod est.

Præterea probatur eadem Conclusio argumento simili illi quod factum est contra numquizantes. Quidquid est, ita est vt sit intra diuinam immensitatem: vel potius vt aliqualiter correspondeat diuinę immensitati: vel igitur correspondet immensitati totaliter, vel partialiter solum; hoc est secundum aliquam partem virtualem eiusdem immensitatis; si primum: est vbique, si secundum; est alicubi: ergo vel est vbiq; vel alicubi neutro autem ex istis modis est nullibi:

libri : ergo nihil eſt quod ſit nullibi. Inſuper impli̇ca ita poni in natura aliquam creaturam vt non poſſit poni alia & alia creatura : rurſus : implicat creaturam prędictam cum alijs creaturis non habere vllam proportionem propinquitatis & diſtantiæ, ergo eo ipſo quod ponitur illa creatura, eſt capax propinquitatis & diſtantiæ cum aliis creaturis. Hoc autem inuoluit locum in tali creatura, ſeu potius ponit talem creaturam in loco ; ergo implicat eſſe creaturam, & non eſse in loco. Explicatur hoc idem. Finge creari à Deo rem illam quam Aduerſarius dicit nullibi poni. Hoc poſito proba eſſe alicubi. Poſſibile eſt creari à Deo aliam & aliam creaturam. creet igitur. Creatura prius poſita habet aliquam proportionem vel proximitatis vel diſtantiæ : aliam proportionem cum una, aliam cum altera per aliam ſui partem, ſi ſit diuiſibilis, vnam propitius, alteram minus prope reſpicit. Imo in illa ipſa re diuiſibili eadē ars ab vna parte minus, ab altera magis diſtat. Hoc autem eſt eſse in loco : g. creatura illa eſt in loco, Quis autem dixerit quod creata illa re de qua diſputatur, non poſſit Deus alia creare diuerſimode ſe habentia ad illā rem, itaut aliud ſit infre, aliud ſupra aliud ad hoc, aliud ad illuc aliud latus. Eſſe autem huiuſmodi eſt formaliſſime eſſe in loco.

Ad ea que opponi poſſent & ſolent reſponſum eſt ſupra,

Obiicitur tamen inſuper. Ipſe mundus

&

& est, & nullibi est ergo non repugnat aliquid esse & nullibi esse. Antec. probat. quia locus est superficies corporis continentis; sed nulla superficies continet mundum g. mundum non est in vllo loco.

Resp. neg. antec. Ad prob. dic nos non agere hic vtrum possit aliquid esse, & non esse in vllo loco physico & materiali. Hoc enim est omnino possibile: sed quærimus vtrum aliquid possit esse & non esse in vllo loco formali & metaphysico. Hic mundus non est in vllo loco materiali physico, &c. est tamen in aliquo loco formali & metaphysico: habent enim relationem, aut habere potest, propinquitatis & distantiæ cum illis punctis; quæ imaginatis immobiliter fixa intra spatia imaginaria, diffusa in infinitum vltra vniuersum.

Dices: res illa quam Aduersarius ponit nullibi non haberet relationem neque propiuquitatis neque distantiæ cum vlla alia creatura: ergo non esset in loco. Probatur consequentia, quia esse in loco est habere habitudines huiusmodi: ergo non habere est non esse in loco. Probatur iam antecedens; illa creatura posset ita esse, vt nulla alia creatura esset: in tali hypothesi non haberet relationem neque propinquitatis, nequæ distantiæ: ergo ita esset vt &c. Maior est euidens: quis enim neget posse aliquam creaturam esse vnicam. Minor probatur ex dictis in Logica; quia relatio habetur formaliter per hoc & illud: & consequenter relatio propinquitatis & distantiæ huius ad

hoc, per vbicationem huius & huius : Quæ autem non sun, nullibi suus, consequenter non faciunt relationem prædictam. Hoc argumentum si quid probat, probat mundum non esse in loco.

Resp. disting. ant. non haberet relationen prædictam realiter, & physicè : concedo, non haberet formaliter & imaginariç; nego. Ad probatioaem dic relationem prædictam, vt sit secundum se totam, petere illas alias vbicationes, exquibus constat : nihil autem aliud petere in re illa quæ est, Adeoq: vis argumenti consistit in hoc quod res illa absque vlla sui mutatione intrinseca, sed ad puram positionem aliarum rerum haberet relationem prædictam, sed prædicta relatio habetur per loca intrinseca eorum quæ sic referuntur; ergo iam in illa re supponitur locus intrinsecus. Aduerte autem nos relationem huiusmodi in casu posito appellasse imaginariam; non quod locus illius rei sit aliquid pure imaginarium, nisi forte intelligas de loco extrinseco; sed quia alia requisita ad relationem huiusmodi, cum realiter non sint, solum imaginarie sunt, & consequenter tota relatio non est realiter, & physice, quamuis formaliter & denominatiuè.

Concluditur igitur hæc demonstratio sic. Res illa quæ est & quam Aduersarius dicit esse nullibi, sine vlla sui mutatione potest esse in loco, ergo illa res de facto est in loco. Probatur antecedens; quia posita illa re non repugnat circa illam rem creari a-

lias

lias res, cum quibus se habeat in ratione distantis vel propinquæ sine vlla sui mutatione: ergo illa res quæ dicitur nullibi esse, potest sine vlla sui mutatione esse in loco. Quia relationes huiusmodi secundum locum sunt. Probatur iam consequentia; quia relationes huiusmodi habentur pur vbicationes eorum quæ hoc modo se habent: ergo in illa re iam ponitur vbicatio; aliter non ità se haberet ad alia sine vlla sui mutatione intrinseca. Hoc argumentum quicumque bene meditabitur, inueniet esse conuinces. Verum quidem est Aduersarios magnam partem non peti hoc argumento, quia magna pars Aduersariorum nobis nõ contradicit, dum nihil aliud contendit, nisi rem non esse in loco hysico extrinseco, quod possibile esse, vltro damus.

†

DISPVTATIO VIII.

De Infinito.

QVÆSTIO I.

Quid sit & quotuplex infinitum.

MAximè Physici est considerare si sit magnitudo sensibilis infinita; ait Philosophus 3. Physic. textu 34. Infinitum autem & impertransibile pro eodem habet ibidem, Porrò dupliciter dicitur impertransibile: vno modo quod impossibile est transire. eo quod non est aptum natura transiri: siue eo quod non est aptum vt in eo motus exerceatur: hoc modo punctum impertransibile est, & infinitum dici potest. Caret enim omni magnitudine, & consequenter caret omni fine magnitudinis. Huiusmodi infinitum dici potest infinitum negatiue: quod enim magnitudinem non habet. necesse est nec vltimum magnitudinis habere. Hæc omnia ex Philosopho, qui ait eodem modo punctum esse infinitum, sicut vox est inuisibilis.

Alio modo dicitur impertransibile, non quod careat magnitudine, adeoque ineptũ sit ut in ipso motus exerceatur; sed quod beat transitum inconsummabilem. Hoc modo, si daretur spatium aliquod per palmos non tot quin plures extenrum, impossibile

ſibile eſſet ſpatium huiuſmodi pertranſire: non quod careret omni magnitudine, ſed quod magnitudinem haberet fine carenten; Finge enim te ſpatium huiuſmodi ingredi & pertranſeundo conficere mille, & proſtea mille & ſi vis milliones & miliones paſſuum: numquam verum erit, te totum hoc ſpatium tranſecundo conſummaſſe. His poſitis ponit Philoſophus definitionem qua veteres finiebant infinitum.

Infinitum, aiebant illi, *eſt id cuius nihil eſt extra*, Definitionem hanc Philoſophus improbat, aitq; non infinitum hac, ſed totum, ſeu perfectum deſcribi. Totum enim recte dicitur à quo nulla pars abeſt, ſine cuius nihil eſt extra. Ita homo perfectus ſecundum conſiderationem phyſicam, à quo nec brachium nec auris nec oculus abeſt? imperfectus futurus, ſi quodlibet ex his ab ipſo recidas & extra ponas.

Huic autem definitioni ſuam opponit dicendo? *Infinitum eſt cuius aliquid ſemper eſt extra*. Quæ definitio vt explicabitur optima apparebit, Eſt autem ſenſus ex magnitudine infinita quantumlibet accipiatur, aliquid ſemper vlteris accipiendum eſſe. Puta ſi ſit linea infinita quantumlibet repetas acceptionem per palmos, & per quamlibet finitam multitudinem palmorum, vltra palmos acceptos alij remanent accipiendi: iuxta illud: *infinitum per ablationem finiti numquam abſumitur*.

Sciendum eſt autem dupliciter conſiderari poſſe partes in qualibet quantitate.

Videlicet itaut communicent: & itaut non communicent. Communicantes dicuntur quarum vna habet aliquid de suo intra alteram. Non communicantes quarum vna est adæquate extra alteram. In quantitate bipalmari, palmi non cummunicantes sunt duo; communicantes sunt non tot quin plures, vt patet in subiecta linea, in qua non communicantes sunt *AB* & *BC*. Reliqui autem *DE*, *FG* &c. cum iisdem communicant, vt patet.



Rursus aliæ dicuntur porportionales, aliæ certæ seu determinatæ magnitudinis: seu æquales vni certæ. In quantitate palmari est assignabilis medietas & medietas: & in qualibet mediate alia medietas; sunt enim medietates medietatum in infinitum. Quod si in eadem quantitate partem aliquam determines huius vel illius datermi-natæ magnitudinis comparando deinde reliquum magnitudinis cum illa, diuidendo illud in partes ipsi æquales, non abibis in infinitum. Puta si in palmo designes magnitudinem digitalem, non inuenies nisi decies aut duodecies magnitudinem huiusmodi; adeoque accipiendo duodecies magni-

gnitudinem digitalem, vnam semper extra aliam & semper nouam vltra acceptas, totum palmum absumes. Secundum partes huismodi vna magnitudo dicitur alia maior, puta magnitudo trium palmorum maior est magnitudine bipsamari. Secundum partes autem proportionales non metimur magnitudinem aut paruitatem, æqualitatem aut inæqualitatem magnitudinum. Vnde inepte argueres: hic Gigas non pluribus medietibus constant, quam hic Pigmæus; ergo hic Gigas non est maior hoc Pimęo. Recte autem: hic Gigas pluribus palmis constant quam hic Pigmęus; ergo est maior.

Hinc habes magnitudines illas, quæ in magnitudine infinita reperiri debent nō tot quin plures, esse debere determinatæ alicuius & certæ mensuræ. Vnde aiunt infinitum in magnitudine constare partibus non tot quin pluribus vni certæ æqualibus; Debes autem præterea tenere quod dictum est, videlicet partes illa debere esse communicantes, adeoque infinitum erit quod diuisibile est in partes non tot quin plures non communicantes, æquales vni certæ & determinatæ magnitudinis: puta linea illla erit infinita, quæ diuisibilis erit in palmos non tot quin plures non communicantes. Palmus enim est vna certa pars huius determinatæ magnitudinis.

Rursus huiusmodi designatio seu diuisio dedet esse secundum illam rationem, secundum quam est infinitum. Puta si columna sit altitudinis infinitæ, disignatio partium

non tot quin plurium æqualium vni certæ, fieri debet secundum altitudinem. Si enim columnam prædictam secundum altitudinẽ diuidas in partes minores & minores in infinitum, adhuc habebis partes illa æquales vni certæ secundum diametrum: sed hæc æqualitas, vt vides, impertinentet se habet ad infinitam altitudinis.

Infinitum secundum magnitudinem sensibilem definiuimus: quia hoc maxime est physicæ considerationis. Post autem hæc definitio porportionaliter adaptari infinito secundum perfectionem. Solemus enim perfectionem etiam in quosdam gradus, explicationis causa, diuidere; eodem modo philosophantes de partibus intensionis, quo de partibus extensionis. Infinitumt amen in omni genere perfectionis quale est, extra omnem controuersiam; Deus perfectionẽ non habet constantem gradibus huiusmodi, nisi per equiualentiam quamdam, & ex modo imperfectio, quo diuina intelligimus. Huiusmodi infinitum non est præsentis considerationis.

Infinitum igitur de quo hic agimus est secundum quantitatem. Quantitas autem alia est continua, alia discreta. Continua dicitur, cuius partes vniuntur aliquo termino communi. Huiusmodi est linea palmaris, bipalmaris &c. Quantitas discreta cuius partes non vniuntur termino communi. Huiusmodi est quilibet numerius Hominum, Angelerum, &c. Infinitum in quantitate continua esset linea constans

pal-

palmis non tot quin pluribus ; in quantitate discreta esset numerus Hominum vel Angelorum constans vnitatibus non tot quin pluribus . Palmi vt faciant continuum debent simul vniri : homines faciunt numerum etiam diuisi.

Aduerte obiter numerum, eo ipso quod habet vnitates non tot quin plures , habere etiam ternarios & millenarios & quaslibet alia collectiones huiusmodi non tot quin plures. Patet hoc. Si per detractionem millenarij finities factam absumis numerum : absumes etiam per detractionem vnitatum item finities factam . Quilibet enim millenarius per detractionem vnitatum millies factam totus absumitur , igitur centum millenarij absumentur per detractionem vnitatum centies millies factam . Idem dic de quodlibet numero finito quorumlibet finitiorum numerorum . Adde quod si infinitum absumeretur per repetitam finities detractionem quantilibet numeri finiti , infinitum per ablationem finiti absumeretur , quod est chimericu . Idem amplica infinito secundum quantitatem continuam : quæ eo ipso quod palmos habet non tot quin plures, habet milliaria non tot quin plura , & sic de qualibet & quantalibet extensione finita .

Præcipue autem diuisio infiniti est in Categorematicum , & Syncategorematicũ. Categorematicum vocant de quo verificari potest esse positum totum actu . Linea habens actu palmos non tot quin plures est

infinita categorematice. Mundus si esset ab æterno, tam durasset infinite categorematice: verificaretur enim positot esse actu dies non tot quin plures, vnum adæquate extra alium, &c. Ex quo vides ad rationem infiniti non requiri vt constitutiua sibi coexistant. Quod si requireretur, stultum esset quærere an sit possibilis æterna duratio Mundi & infinitum in continuo successiuo.

Syncategorematicum appellant cuius quicquid est, finitum est, huic autem superadditur semper plus & plus in infinitum. Propterea dicitur esse partim actu, & partim potentia. Exemplum huius est in illa æternitate quam habent, & anima rationalis & Angeli. Huius durationis quicquid est & quidquid vmquam verificabis quod sit, finitum est: huic autem semper aliquid, & vlterius aliquid, & aliquid addetur. Puta post mille annos verum erit: quantum durauit finitum est, & quicquid vnquam erit ipsi additum etiam erit finitum: sed tamen alij mille, & mille & post quotlibet millia, aliis mille anni huic durationi addētur, adeoque numquam erit finis addendi finita, & consequenter dicuntur finita in infinitum.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

De creatura omnium possibilium perfectissima.

DIco omnium possibilium: quia non est dubium existere creaturam omnium quæ vmquam creabuntur perfectissimam. Dubitatur autem an sit possibilis creatura qua repugnet creatura perfectior. In hac dubitatione tenenda est sententia negatiua dicendo. Repugnat creatura omnium possibilium perfectissima. Probatur Conclusio ex conceptu diuinæ omnipotentiæ, cuius est quantumcunque sese communicauerit creaturæ, posse sese vlterius & vlterius communicare, & non inuenire in vlla re creata quod dicere possit; hucusque venies & ad nihil perfectius extenderis. Ratio hæc aliter etiam explicatur: Est de conceptu diuinæ perfectionis esse semper magis & magis imitabilem in creaturis; ergo data qualibet creatura, & quæ quantumlibet diuinam perfectionem imitetur, erit possibilis alia quæ magis imitetur eandem.

Confirmatur quia quacunq; creatura posita: inter ipsam & Deum dabitur semper infinita distantia; ergo inter ipsam & Deum erit aliquid semper vlterius possibile quod magis & magis accedat ad perfectionem diuinam. Probatur conseq. quia perfectio diuinam secundum excessum supra quamli-

bet erit semper imitabilis per aliam & alia; Imitabilis autem non per creaturam sibi similem, quod implicat, sed per excessum creaturæ supra creaturam, vt pateat nihil adeo perfectum creari à Deo, quo non possit creari perfectius. Hoc idem magis patebit ex sequentibus.

Dices: faciat Deus perfectissimam creaturam quam potest facere: Hoc posito, erit omnium possibilium perfectissima: ergo talis creatura non repugnat. Probatur postulatum: quia Deus potest facere perfectissimum quod potest facere; Igitur postulare quod hoc faciat, non est postulare chimeram.

Resp. neg. suppositum. Implicat quod alli obiecto conueniat esse perfectissimm quod Deus possit facere: finge me postulare à te. Cogita numerum maximum quem potes cogitare? Ineptus es si mihi des hoc potstulatum: Quicquid enim cogitaueris statim ostendam non esse maximum. Dicam enim huic numero posse addi vnitatem, & sic in infinitum: Dicam esse duplicabilem & sic ostendam quencunq; cogitaueris, non esse maximum quem cogitare potueris. Quid si dicas Deo; fac maximum numerem quem facere potes:

Objicitur 1. Inter omnes creaturas possibiles & Deum non est possibilis vlla alia creatura. inter omnes creaturas possibiles & Deum datur distantia infinita: ergo ratione distantię infinitę inter quamlibet creaturam & Deum non probatur possibilitas

alterius

alterius creaturę. Maior videtur clara ex terminis; si enim dicas inter omnes creaturas & Deum mediare aliquam creaturam, eo ipso non ponis pro extremo comparationis omnes creaturas: nam illa aliquam quam dicis mediare, est aliqua, adeoque est inter omnes, Minor autem probatur: quia certum est omnia possibilia simul accepta, si comparentur cum Deo, esse minus quam guttulam aquæ comparatam cum toto Oceano. Patet hoc quia guttula adeo multoties multiplicari potest vt adæquet Oceanum: quantumlibet autem multiplices omnia possibilia, & totam perfectionem omnium possibilium, numquam assequerit perfectionem diuinam. Ratio est euidens: quia tota illa perfectio semper erit creata & dependens; cum diuina perfectio sit essentialiter increata & independens.

Resp. negando maiorem, Dico autem intre omnem creaturam & Deum mediare semper aliam & aliam creaturam. Probatur hæc nostra responsio: quia vel *omnis* accipitur seu supponitur distributiue vel collectiue; vtrolibet modo accipiatur, semper inuenies creaturam mediam. Si enim accipitur colectiue: accipitur chimera; nam nulla est collectio quæ sit omnium creaturarum possibilium; sicut nullus est numerus qui sit collectio omnium numerorum possibilium. Inter chimeram autem & Deũ mediat omnis creatura, nulla omnino excepta. Si autem accipiatur distributiue, vt debet, eo ipso inter omnem mediat omnis;

nam

nam inter quamlibet & Deum, mediat quælibet alia: immo inter quamlibet, & Deum mediant non tot quin plures, & hoc est infinitæ infinitum; & consequenter quomodolibet accipias li omnem, accipis terminum inter quem, & Deum medient creaturæ non tot quin plures, quod erat demonstrandum.

Obijc 2. Est possibilis aliqua creatura quæ æquiualeat, immo emineat speciebus infra se possibilibus non tot quin pluribus. Huiusmodi creatura esset perfectissima ergo est possibilis creatura perfectissima. Minor probatur; quia creatura huiusmodi continet, & supercontinet perfectionem omnium specierum quas habet infra se: ergo supercontinet perfectionem species non tot quin plurium: ergo est infinite perfecta: ergo omnium perfectissima.

Resp. concessa maiori; negendo minorē. Ad probationem dic quod etiamsi probaretur hoc argumento creaturam illam esse infinite perfectam; non tamen probaretur esse perfectissimam omnium possibilium. Patet hoc euidenter; quia etiam illa species creature quæ est immediate post ipsam æquiualet, & eminet speciebus non tot quin pluribus infra se possibilibus: adoque eodem argumento probatur esse perfectionis infinitæ: implicat enim sub creatura prædicta contineri species non tot quin plures, & sub specie ipsi immediate proxima non contineri item species non tot quin plures: aliter species illæ per additionem

vnius

vnius euaderent non tot quin plures. Rursus est euidens speciem quæ est immediate infra creaturam prædictam non esse omnium perfectissimam, quandoquidem in ipsa hypothesi aliam habet se perfectiorem Est igitur euidens quod si hoc argumentum probet perfectionem prædictam esse infinitam, non tamen probat esse maximam quæ haberi possit, adeoq; quoad rem præsentem potes ad probationem minoris omittere totum, præter vltimam consequentiam.

Quia tamen falsum est quod omittis: ideo non ad repellendam creaturam omnium perfectissimam, sed ad repellendam falsitatem, nega creaturam perfectiorem aliis infra se possibilibus non tot quin pluribus, esse infinite perfectam Quod est æque euidenter falsum, ac falsum est quãtitatem palmarem esse magnitudinis infinitæ. Quantitas palmaris æquiualet & super æquiualet magnitudinibus infra se possibilibus non tot quin pluribus; ergo est magnitudinis infinitæ. Probatur antecedens: quia non solum palmus sed dimidium palmi diuisibile est in partes proportionales minores & minores non tot quin plures: & tamen certum est dimidium palmi, & palmum ipsum plusquam æquiualentem magnitudinibus huiusmodi minoribus & minoribus in infinitum non esse magnitudinis infinitæ.

Ratio à priori est illa quam dedimus initio quæstionis: imagnitudinem videlicet aut

paruitatem non esse metiendam per multitudinem partium proportionalium; quæ ratio valet tam in ijs quæ comparantur secundum gradus perfectionis, quam in iis quæ comparantur secundum partes extensionis: quemadmodum igitur infinitæ illæ magnitudines minores & minores infra palmum, non adæquant magnitudinem palmi, ita omnes illæ perfectiones infra perfectionem muscæ quamuis sint non tot quin plures minores & minores non adæquant perfectionem muscæ.

Dices, si per possibile, vel impossibile ponerentur à parte rei species illæ possibiles infra muscam, poneretur eo ipso perfectio infinita; musca est æqualis & plusquam æqualis toti illi perfectioni; ergo musca est perfectionis infinitæ.

Respond. hoc argumento recte probari quod æquiualentia perfectionibus huiusmodi non est æquiualentia perfectioni infinitæ: cum euidenter probet muscam fore perfectionis infinitæ. In forma ad argumentum nega maiorem. Et retorque. Si poneretur omnes illæ magnitudines minores & minores infrà palmum poneretur magnitudo infinita; palmus æquiualet & supera equiualet magnitudini huiusmodi: ergo palmus est maguitudo infinita. Vides quam euidentes sit falsa maior. Vtrobique ponitur infinita multitudo ibi perfectionũ, hic magnitudinum sed facientium ibi vnã perfectionem exiguam nedũ finitã: hic magnitudinem paruam, vt patet.

Obiic.

Obiic. Est possibilis creatura omnium imperfectissima; ergo etiam omnium perfectissima. Consequentia patet: quia non est potior ratio pro vna quam pro alia. Cur enim Deus poterit adeo modice se communicare, vt non possit minus: non autem tam liberaliter & tam ample vt non possit plus.

Resp. 1. Potest dari numerus omnium minimus; g. etiam maximus. Probatur antec. quia infra binarium non est possibilis vllus numerus. Vnitas enim non est numerus sed principium numeri. Patet etiam falsitas consequentis: quia quocunq; numero assignato potest illi aliquid superaddi, adeoque supra quencunq; numerum assignabilẽ est assignabilis alius numerus. Hinc patet veritas huius propositionis. *præter omnes numeros est possibilis alius numerus*, quæ non satis animaduertentibus apparet mirabilis. Ratio est quia si non potest accipi nisi distributiue vt dictum est supra.

Resp. 2. negando antec. Quemadmodum enim data qualibet parte in quantitate, potes hanc vlterius & vlterius diuidere in partes minores & minores in infinitum, ita data qualibet participatione diuinę perfectionis dari potest alia minor, & consequenter nec infra deuenitur ad minimum nec supra peruenitur ad maximum.

Obiic. 4. Est possibilis creatura ita perfecta in aliquo generę vt nequeat dari in illo perfectior: ergo est possibilis aliqua creatura ita perfecta simpliciter, vt nequeat

dari

dari perfectior simpliciter. Probatur antecedens: vnio hypostatica v. g. est ita perfecta in genere vnionis vt non sit possibilis vnio perfectior. B. Virgo est ita perfecta in genere Matris, vt nequeat dari maternitas perfectior ergo, &c.

Resp. concedo antecedenti? negando cõsequentiam. Non licet arguere à secundum quid ad simpliciter. Etiam in quantitate assignabis vltimum in aliquo genere, non tamen assignabis vltimum simpliciter. Puta assignabis vltimum palmum; vltimum digitum, & sic in quolibet genere partis determinatę magnitudinis: non tamen assignabis vltimum simpliciter, quia quodcũq; assignaueris erit in plura diuisibile. Dicitur Vnio hypostastica perfectissima in genere vnionis, ratione termini quem attingit & quem vnit, qui terminus est Deus ipse: adeoq; impossibile est vllam vnionem attingere terminum perfectiorem. Idem dic de maternitate B. Virginis, quę terminatur ad Deum, Ceterum ipsa B. Virgo potuit esse perfectior, & quamdiu vixit semper creuit perfectione: adeoq; si vixisset diutius, adhuc creuisset ulterius.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

An sit possibile infinitum?

ARTICVLVS. I.

Non repugnat syncategorematicum; secus categorematicum.

COnclusionis prima pars probata est articulo superiori, adeoq; hic solum confirmanda est. Confirmatur autem primo per æternitatem Angeli, & Animæ rationalis. In quocumque enim determinato die designetur duratio & Angeli, & Animæ rationalis, semper hæc, & ille vixerint per dies finitos, seu potius per numerum dierum finitum: quotquot autem dies addideris diebus designatis, remanent semper addendi alii plures, & plures in infinitum: hoc est absque eo quod vnquam sit finis addendi, quamuis id quod additur, sit semper finitum. Hoc qui meditatur: & intelligit infinitum syncategorematicum; & in aliis sit sapiens, dum æternitatem suam recognitat.

Confirmatur secundo, ex conceptu Diuinæ omnipotentiæ. Nam qualibet Angelorum multitudine posita, potest alios, & alios Angelos creare absque eo quod vmquam tot crearit, vt vlterius in creando progredi non possit. Hoc autem est esse possibile infinitum syncategorematicum, de

de quo videlicet quicquid vmquam verificatur, quod actu sit, finitum est; huic autem quod finitum est, semper aliud, & aliud infinitum addi potest. Hoc idem facile intelligas in quantitate continua. Si enim fingas lineam cuiuscunque magnitudinis, numqum talem finges, cui non possint addi palmi plures, & plures in infinitum.

Dices; quandu illa linea perueniret ad vltimam superficiem mundi, ibi necessario finietur: ergo falsum est, quod huic lineæ possint addi palmi plures, & plures in infinitum. Antecedens probatur; quia vltra vltimam superficiem, non est in quo describatur talis linea.

Resp. Mathematicum æque bene describere in nihilo, ac in tabula, suas lineas. Res. secundo negando antec. Deus enim etiam vltra Mundum potest extendere lineam. Quod si nolis extendi: ipsa Mundi superficies ampliari potest magis, & magis in infinitum, & consequenter & linea ipsa.

Pro secunda parte conclusionis. Primum argumentum sit contra infinitum in quantitate discreta; proportionaliter valens cōtra infinitum in quantitate continua. Si daretur multitudo infinita, idem esset ęquale, & non æquale eidem secundum idem: consequens repugnat, g. & antec. Sequela maioris probatur, Sint duæ multitudines hominum infinitæ, altera hominum alborum, altera verò nigrorum. Duæ istæ multitudines per hypothesim sunt æquæles. Hoc posito, de-

mę

me à multitudine nigrorum mille homines alia multitudine prorsus intacta: roga- iam, an duæ istæ multitudines sint inter se æquales: si affirmet Aduersarius; argue contra ex principiis per se notis: si ab æqualibus inæqualia demas, ea quæ remanent non sunt æqualia: sed in casu posito ab æqualibus inæqualia demis, videlicet ab vna multitudine mille; ab altera vel nihil, vel decem homines, ergo quæ remanent non sunt ęqualia. Si autem neget Aduersarius esse æquales; sic probabis contra, Quia etiam multitudo ex qua dempti sunt mille homines est infinita; ergo est æqualis alteri multitudini. Antec. prob. quia antequam demeres mille homines erat infinita: ergo aeque demptis mille hominibus est infinita; implicat enim & multitudinem finitam per additionem cuiuslibet numeri finiti euadere infinitam, & multitudinem infinitã per detractionem cuiuslibet numeri finiti euadere finitam.

Vt autem recte intelligas consequentiã. Finge prædictos homines albos, & nigros ita disponi, vt vtraque multitudo insideat lineæ infinitę: quælibet suæ. Hoc posito habebis duas lineas infinitas alteram opertam hominibus albis, alteram hominibus nigris; ita autem dispone vtramque lineam vt singuli albi singulis nigris respondeant. In hac vtrorumque hominum dispositione ex hac parte, ex qua incipis vtrosque numerare, deme ab vna linea mille homines & sint homines nigri. Hoc facto priusquam

inci-

incipias numerare vllum hominem nigrũ, numerabis mille homines albos: relinquitur enim spatium mille hominum non occupatum ab ullo ex hominibus nigris. Hoc facto trahe multitudinem nigrorum, itaut occupet spatium relictum à mille hominibus quos abstulisti, & quære ab Aduersario, an versus illam partem, qua vtraque multitudo in infinitum protenditur, singulis albis singuli nigri respondeant? si affirmet: ergo multitudo nigrorum etiam post ablationem prædictam est æqualis multitudini alborum: si neget: ergo multitudo nigrorum ex infinita euasit finita per ablationem prædictam. Probatur hæc vltima conſ. quia vbi incipit excessus alborum supra nigros ibi est terminus nigrorum: & consequenter multitudo illa per ablationem mille hominum ex infinita euasit finita.

Habes ex eodem discursu etiam multitudinem hominum alborum esse infinitam. Probatur: quia ex hypothesi multitudo alborum superat multitudinem nigrorum mille hominibus dumtaxat; implicat autem quod multitudo superas multitudinem finitam quocumq; numero finito dumtaxat, sit infinita; ergo illa ipsa multitudo hominum alborum non est infinita.

Hoc idem argumentum facile conuertes contra infinitum in quantitate continua: ducantur duæ lineæ infinitæ insidentes superficiei huius scholæ versus Orientem. Hoc posito ab altera ex lineis demantur mille palmi, & deinde trahatur ad eandem

fu-

superficiem. In hac hypotesi ita philosophare comparando palmos vnius cum palmis alterius: sicut philosophatus es comparando homines nigros cum hominibus albis.

Familiaris aduersariorum responsio est æquale, inequale, tot quot, minus maius &c. & alia huiusmodi vsurpari non posse in infinito, vt potè designatiua passionum quantitatis finitæ. Huiusmodi responsionem habes apud Gabrielem Vasquez, & alios.

Sed contra est id quod habetur in varijs Concilij, & Symbolo S. Athanasij, vbi de personis diuinis dicitur, quod coæternę sunt & coæquales, cum tamen certum sit eas esse perfectionis infinitæ. Quod sit plura supposita perfectionis infinitæ vere, & in omni rigore dicuntur inter se æqualia: cur plures longitudines, aut multitudines infinitæ dici non poterunt inter se ęquales. Certè si infinitudo in perfectione non officit æqualitati in perfectione; nec infinitudo in multitudine officiet æqualitati in multitudine.

Præterea iuxta Euclidem ea sunt æqualia, quæ sibi muto congruunt; sed non est contra rationem duorum infinitorum, vt sibi mutuo congruunt: ergo non est contra rationem duorum infinitorum, vt sint inter se æqualia. Adde quod præscindendo, a finito, & infinito recte intelliges multitudines illas esse æquales, quorum neutra ex cedit neutra exceditur; tales autem esse duas
mul-

multitudines infinitas non repugnat: ergo non repugnat esse æquales. Quod si Aduersarij molint vllo modo nos loqui de quantitate infinita secoudum rationes notissimas quantitatis: procoldubio non impugnabuntur.

Eodem argumento probatur totum non esse maius sua parte, continens non esse maius contento; & alia huiusmodi, quæ repugnant primis principijs. Infinitum illud, de quo supra, continet vt partem sui, illos mille homines, & cum illis mille reliqua multitudo vnam multitudinem facit; & consequenter multitudo illa est pars totius multitudinis conflatæ ex ipsa, & mille illis hominibus. sed ipsa sola, vt ostensum est, est æqualis muititudini conflatæ ex ipsa, & illis: ergo pars ast æqualis toti: coutentum æquale continenti.

Explicatur hoc idem exdictis. Constat enim multitudinem infinitam plures multitudines infinitas in se continere. Hinc sequitur quod si ax infinita multiudine, multitudinem infinitam abstuleris, adhuc remanæt multitudo infinita. Res patet exemplo, In multitudine infinita Angelorum inueniuntur infiniti milenarij; si enim millenariorum numeri sunt finiti, infinitum per ablationem finiti absumitur. Deme igitur ex singulis milenarijs vnum Angelum; eo ipso demis multitudinem infinitam Angelorum: vnitas enim infinities mulptiplicata facit multitudinem infinitā. Immo eo ipso quod ex singulis millenarijs.

rijs demis vnum, non solum infinitas vnitates, sed infinitos millenarios demis. Patet hoc; quia eo ipso demis multitudinem infinitam, & consequenter & post ablationem & ante ablationem est eodem modo infinita; nec maiorem multitudiuem habes ante ablationem, quam post; quod est in intelligibile.

Respondet aduersarius in casu hic proposito fore vnum infinitum alio maius, quo ad continentiam, non vero quo ad correspondentiam. Esset maius quoad continentiam, quia vna multitudo continet plura quam alia; puta antequam demas vel mille homines, vel infinitas illas vnitates, hęc omnia continebantur intra multitudinem *A* dempta autem non amplius in eadem continentur, vt patet; & consequenter multitudo illa ante ablationem maior est, quam post ablationem quoad continentiam: non est autem maior quoad correspondentiam: quia vtraque multitudo eidem mensuræ correspondet. Puta si fingas Mundum esse ab æterno, & singulis diebus duos homines creatos, vnum album, & alterum nigrum: etiam ablatis mille nigris, vtraque hominum mnltitudo retroeunti toti æternitati ęqualiter respondebit, nec vlli diei respondebit homo albus, cui non respondeat suus homo niger.

Sed contra est primo; quia hoc ipsum ex terminis apparet incredibile: quod videlicet creatis singulis diebus vno albo,

& vno nigro, ablatis deinde mille ex nigris, nullus dies non habeat tam suum nigrum, quam suum album. Secundo probatur duo hęc infinita non esse ęqualia quoad correspondentiam. Sit multitudo infinitã Zerbinorum: qui singuli suum annulum habeant proprio nomine inscriptum. Hoc posito erit & infinita multitudo annulorum, & multitudo infinita binariorum annulorum: vt patet ex dictis. Hoc est erunt non solum infiniti annuli, sed infiniti binarij annulorum. Iuxta doctrinam aduersariorum infinitum binariorum non erit minus infinito annulorum, quoad correspondentiam. Sit igitur mensura communis vtriusq; infiniti ipsa multitudo Zerbinorum. Sequitur autem binarios eidem omnino mensuræ respoudere, cui respondent singuli annuli. Incipiat igitur Ganimedes accipere duos annulos. Totidem accipiat Giges, & sic de cæteris, & vide an intelligere possis singulis Zerbinis æq; dari posse duos annulos, ac vnum. Si autem hoc est intelligibile, & ex terminis euidenter falsum: est etiam euidenter falsum binarios annulorum æquales esse vnitatibus eorundem, Certè si fingas primum ex Zerbinis accipere suum, & alienum: numquam intelliges totam illam multitudinem, non multiplicatis vlterius annulis, annulandam.

Hæc & alia huiusmodi argumenta petuntur ex principijs per se notis. Sint mille homines singuli habentes suum annulum:

lum; proijciant omnes, quisque suum annulum in vnum aceruum. Petrus pro vno, quem proiecit resumat duos: idem faciat Paulus; & sic de cæteris: & post quingentos defecerit aceruus? Hoc idem facias in maiori, & maiori multitudine, in multitudine, seu finita, seu infinita, nec vmquam intelliges singulos habentes, & proijcientes vnum annulum, posse resumere duos.

Alia aduersariorum responsio, dum arguis totum non fore maius sua parte, est negando suppositum? quod videlicet in infinito detur pars. Ratio negandi est: quia pars ab Euclide definitur. quæ sæpius replicata adæquat totum: sed nulla, inquiũt, magnitudo in infinito qnantumlibet replicata aqauat infinitum; ergo nulla magnitudo in infinito est pars.

Verum ex hac ipsa partis definitione deberet Aduersarius cognoscere impossibilitatem infiniti. Est enim euidens lineam infinitam constare palmis non tot quin pluribus; & palmos non tot quin plures esse constitutiuos lineæ infinitæ. esse autem constitutiuum lineę. & esse partem sunt vnum, & idem: rursus illi ijdem palmi non sunt partes, quia quantumlibet replicentur non adæquant totum: ergo sunt partes, & non partes, & consequenter ex hac ipsa definitione Euclidis apparet per infinitum verificari contradictoria. Quilibet palmus in prædicta longitudine est pars: constituit enim & integrat illam longitudinem, qui

est concetus per se notus; partis; rursius quantumlibet replicetur non adæquat totum; ergo non est pars; quia pars est quæ &c. ergo ille palmus in longitudine infinita est pars, & non est pars: & consequenter repugnat palmum esse in vlla longitudine infinita, adeoq; omnis logitudo infinita repugnat.

Obiter nota partem ex Euclide aliam esse aliquotam, aliam aliquantam. Aliquota est, quæ sæpius repetita totum suum commeusurat. Huiusmodi est vnitas in quolibet numero. Huiusmodi est binarius in quaternario, sena[illegible], alijque huiusmodi. Nam & vnitas sępius repetita quemlibet numerum, puta septies septenarium; & binarius reperitus quatcinarium, ter positus senarium, & sic de cæteris commensurat. Pars aliquanta est, quæ sæpius repetita non commensurat, sed vel à toto deficit, vel totum excedit. Huiusmodi est ternarius in denario. Nam ter acceptus deficit. quater acceptus, excedit. Partem aliquantam non esse propriè loquendo partem, sed partes docet idem Euclides, sed quicquid sit; hoc tenendum est, illam videlicet ita multiplicari posse, vt totum excedat.

Secundum argumentum sic proponitur: Infinitum vtrinque terminatum repugnat: sed si deretur infinitum secundum quantitatem, esset vtrinque terminatum; ergo infinitum secundum quantitatem repugnat. Vtraque præmissa probanda est. Quamuis

cuim

enim maior videatur ex terminis nota, negatur tamen à quibusdam. Philosophus 1. De Cœlo textu 39. ait lineam cuius finis est, impossibilis est esse infinitam. Quod etiam apparet ex definitione superius explicata. Adde quod terminari, & finiri; sunt vnum & idem infinitum igitur vtrinque terminatum, & vtrinque finitum, erunt vnum & idem; videtur autem in terminis repugnare infinitum finitum.

In gratiam tamen gratis omnia negantium, probanda est vlterius maior. Si daretur infinitum vtrinque terminatum linea finita per additionem magnitudinis finitæ euaderet infinita, consequens est absurdum? ergo & antec. Seq mai prob. sic. Ducatur à punct *A* vsq; ad punctum *B*. linea infinite. Postulatum nequit negari, cum sit ipsamet aduersariorum hypothesis. In hac linea dantur aliqui palmi, qui infinitē distat à primo, & aliqui qui solum finite. Hoc etiam videtur euidens. Si enim nullus palmus infinite distet à primo, implicat lineā esse longitudinis infinitæ. Quod autem aliqui distent solum finite patet, quia sextus, & septimus, millesimus, & millionesimus finite solum distant à primo. His positis pete assigari palmos finite distantes à primo, ijsq: assignatis adde alterum palmum, & roga an linea euaserit infinita. Si negent; ergo etiam palmus additus solum finite distabat à primo, & consequenter non fuerunt assignati palmi omnes distincti à palmis infinite distantibus, si autem concedant

 habes

habes intentum, quod videlicet longitudo finita per additionem vnius palmi sit euaserit infinita.

Effugium Aduersariorum est: non esse assignabiles omnes palmos finite solum distantes à primo; adeoque nec vltimum inter omnes distantes finite solum à primo. Sed contra est, quia de facto in illa linea dantur palmi finite, & palmi infinite distantes à primo. Cur igitur nequeunt assignari; Secundo. Potest vltimum assignare Aduersarius inter infinite distantes; ergo multo magis inter finite distantes. Consequentia est à fortiori, quia infinito repugnat vltimum ex conceptu communi; secus finito. Quod si Aduersarius probet non posse vltimum assignari nè sequatur id, quod intendimus, non soluit nostrum argumentum, sed destruit suum positum.

Præterea si inter palmos solum finite distantes à primo non est assignabilis vltimus: sequitur palmos finite distantes à primo esse infinitas; & transitum habere inconsummabilem; consequens repugnat in terminis: ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia in palmis solum finite distantibus à primo habes partes non tot quin plures non communicantes æquales vni certæ, & consequenter habes magnitodinem infinitam actu in extensione, in qua nullus palmus infinite distat à primo.

Probandaa est iam minor primi syllogismi;

mi; quod nimirum si daretur infinitum in quantitate esset vtrinque terminatum. Probatur autem sic. Detur linea à puncto *A* in infinitum producta. Pete ab Aduersario, an aliquis palmus in tali linea distet infinite à puncto *A*, an nullus: Si nullus, ergo non est infinita; est enim ex terminis euidens lineam illam non esse infinitam, cuius nulla pars à primo puncto distet infinite. Si autem aliquis: eo ipso linea illa palmo assignato, & puncto *A* tota comprehenditur, seu, palmo illo & puncto *A* longitudo infinita comprehenditur, adeoque vtrinque terminatur. Dicere autem nullum palmum assignari posse in linea prædicta infinité distantem à primo, seu à puncto *A* est irrationabile, cum linea illa ponatur infinita.

Eadẽ min. prob. sic; à pũcto *A* ducantur duæ lineæ infinitæ altera versus *B*, altera versus *C* facientes simul angulum rectũ. Inter vtrãq: lineam ducantur lineæ transuerasales hac lege vt; prima linea sit vnius palmi; Secunda duorum palmorum; tertia trium, & sic in infinitũ.



itaut linea posterior totidem palmis con-ſtet, quot ſunt lineæ anteriores. Hoc poſito ſic argue. Inter lineas *AB*, & *AC* ſunt ducibiles lineæ tranſuerſales in infinitum. Supponimus enim vtramq; in infinitum produci; ergo aliqua ex huiuſmodi lineis eſt infinita. Quælibet ex his lineis eſt vtrique terminata, ergo aliqua linea infinita eſt vtrinque teminata.

Probatur hoc, & explicatur vlterius. Aliqua ex lineis conſtat tot palmis quot ſunt lineæ tranſuerſalas; lineæ tranſuerſales ſunt infinitæ ergo aliqua conſtat palmis infinitis; linea conſtans palmis infinitis eſt infinita: ergo aliqna ex prædiſtis lineis eſt infinita. Rurſus omnes prædictæ lineæ clauduntur lineis *AB*, & *AC*; aliqua ex prædictis lineis eſt infinita: ergo aliqua linea infinita vtrinque terminatur, quod erat probandum.

His autem argumentis, quibus probata eſt maior primi ſyllogiſmi, recte probabis nullam figuram poſſe eſſe infinitam. Nam ſecundum Euclidem: figura eſt quæ ſub aliquo, vel aliquibus terminis compræhenditur: adeoq; eſt vndiq; terminata: ſed vndique terminatum nequit eſſe infinitum; ergo figura nequit eſse infinita.

Hoc idem argumentum eadem vi petit quantitatem diſcretam. Detur enim multitudo infinita Angelorum. In hac multitudine non omnis numerus diſtans à primo erit infinitus. Millenarius enim non eſt infinitus nec infinitè diſtans à primo. Rurſus

sus in hac eadem multitudine aliquis numerus infinite distat à primo. Implicat enim multitudinem esse infinitam, in qua nullus numerus excedat infinite vnitatem, aut binarium. Quemadmodum aute in quantitate continua rogasti assignari tibi palmos finite, & palmos infinite distantes à primo: ita etiam roga hic, assignari tibi, & numeros finite, & numeros infinite distantes à primo, Cuilibet numero, qui assignetur vt vltimus inter finite distantes adde vnitatem, & vide an facias infinitum, & argumentum instaura.

Præterea si daretur numerus infinitus Angelorum, in tali numero vel continerétur omnes species numerorum finitorum, vel non, si non: ergo aliqua species numeri finiti non est intra numerum infinitum, quod repugnat ex terminis. Est enim inexcogitabilis numerus finitus, qui non contineatur, & excedatur ab infinito. Si contineantur? sequitur aliquam speciem numeri finiti esse infinitam. Probatur hæc sequelā: quia vel numerus omnium numerorum finitorum est finitus, vel infinitus, si finitus; dic huic numero superaddi vnitatem, & pete, an euaserit infinitus? Si affirment, ergo finitum per additionem finiti euasit infinitum, immo numerus finitus per additionē vnius vnitatis euasit infinitus. Si negent; ergo non assignarunt numerum omnium numerorum finitorum, quandoquidē huic potest superaddi alius, & alius finitus.

Si autem dicant numerum omnium nu-

ARTICVLVS. II.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

OBjicitur 1. Quæcumque militant contra categorematicum militant etiam contra syncategorematicum; ergo vel neutrum tenendum est, vel vtrumque. Antecedens probatur. Sint duæ multitudines infinitæ syncategorematice, altera hominum nigrorum, & altera hominum alborum. Ab vna multitudine demantur mille; ab altera vel duo vel nemo. Hoc posito istæ duæ multitudines erunt æquales, & non æquales ergo &c. Probatur hoc ratiocinatione superius allata contra infinitum categorematicum.

Item; in infinito Syncategorematico hominum sunt plures oculi quam homines, simul non sunt plures. Sunt plures, quia singuli homines habent binarium oculorum: & consequenter multitudo oculorum est dupla multitudinis hominum; non sunt plures, quia tam homines sunt infiniti quam infiniti oculi. Ostensum est autem esse eo ipso æquales; quia si oculi excederent homines, ubi est excessus oculorum supra homines, ibi terminatur hominum multitudo. Ex his patet ad alia argumenta quod totum non esset maius sua parte, & sic de cæteris.

Resp. neg. ant. Ad probationem tenendum est id quod sæpius hactenus dictum

est: videlicet quicquid datur de Syncategorematico finitum esse, quamuis huic aliud & aliud addi possit in infinitum. Petere autem poni à parte rei vel sumi per modum vnius collectionis id omne quod importatur per infinitum Syncategorematicum est petere non infinitum Syncategorematicum, sed categorematicum. Nequit igitur vnum infinitum comparari cum alio infinito nisi secundum determinatas hinc & inde multitudines, quæ cum semper finitæ sint, facile est inter eas decidere vtra sit maior. Puta: creet Deus per singulos dies æternitatis futuræ duos homines vnum album & alterum nigrum, vt compares nigros, cum albis: debes accipere vtrosq; secundum collectiones determinatas. Quemadmodum enim nequeunt venire per modum vnius collectionis omnes dies æternitatis prædictæ, ita nec omnes homines albi aut nigri, quascunq; autem collectiones conferas habebis vnde alterā alteri vel æques, vel præponas: puta post mille annos erunt mille albi & mille nigri: si à nigris auferas centum, ab albis decem, plures erunt albi quam nigri; quia si ab æqualibus inæqualia, &c. Idem dic de quibuslibet collectionibus acceptibilibus intra vtrumque infinitum.

Quod si vrgeat Aduersarius vt & omnes albos & omnes nigros compares ad inuicē: vtrosq; collectiue acceptos, negandum est suppositum: quia non est assignabilis vlla collectio quę sit omnium futurorum in hy-

po-

pothesi facta: sicut nulla est assignabilis collectio quæ sit omnium dierum æternitatis. Sed quemadmodum qualibet collectione assignata dierum, manent aliæ & aliæ, ita qualibet collectione assignata hominũ, siue alborum, siue nigrorum, manent aliæ & aliæ in infinitum. Explicatum est hoc supra per numeros. Si quis enim roget vt assignes omnes numero possibiles eosq; in vnum colligas; recte negabis suppositum: quia quocũque numero assignato potes assignare maiorem. Hinc patet ad argumentum. admitte & infinitum Syncategorematicum hominũ nigrorum & infinitum Syncategorematicũ hominum alborum. Si comparētur ista duo per collectiones determinatas, & collectiones vtrimq; ponantur æquales; illa manebit minor à qua plura dementur. Si petat Aduersarius comparari inuicem duo hæc infinita secundum omne quod dicunt de potentialitate, li *omne* vel potest accipi distributiue vel collectiue. Si accipiatur distributiue: eo ipso accipitur secundum collectiones finitas, & habes quoddicas. Si collectiue, nega suppositum. Si enim esset collectiue accetibilis, & per modum vnius multitudo possibilium, hæc non esset infinita syncategorematice sed categorematice.

Dices, duę multitudines syncategorematice infinitæ secundum id quod post quamlibet acceptionem finitam manet in potentia, vel sunt æquales vel non sunt æquales? neutrum dici potest, ergo nulla responsio. Maior est euidens; quia est disiunctiua inter

con-

contradictoria. Minor probatur: quia si dicas esse æquales habes contra te argumenta iam facta. Si dicas non esse æquales; habes alia iam iterum repetita.

Resp. 1. Transmissa mai. neg. min. & dico prædictas multitudines non esse æquales. Ratio est quia hæc propositio: *multitudo syncategorematice infinita secundum id omne quod dicit de potentia non est æqualis huic vel illi*; est propositio negatiua, adeoque etiam de subiecto non supponente potest concedi: cum propositio negatiua ad sui veritatem non existat constantiã subiecti. Quod si inferas: *ergo est inæqualis alteri multitudini*: negatur conseq. quia inæquale non dicitur nisi de eo quod est, aut esse potest. Hæc propositio; *Petrus est inæqualis Antichristo* pedit dari Petrum comparabilem cum Antichristo. Hæc alia propositio *Chimera non est æqualis Antichristo* non petit dari Chimeram.

Resp. 2. Negando suppositum maioris: quod videlicet sit acceptibilis vlla multitudo syncategorematice infinita secundum omnia quæ dicit in potentia: & quod in huiusmôdi multitudine fieri possit vlla acceptio, postquam non sit alia, & alia factibilis. Igitur post quamlibet acceptionem finitam fieri potest alia acceptio item finita, Quod si vrgeas post omnem non remanere vllam: respondebo post omnem distributiue acceptam, remanere aliam & aliã: post omnem collectiue acceptam; negando suppositum.

Obij.

Obij. 2. Inter omnes collectiones finites possibilium nulla est quę non sit possibilis: ergo omnes collectiones finitæ sunt simul possibiles; ergo est possibile infinitum categorematicum. Probatur prima conseq. quia possibilitas vnius collectionis non pugnat cum possibilitate vllius alterius; ergo si omnes sunt seorsim possibiles, omnes sunt simul possibiles: sed si nulla est quæ non sit possibilis omnes sunt seorsim possibiles: ergo si nulla est quæ non sit possibilis: omnes sunt simul possibiles.

Confirmatur: quia quotiescunque plura sunt singillatim possibilia & vnum alteri non opponitur, toties illa sunt possibilia simul; sed huiusmodi sunt vel homines, vel Angeli possibiles: ergo sunt possibiles simul & omnes Angeli & omnes homines Explicatur mai. Sessio & negatio sessionis sunt seorsim possibiles, *Est* & *non est* circa idem sunt seorsim possibilia: quia tamen & sessio negationi sessionis, & *est* opponitur li *nõ est* non possunt poni simul. Non sic de Petro & Paulo: nam & Petrus est possibilis, & Paulus est possibilis nec inter Petrum & Paulum datur ulla oppositio; erunt igitur non solum seorsim, sed etiam simultanee possibiles. Probatur iam min. quia nullus ex Angelis possibilibus dicit vllam repugnantia cum vllo alio, nec vllus ex hominibus, & sic de cæteris r Poterunt igitur non solum seorsim & distributiue, sed simul & collectiue poni omnes Angeli & omnes collectiones finitæ hominum & Angelorũ possi-

bi-

bilium. Quod autem hæ sint infinitæ patet ex dictis: cum post quamlibet acceptionem finitā sint aliæ & aliæ non tot quin plures.

Resp. Laruam huius argumenti facile detrahi per instantiam in numeris. Nulla collectio numerorū finitorum pugnat cū alia; ergo quælibet est possibilis cum qualibet. Itē: nulla est collectio numerorū finitorum, quæ non sit possibilis: ergo omnes sunt possibiles: ergo omnes simul sunt possibiles. Rursus; omnes sunt possibiles seorsim, & nulla dicit repugnantiam cū vlla alia; ergo omnes simul sunt possibiles: ergo possūt poni simul omnes collectiones numerorum finitorum collectiue acceptæ. Confirmatio quæ supra adducta est, hic repeti potest.

Resp. 2. In hoc argumento & in instantia contra argumentom posse omnia concedi præter vltimam consequentiam, cuius falsitas sæpe hactenus patuit. Omnia possibilia sunt simul possibilia, & quæ non habent repugnantiam inter se ita sunt simul possibilia vt ad ipsa detur non solam simultas potentiæ, sed etiam potentia simultatis: adeoque non solum possibilitas ad mille homines stat cum possibilitate ad alios mille, sed etiam actualitas cum actualitate; idem dic de qualibet collectione cum qualibet alia comparata, sicut quilibet numerus est cum quolibet alio diuinabili possibilis, itaut vterq; simul sit in natura. Sed quemadmodum repugnat esse vllum numerum qui sit numerus & collectio omnium numerorum finitorum: adeoq; repugnat ac-

cipi omnes numeros collectiue, seu omnes numeros, li *omnes* supponente collectiue ita etiam repugnat vllam collectionem esse collectionem omnium possibilium, adeoque omnia possibilia accipi li omnia supponente collectiue.

Hoc autem non ex eo accidit quod vlla collectio cum vlla alia collectione pugnet: sed ex eo quod hic terminus: *omne possibile* & alij similes, puta: *omnes homines possibiles. Omnes Angeli possibiles.* Si li *omnes* supponat collectiuè; sint de subiecto non supponente, quæcunq; tandem propositio fiat in qua pro subiecto ponantur, vt patet ex dictis. Repugnantia igitur est in ipsamet collectione omnium.

Dices à distributiuo ad collectiuum bona est coseq. ergo si singula distributiue sint possibilia: sunt possibilia omnia collectiue. Mai prob. Est bona hæc conseq. Petrus est Sanctus, & Paulus est Sanctus, Andreas est Sanctus, & sic de cæteris ergo omnes Apostoli sunt Sancti. Est bona inquam consequentia etiamsi li *omnes* supponat collectiue. Nonnisi quia à distributiuo valet ad collectiuum: ergo, &c. Valebit igitur eodem modo, & Angelus *B* est possibilis, & Angelus *A* est possibilis & sic de cæteris? ergo omnes Angeli sunt possibiles, etiamsi li *omnes* supponat collectiue.

Resp. 1. Rogando an valeat hoc argumentum. Et Petrus est vnus homo, & Paulus est vnus homo & Andreas est vnus homo, & sic de cæteris; ergo omnes Apostoli

sunt

sunt vnus homo: etiamsi li *omnes* supponat collectiue. Item an valeat hoc aliud & hæc particula huius montis est quid modicum & hæc alia particula est quid modicum, & sic de cæteris, ergo *omnes* istæ particulæ sunt quod modicum: etiamsi li *omnes* sonet collectiue. Quæ si valent habes & omnes Apostolos collectiue acceptos esse vnum hominem, & montem Olimpum immo totum Vniuersum esse quid modicum, itaut non sit amplius mirum, posse illud Pancratij viribus dimoueri.

Resp. 2. non valere à distributiuo ad collectiuum, nisi vbi & enumeratio est adæquata, & prædicatum conueniens cuilibet non conuenit illi ob diuisionem ab alijs. Ex defectu primæ conditionis non valet: *Potest poni & hic & ille & ille Angelus possibilis; ergo omnes Angeli possibiles collectiue.* Ex defectu secundæ non valet: *Et Petrus est vnus homo; & Paulus est vnus homo &c. ergo & Petrus & Paulus &c. sunt vnus homo.*

Obijc. 3. Non datur infinitum categorematicum: ergo datur infinitum categorematicum. Probatur hæc mirabilis conseq. quia si non dantur infiniti Angeli, dantur infinitæ negationes Angelorum; ergo si non datur infinitum rerum, datur infinitum negationum. Probatur antec. quia quot possent existere Angeli & non existunt, tot dantur negationes Angelorum: sed possent existere Angeli non tot quin plures, & non existunt: ergo dantur non tot quin plures

ne-

negationes Angelorum. Vbi nota quod Angeli qui possent esse, & non sunt, sunt possibiles: negationes autem non sunt possibiles sed existentes. Maior probatur; quia singuli Angeli singulis negationibus excluduntur, g. &c. Antec. probatur: quia quilibet ex Angelis qui posſunt existere & non existunt, potest coexistere negationi cuiuslibet alterius: ergo nullus Angelus excluditur per negationem vllius alterius. Patet conseq; est enim impossibile quidlibet coexistere exclusiuo sui.

Hoc argumentum nullam vim habet contra nos, qui de negationibus sentimus, vt oportet. Nam neque dantur res neque negationes rerum: quamuis ex duabus propositionibus contradictorijs necessario alterutra vera sit, alterutra falsa. Diximus autem, vbi de negatiobus, necessario dari rem, vel negationem rei in ratione veri, non autem in ratione rei. Quod nihil aliud est nisi necessario rem esse, vel esse verum quod ipsa non sit. Ad argumento igitur in forma: conc. ant. nega conſ. Ad prob. nega ant. & patet ad reliqua.

Qui admittunt negationes obiectiuas sunt in triplici classe, & inter se discordes. Alij negationes obiectiuas ponunt in aliquo extra Deum. Alij in decretis Dei. Primi dicunt negationes esse non tot quin plures & infinitas syncategorematice, nec aliter acceptibiles quam per collectiones finitas sicut & de illorū terminis dicitur. Secundi inter se dissentiunt, alij tot decreta ponunt

quot

quot sunt termini negati; & de ijs decretis ita philosophantur sicut alij de alijs negationibus obiectiuis; ea videlicet esse acceptibilia secundum collectionis finitas in infinitum, sicut & sunt acceptibiles termini eorundem. Alij vnico decreto ea omnia excludunt quæ non sunt cum esse possent. Ad argumentum in oppositum facilis est responsio, videlicet decretum *A* esse exclusiuum eorum quæ non sunt; non futurum idem decretum, si ex ijs quæ non sunt aliqua sint: adeoque si ponas existere Angelum *A* non autem Angelum *B*, ponis eo ipso decretum quo excludatur Angelus *B*, non autem Angelus *A*. Immo facile est intelligere vnicum decretum quo & ponantur quæcunque vmquam sunt, & excludantur quæcunque non sunt, cum esse possint. Et consequenter nulla res coexistet negationi sui; cum per ipsam hypothesim per quam res ponitur, excludatur quodlibet decretum exclusiuum ipsius. Adde decreta huiusmodi esse volitiua & nolitiua harum & illarum rerum pro his & illis differentij temporis. Puta est in Deo decretum exclusiuum Antichristi non simpliciter & absolute, sed pro hac differentia temporis; & illud idem est volitiuum Antichristi simpliciter & absolute, non tamen pro hac, sed pro alia differentia temporis. Hac dicta sint ad intelligentiam decretorum, quæ quamuis putemus male adduci pro negationibus & priuationibus: certum est tamen dari in Deo, cum nihil sit in natura

nisi

nisi ipso volente, nihil non sit ex ijs quæ esse possunt, nisi ipso vel nolente, vel non volente.

Responsiones dissentientium à nobis argumento proposito non satisfaciunt. Nam termini negati intantum non faciunt vnam collectionem, adeoque vnum infinitum, inquantum implicat eos simul poni: seu inquantum quacunq; terminorum collectione intellecta, potest & intelligi & poni alia & alia in infinitum; sed horũ terminorũ existunt de facto negationes tot enim reipsa negationes sunt in natura, quot desunt termini qui esse possent & non sunt: quemadmodum igitur si per impossibile ponerentur omnes illi termini, reipsa daretur infinitum: ita cum de facto ponantur & sint in natura distinctæ inter se negationes omniũ terminorum, vere ponitur in natura infinitum categorematicum negationum. Hoc valet non contra omnes sed contra aliquos. Qui enim vno actu voluntatis diuinæ omnia excludunt, hac ratiocinatione non feriuntur.

Obijc. 4. Deus potest facere quicquid potest facere. Faciat ergo. Possibili enim in actu posito nullum sequitur absurdum. Sed si hoc faciat faciet infinitum; g. Deus potest facere infinitum. Probatur minor subsumpta. Quia nnullum finitum est quicquid potest Deus facere; ergo quidquid Deus potest facere, est quid infinitum; g. si faciat quidquid potest facere, facient infiitum. Rursus: non repugnat Deum facere

quic-

quicquid potest facere; nullum finitum est quicquid Deus potest facere; ergo non repugnat Deum facere quid, quod non sit finitum. Hoc autem est infinitum: ergo idem quod prius.

Ad hoc argumentum inuenies qui sic respondeant. Deus potest facere quicquid potest facere, eo modo quo potest facere, concedo; alio modo quam potest facere, nego. Ad postulatum: faciat ergo: idem dicunt: faciat modo quo potest: do; modo quo non potest: nego postulatum. Modum autem sic explicant. Deus potest facere quicquid potest facere non collectiue, sed distributiue. Exemplificant in diebus æternitatis. Omnes, inquiunt, dies æternitatis potest Deus facere: implicat tamē quod faciat omnes illos simul. Ratio est quia sunt essentialiter successiui, adeoque esse omnes dies & esse simul dicit pugnantia.

Hęc explicatio non facit ad rem. Primò quia etiam quæ successiua sunt faciunt vnam collectionem. Duodecim enim dies sunt vna & vera collectio dierum, & tamen tam implicat esse simul duodecim dies, quã esse simul omnes dies æternitatis futuræ. Prętereа petere potest Aduersarius vt Deus facit quicquid facere potest non in genere successiuorum, sed in genere permanentum. Puta, faciat Deus quicquid facere potest in genere Angelorum vel muscarum. Hoc non erit finitum: ergo infinitum. Hinc nequit dici repugnantiam esse vt Angelus coexistat Angelo, adeoque

non

non posse fieri simul. Vides igitur explicationem horum terminorum: *collectiue & distributiue* non recte fieri quando per li *distributiue* idem intelligas quod per li *successiue*.

Resp. igitur distinguendo: Deus potest facere quicquid potest facere, si li *quicquid* supponat collectiue, nega suppositum: si distributiue; concede: & tunc sensus est ex ijs omnibus quæ possunt fieri à Deo, nihil esse quod non possit fieri à Deo: quamuis nec vllus numerus nec vlla collectio siue rerum successiuarum, siue rerum permanentium, sit totus numerus & tota collectio quam Deus possit facere. Quandoquidem facta qualibet collectione quarum libet rerum potest Deus aliam & aliam facere. Hæc responsio tam est pro permanentibus quam pro successiuis, vt constat. Ad postulatum: faciat: da quod petit Aduersarius. Ad argumentum dic quod quicquid Deus potest facere nec est finitum nec infinitum, sed finitum in infinitum: hoc est infinitum syncategorematice. Adeoque quodlibet fecerit numquam fecerit quicquid potest facere, sed semper aliud, & aliud remanebit factibile. Hoc clarissime intelliges si repetas ea, quæ dicta sunt, & explicata per numeros. Si enim dicatur tibi: cogitare potes omnem numerum, quem cogitare potes. Cogita ergo. Vel hic numerus est finitus, vel infinitus. Si infinitus habetur intentum. Si finitus, eo ipso non est omnis numerus, quem cogitare potes.

Vi-

Vides vel Aduersarium accipere ly *omnem* distributiuè, & nihil dicere. Vel collectiue, & errare in supposito. Quomodo erret in supposito dictum est satis. Quomodo nihil dicat patet ex terminorum explicatione. Si enim accipiat distributiue nihil aliud petit, nisi ex omnibus numeris, quos cogitare potes, nullum esse quem cogitare non possis, siuem quemlibet ex numeris à te excogitabilibus, esse a te excogitabilem.

Obijc. 5. Numerus maior omni numero finito est infinitus; est possibilis numerus maior omni finito; ergo est possibilis numerus infinitus. Maior videtur nota ex terminis. Probatur tamen vlterius. Si numerus maior omni infinito non est infinitus est finitus: sed implicat quod numerus maior omni finito sit finitus; g. implicat quod numerus maior omni finito non sit infinitus Maior est euidens: omne enim quod est, & non est infinitum, finitum est. Minor probatur: quia eo ipso quod finitus est non est maior omni finito; quandoquidem non est maior seipso. Valet hoc argumentum etiam in quantitate continua. Est possibilis longitudo maior omni finita: huiusmodi lõgitudo in infinita; ergo possibilis est longitudo infinita. Minor eodem argumento probatur quo probata est maior primi syllogismi. Probatur iam minor eiusdem primi syllogismi: quia quocunque numero assignato vel assignabili potest dari maior: sed omnis numerus finitus est assignabilis; ergo potest dari numerus maior omni finito.

Resp,

Resp. primò hoc argumentum solui per probationem minoris, in qua tollitur æquiuocatio huius syncategorematis; *omni*. Certum est quocunque numero assignato posse assignari maiorem, adeoque non passe assignari omnem numerum assignabilem si li *omnem* accipias collectiue. Si autem accipias distributiue nihil aliud dicis nisi, quolibet numero finito, adeoque quolibet numero simpliciter, posse dari maiorem. Ex hoc autem quod possibilis sit maior quodlibet assignato, non sequitur esse maiorem quolibet assignabili; quando quidem ipse numerus quem assignas post quemlibet assignatum, est & ipse numerus assignabilis. Eadem igitur euidentia implicat numerus maior quocunque assignabili, qua implicat numerus maior seipso. Sensus tamen huius propositionis *Est possibilis numerus maior quocumque assignabili*, posset esse hic nullus numerus assignari potest. quo non si assignabilis alius & alius maior. Et in hoc sensu propositio est vera. Ad argumentum in forma transmissa maiori, nega minorem. Ad probationem minoris primi syllogismi; nega maiorem. Cuius falsitas patet ex eo quod nullum numerum inuenies, qui non fuerit assignabilis, adeoque nullus est maior quocunq; assignabili.

Resp. secundo Huius propositionis, *est possibilis numerus maior omni finito* posse esse hunc sensum. *Dato quolibet numero finito potest dari maior* & hæc propositio est vera. Sed in hoc sensu falsum est numerum

maiorem omni finito esse infinitum. Quandoquidem supra quemlibet finitum, potest dari maior etiam finitus. Quod nihil aliud est nisi & in assignandis numeris numquam deueniri ad maximum, & in assignandis finitis procedi in infinitum. Iuxta hunc sensum ad argumentum in forma: nega maiorem.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Expediuntur cætera pertinent ad infinitum.

ALia difficultas circa infinitum peti solet ex intellectu diuino: cui omnia possibilia & omnia futura simul objiciuntur. Sic igitur arguunt. Obiectum intellectus diuini non est chimera: omnes dies æternitati sfuturæ sunt obiectum intellectu diuini, ergo non sunt chimera.

Resp. transmittendo totum. Neq; enim dicimus omnes dies æternitatis futuræ esse chimeram: li enim *omnes* est indifferens vt supponat vel collectiue vel distributiue: Si distributiue: verum est videri omnes: si collectiue: negandum est suppositum, quod scilicet sit vlla collectio obiectiua quæ sit omnes dies æternitatis.

Instabis: Deus videt simul & non successiue omnes dies æternitatis futuræ: ergo Deus videt omnes dies æternitatis non solum distributiue sed etiam collectiue. Antecedens explicatur: quamuis dies æterni-

tatis successiue fluant vnus post alium, non tamen successiue veniunt in intellectum diuinum, sed vnico illo instanti quo videt vnum videt & reliquos nullo non viso igitur Deus non distributiue sed collectiue videt omnes dies æternitatis.

Resp. conc. antec. neg. conseq. In probatione antecedentis, perperam adhibetur tam *collectiue* quam *distributiue*: Neuter ex istis terminis cadit supra videre aut intelligere: vterq; supra l. *omnes*. Ineptum est dicere quod quemadmodum non possūt nisi successiuum esse, ita non possunt nisi successiue cognosci. Dum dicis: *annus* intelligis duodecim menses qui nequeunt simul esse; non tamen propterea non intelligis simul illos, & vniuersaliter loquendo ineptum est à modo essendi obiecti, arguere modum cognoscendi obiectum; cum proloquium sit: res est in cognoscente per modum, seu secundum modum ipsius cognoscentis, vt explicatum est, vbi de ideis Platonicis. Sed aliud est *omnes dies æternitatis esse simul in mente diuina*: aliud *omnes collectiue acceptos dies æternitatis esse in mente diuina*. Primum verum est, quia Deus cognoscit omnes, & ita cognoscit vnum post alium fore, vt non prius cognoscat vnum, postea alterum. Secundum est falsum; quia non datur vlla collectio, quæ sit omnium dierum æternitatis. Quandoquidem qualibet & quantalibet collectione posita vel cogitata, ponenda est, & cogitabilis alia & alia in infinitum.

Di-

Dices; nullus est dies in æternitate quem Deus non videat; g. Deus videt omnes dies æternitatis sumendo li *omnes* collectiue. Probatur conseq. quia nisi videt omnes, li *omnes* supponendo collectiue, prçter omnes dies quos Deus videt est alius dies; sed si preter omnes quos Deus videt est alius; non est verum quod nullus sit quem non videat: ergo si nullus est quem non videat videt omnes etiam collectiue.

Resp. concesso antec. negando consequ. Ad probat. conc. maiori: nega minorem, Vel si velis distingue propositionem hanc; præter omnes dies quos videt Deus, est alius dies: quem non videat, nega: est alius dies quem videat; concede. Rationem alibi adduximus, quia videlicet li *omnes* nequit supponere collectiue. Igitur præter omnes dies quo videt, est alius quem videt, hoc est præter quemlibet, alium videt Quod dico de diebus æternitatis dic de omnibus cogitationibus per totam æternitatem futuris. Nulla est cogitatio per totam æternitatem quam Deus non videat. Et præter omnes cogitationes quas Deus videt, aliquam aliam videt. Nullam cogitationem Deus videt, postquam alia non videat: nullus est dies in æternitate post quem Deus non videt alium diem: li postquam non cadit supra *videat*; quasi vero prior sit visio alterios: sed supra cogitationem & diem quia post quamlibet diem erit alia dies. Est enim de essentia æternitatis futurę vt aliquis dies sit in potentia.

Inst.

Inst. Si realiter existant omnes Angeli possibiles ita vt nullus non existat, existunt realiter omnes *collectiue*; ergo si intentionaliter existant omnes, itaut nullus non existat, existunt intentionaliter omnes *collectiue*. Sed existunt intentionaliter omnes itaut nullus non existat: ergo &c. Quod dicitur de omnibus Angelis possibilibus dic pariformiter de omnibus possibilibus simpliciter.

Resp. cum distinct. Si realiter existant omnes Angeli possibiles per enumerationē adæquatam, itaut nullus non existat, existunt realiter omnes *collectiue*; conc. Si omnes per enumerationes inadęquatas; nego ant. & eodem modo distinctis consequ. & min. subsunta, nega vltima conseq. Quod dico de omnibus Angelis dic de omnibu possibilibus simpliciter. Et quia enumeratio adæquata est essentialiter impossibilis, quandoquidem quocunque numero supposito, est possibilis maior & maior in infinitum; ideo neque realiter neque intentionaliter posſunt existere omnes collectiue.

Replicabis. Eo ipso quod ita existant realiter omnes vt nullus non existat, existunt omnes cum enumeratione adæquata; ergo eo ipso quod ita sint cogniti omnes vt nullus non sit cognitus, sunt cogniti omnes enumeratione adæquata. Resp. disting. existunt omnes enumeratione adæquata & reali, nego, adæquata sed chimerica; conc. Cum dicimus, *ita sunt cogniti omnes vt nullus non sit cognitus*, cum hac propo-

sitione componimus hanc aliam: *præter omnes cognitos aliquis alius est cognitus*: sicut cum hac, *ita sunt futuri omnes dies æternitatis vt nullus non sit futurus* hanc aliam *præter omnes dies æternitatis futuros aliqui alius est futurus*. Si arguens cum hac propositione, *ita existunt omnes realiter vt nullus non existat* componat hanc aliam; *præter omnes existentes est alius existens*: manifestum est per li *omnes existentes ita ut nullus non existat*, non venire omnes cum ennumeratione adæquata; cum ille alius & alius existens non sit inter illos omnes; hoc est cum præter enumeratos per ly *omnes* sint alij & alij enumerandi, si autem cum sua propositione nequeat hanc aliam componere: sed intendat quod præter positos nullus alius ponatur, concipit quidem enumerationem adæquatam, sed chimericam quale non ponimus dum dicimus: *ita sunt cogniti omnes vt nullus non sit cognitus*, ratio est quia li *omnes* in omni acceptione non chimerica venit solum distributiuè, & per collectiones finitas, quamuis finitæ multiplicentur in infinitum. Veritas nostræ responsionis maxime patet ex veritate harum propositionum, *ita sunt futuri omnes dies æternitati vt nullus non sit futurus*, & *præter omnes dies ęternitatis futuros aliquis alius est futurus*.

Dices iterum? nulla est dies in tota æternitate quæ non possit esse actu: ergo falsum est esse de essentia æternitatis quod aliqua dies sit in potentia. Probatur conseq.

quia

quia si nulla est quæ non possit esse actu possunt omnes esse actu: sed si omnes sunt actu, non est aliqua in potentia, ergo si nulla est quæ non possit esse actu, non est de essentia æternitatis vt aliqua sit in potentia.

Resp. has propositiones: nulla est dies quæ non possit esse actu, &; aliqua dies necessario debet esse in potentia, & alias similes non esse contradictorias: sicut non sunt contradictoriæ: *nulla nauis est necessaria ad nauigandum*, &; *aliqua nauis est necessaria ad nauigandum*. Cum dicis: *nulla nauis est necessaria ad nauigandum*, dicis nullam nauim determinate acceptam necessariam esse ad nauigandum, & verum dicis; excurrendo enim per singulas naues, potes dicere de singulis; *hæc non est necessaria ad nauigandum*. Dum dicis, *aliqua est necessaria ad nauigandum*; dicis requiri indeterminate aliquam, vt nauigetur; requiri autem indeterminate aliquam, & nullam determinate requiri non opponuntur. Eodem modo dum dicis; nulla est dies quæ non possit actu existere; dicis nullam determinate acceptam diem non posse actu existere, dum dicis necessario aliqua est in potentia; seu, aliqua non existit, dicis præter quālibet determinate, indeterminate aliquam in potentia. Hæc autem non opponuntur. Idem habes in alijs exemplis. Neuter ex oculis est necessarius ad videndū; alteruter ex oculis est necessarius ad videndū. Nullus calamus est necessarius ad scri-

bēdum. Aliquis calamus est necessarius ad scribendum. Eodem modo, nulla dies ęternitatis est necessario in potentia. Aliqua dies æternitatis est necessario in potentia. Hoc idem applica cuilibet infinito syncategorematico. Puta, nullus Angelus est necessario in potentia. Aliquis Angelus est necessario in potentia. Li *nullus* & li *aliquis* mutant suppositionem. Primum est in suppositione determinata, secundum in suppositione indeterminata. Et ex his patet ad argumentũ, in que conc. ant. nega cons. Ad probationem, vel concessa vtraque præmissa, nega cons. vel distingue li *omnes* vt supra.

Deniq; dices sequitur quod si dicam alicui: dabo tibi nummum, possem numquã dare, & tamen non deesse promissis. Consequens est absurdum: ergo & ant. Seq. mai. prob. quia si dixero tibi: dabo & cras petas promissum non teneor dare; idem accidit si post annum, idem si post mille annos semper enim potero dicere: adhuc est tempus pro satisfaciendo promissis; nondum enim elapsum est omne quod significatur per *dabo*. *Dabo* enim significat omne tempus futurum: & quia in tempore futuro est essentialiter semper aliquid & aliquid futurum; per totam æternitatem non dabo nũmum, nec exprobare mihi poteris quod non stem promissis.

Resp. promissiones huiusmodi à multis reijci vt promissiones nugaces propter rationem adductam in obiectione. Est enim

cui-

euidens post quemlibet numerum annorũ adhuc remanere annos non tot quin plures significatos per verbum de futuro : adeoque quamuis in quolibet instanti possit verificari : *dabo* : in nullo tamen instanti potest falsificari *dabo*; Probatur hoc; quia si hodie dicas, *dabo*, & cras vel postridie des, cras vel postridie uerificas tuum *dabo*, etiamsi autem neq. cras neq. postridie des non propterea falsitas *dabo*, quia est alia dies in qua dare possis.

Hoc idem apparet in spatio vnius horæ. Si enim dicas, intra spatium horæ dabo tibi nummum, potes in quolibet momento determinate accepto verificare promissionem tuam, in quocunque enim momento illius horæ dederit, verificas promissionem facta per *dabo*, nullam tamen est momentum intra illam horam determinate acceptum, in quo per hoc quod non des, falsifices tuam promissionem, non enim falsa est per hoc quod non des in primo, cum non dans in primo possis dare in vltimo, nec falsa est per hoc hoc quod non des in vltimo, cum non dans in vltimo, dare possis in primo, vel in quolibet alio & sic de cæteris. Falsificetur autem promissio tua per hoc quod elapsa tota hora in nullo dederis sed nequit falsificari promissio extendens se ad omne tempus & ad æternitatem per hoc quod hac elapsa in nullo ipsius momẽto dederis rem promissam, implicat enim esse vmquam elapsam æternitatem futurã significatam per li *dabo*. Propterea Legis-

latores vel statuunt tempus huiusmodi promissionibus indeterminatis, vel habent eas pro nullis.

Aduertendum est tamen hanc promissionem: *dabo* aliter esse à Deo, aliter à creatura. Contingere potest vt hanc promissioné homo homini faciat non determinans sibi vllum spatium intra quod satisfaciat. Nequit autem contingere vt Deus dicat *dabo* non determinando vllum momentum in quo det, vnde eo ipso quod Deus dicit, *dabo*, determinate sibi repræsentat illud instans in quo daturus est quod promittit: adeoque etiamsi talis promissio possit esse nulla facta homini ab homine, nequit tamē esse nulla facta homini à Deo.

Notandum est prętereа, quod hæc promissio, vt impleatur, in aliquo determinato instanti impletur. Quicquid enim fit, in aliquo determinato instanti fit. Hinc sequitur, quod videns determinate singula instantia per totam æternitatem futura ita vt nullum determinate non videat, si in nullo ex his determinate accepto videt promissionem impleri; promissio est simpliciter falsa. Dum igitur dicis *dabo*: vel in aliquo determinato instanti daturus es, vel non: si primum, est vera promissio; si secundum, est falsa. An autem in aliquo instanti determinate accepto intra æternitatem, des, videt is, qui singula instantia determinate videt quamuis non videat vllam collectionem omnium instantium per totā æternitatem futurorum. Atque hic notā dis-

discrimen inter hæc duo. *In nullo instanti determinate accepto est debita res promissa*, &: *In nullo istanti determinate accepto datur res debita*. Primum stat cum veritate propositionis promissiuæ: secus secundum. Quod enim debetur indeterminate in aliquo, si soluitur, soluitur in aliquo determinate. Hoc modo visio fieri debet per aliquem oculum indeterminate acceptum; si tamen fit; per aliquem oculum determinate acceptum fit. Debes creditori nummum, non tamen nummum *A* potius quam nummum *B*; si tamen soluis; nummus, quem soluis, est potius *A*, quam *B*, vt patet. Quemadmodum igitur non satisfacis obligationi, qua teneris ex iustitia erga creditorem, nisi dando nummum, quem non teneris dare: cum de nullo verum sit quod tenearis illum dare, ita non satisfacis obligationi, qua teneris erga Promissarium, nisi des rem promissam in instanti, in quo non teneris dare; cum de nullo verum sit. In hoc terneris. Ex his nega sequelam maioris, Ad probationem sufficit quod dictum est.

DISPVTATIO IX.

De Quanto.

QVÆSTIO I.

De Quidditate, & effectu formali Quantitatis.

EFfectum formalem quantitati præter nostram consuetudinem, prius inquirimus quam quantitatem ipsam definiamus. Quantitas secundum rudem quandam intelligentiam, dicitur id quo satisfacimus interroganti quanta sit res. Ita interroganti quanta sit hæc tabula, respondes esse tripalmarem. Roganti quot sint nostri discipuli, respondes esse ducentos. Primæ interrogationi satisfacis per quantitatem continuam; secundæ per quantitatem discretam. De prima hic agimus, quam vocant etiam quantitatem molis.

Prima sententia est rationem quantitatis consistere in ratione mensuræ aptitudinalis, siue actiue, siue passiuæ. Mensura aptitudinalis actiua est illa, quam vnum aptum est alterum mensurare, passiua qua vnum aptum est ab altero mensurari.

Hæc sententia ræijcitur communiter ex hoc quod ipsamet mensurabilitas vnius per alte-

alterum ſit potius quid conſequens ad quantitatem, quam ipſa quantitas. Quemadmodum enim effectus formalis qualitatis, non eſt reddere ſimile, ſed tale; quamuis ad tale & tale ſequatur ſimilitudo, vel diſſimilitudo; ita etiam effectus formalis quantitatis non eſt reddere ęquale quamuis ad hoc & illud quantum ſequatur æquale, vel inæquale.

Secunda ſententia eſt: effectum formalem quantitatis conſiſtere in extenſione locali partium. Hæc ſententia pro eodem habet quantitatem, ac vbicationem: partes enim localiter extenduntur per locum ipſum intrinſecum. Non eſt igitur confundenda quantitas cum vbicatione, cum eadem quantitate retenta mutetur vbicatio. Habes hoc in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ; in quo Chriſtus Dominus eandem habet quantitatem quam habet in Cœlo, non tamen eandem extenſionem localem partium. Hanc eandem ſententiam alij alijs verbis loquntur, dum aiunt effectum formalem quantitatis conſiſtere in extreitate partium in ordine ad locum. Idem eſt enim partes eſſe extra partes in ordine ad locum, ac partes extendi localiter.

Tertia ſententia eſt: effectum formalem quantitatis conſiſtere in extreitate partium in ordine ad ſe. Per huiuſmodi extreitatem intelligunt exigentiam, quæ ineſt partibus vt non quælibet cuilibet immediate vniatur: puta vt caput non immediate vniatur humeris, ſed collo mediante, &c. Huiuſ-

modi

modi extreitatem habent partes prædictæ etiam præscindendo ab omni quantitate; sunt enim natæ factæ facere totum huius, & illius figuræ; igitur non recte assignatur extreitas huiusmodi pro formali quantitate.

Tenendum est igitur cum sententia receptissima inter recentiores, effectum formalem quantitatis consistere in naturali impenetrabilitate cum alio subiecto eodem accidente affecto. Hoc est per quantitatem præstari, vt quantum cum quanto nequeat naturaliter compenetrari. Probatur autem hæc sententia: quia sola quantitas molis, & omnis hac definitione comprehenditur: & ad hoc prædicatum consequntur alia omnia, quæ sub experientiam cadunt, vt patebit ex sequentibus.

Quæritur autem hic quid sit quantitas molis, an videlicet accidens superadditum rei quantæ? Qua in re sententiam sequimur affirmatiuam, quam tamen rationibus philosophicis, & pure naturalibus non tuebimur: sed altioribus argumentis: petitis videlicet ex venerabili Mysterio Eucharistiæ. Substantia est realiter separabilis à sua euantitate, & quantitas à substantia: ergo substantia seipsa formaliter non est quanta. Consequentia est euidens: antecedens probatur. In hostia consecrata nõ remanet substantia panis: remanet tamen impenetabilitas; tam enim nequit Hostia consecrata penetrari cum alia consecrata, quam nequit penetrari panis cum pane. Igitur

tur in Hoſtia, pereunte pane, remanet quãtitas. Diximus enim quantitatem eſſe ipſammet naturalem impenetrabilitatẽ quanti cum quanto.

Aliud argumetum ex eodem Venerabili Sacramento deducitur. Certum eſt Hoſtiam conſecratam frigefieri, & calefieri prout aprproximatur illi agens naturale aut frigidum, aut calidum: productio autem caloris, aut frigoris ſine concurſu ſubiecti nequit naturaliter haberi: igitur in Hoſtia conſecrata datur aliquid, quod per modum ſubiecti concurrat ad productionem talium qualitatum. Hoc autem ſubiectum non eſt neque ſubſtantia panis, quæ perijt, neq; Corpus Chriſti, quod pereunti ſucceſſit. Hoc enim neq; a calore patitur, neq à frigore, neq. ab vllo alio accidente in Euchariſtia: igitur aſſignanda eſt quantitas.

Dices; poſſet pro ſubiecto aſſignari quodlibet aliud accidens ex præexiſtentibus: ergo non eſt cur aſſignetur quantitas. Probatur conſequentia; quia non eſt potior ratio pro quantitate, quam pro quolibet alio.

Reſp. neg. antec. Ad probationem: nego iterum antec. Rationem potiorem pro quantitate affert D. Thomas: quia quantitas eſt primum omnium accidentium, adeo vt quantitatem materiæ coæuam, immo æque ac materiam incorruptibilem, & ingenerabilem multi cenſuerint. Eſt autem potior ratio, cur primum ſit baſis ſequen-

tium.

tium. Ratio à priori huius primitatis esse posset: quia per quantitatem subiectum redditur aptum agere, & pati. Nam impenetrabilitas est exigentia extensionis; actio autem secundum quale, est in ea, quæ sunt extensa. Nota sermonem esse hic dei j accidentibus, quæ Hostiæ consecratæ superueniunt. Nam de præexistentibus facile diceretur, quod sint sine omni subiecto.

Dices iterum; in Eucharistia accidentia sunt sine subiecto; ergo non est necesse, vt maneat quantitas pro subiecto aliorum accidentium.

Resp. distinguendo antecedens; accidentia omnia collectiue accepta sunt sine subiecto; conc. antec. Omnia distributiue accepta, seu singula sunt sine subiecto: iterum subdistinguo: sunt sine subiecto vltimo, & fundamentali: concedo; sine subiecto proximo, & immediato, nego antec. & conseq; Collectio accidentium includit quantitatem ipsam. quæ in Sacramento est sine subiecto. Cætera autem cum sint in ipsa, non sunt sine subiecto immediato t quamuis sint sine subiecto fundamentali, & vltimo, hoc est sine illa substantia, cuius sunt accidentia,

Obijc. 1. partes Corporis Christi in Eucharistia habent suam quantitatem; non habent impenetrabilitatem: ergo quantitas non est impenetrabilitas. Maior patet ex dictis. Min. prob. quia Corpus Christi Domini in Eucharistia vbicatur definitiue,

adeoq;

adeoq. non habet partes extra partes , in ordine ad locum : sed vbi est caput , ibi est & brachium ; est enim totum in tota , & totum in qualibet parte toties Hostiæ ; adeoque pars penetratur cum parte ;] ergo non habet in Eucharistia impenetrabilitatem .

Resp. conc. mai. negando min. Ad probationem conc. antec. nega conseq. Actualis penetratio partis cum parte , stat cum naturali impenetrabilitate : sicut actualis replicatio stat cum naturali irréplicabilitate ; Et vniuersaliter loquendo quicquid supra naturam fit , aut contra naturæ exigentiam , fit in sensu composito cum exigentia opositi . Actualis impenetratio habetur per hoc , quod vnum sit extra locum alterius ? impenetrabilitas per hoc quod vnum exigat esse extra locum alterius . Prima oponitur cum penetratione , secus secunda .

Obijc. 2. Non est assignabile quomodo ad impenetrabilitatem consequantur ea , quæ sub experientiam cadunt in corpore quanto ; ergo falsum est impenetrabilitatem recte assignari pro quantitate ex hoc capite .

Resp. neg. antec. Ad impenetrabilitatem sequitur sensibilis diuisibilitas subiecti . Si enim fingas molem aliquam , seu corpus , puta lignum esse naturaliter cum alio penetrabile ; nec securis , nec serra , nec hascia diuidet, secabit, aut scindet lignum; sed ferrum in eodem loco existens cum ligno

non

non diuidet palmum à palmo, vt inter vtrumque se se insinuet: sicùt v. g. si cogites Angelum penetratum cum hoc ligno, non propterea diuidens lignum diuidis Angelum, sed vbi calibem ponis, ibi manet & Angelus.

Ad hanc eandem impenetrabilitatem sequitur localis extensio per quam pars est extra partem localiter: De enim possibilem esse pentrationem: non erit cur primus palmus nequeat in eodem loco esse cum secundo: sicut quia possibilis est de potentia absoluta eadem penetratio: de potentia absoluta ponetur primus palmus in eodem indiuisibiliter loco, ac secundus.

Dices; Materia prima etiam præscindendo à quantitate habet exigentiam extensionis localis, & impenetrationis, tum cum alia materia, tum cum quolibet corpore: ergo essentia quantitatis non est reddere subiectum naturaliter impenatrabile, & exigitiuum extensionis localis.

Resp. dist antec. materia prima habet huiusmodi exigentiam per se ipsam formaliter, & proxime: neg. antec. radicaliter, & remote: conc. antec. & nego conseq. Materia prima per seipsam præcise exigit quantitatem, quæ quantitas est formalis & proxima exigentia impenetrationis. Materia igitur est formalis exigentia quantitatis: quantitas formalis exigentia impenetrationis; & consequenter materia ipsa est radicalis exigentia impenetrationis.

Obijc.

Obiic. vltimo. Philoſopbus 7. metaph. textu 8. dicit quantitatem non eſſe ſubſtantiam ſed ſubſtantiæ ineſſe; ergo ſecundum Philoſophum quatitas eſt aliquid ſupereddіtum rei quantæ: ſed Philoſophus non potuit hoc ſcire niſi ex rationibus naturalibus: ergo rationibns naturalibus poteſt probari qnantitatem eſſe accidens ſuperadditum rei quantæ.

Reſp. primu: Vtinam Philoſophus aliquam ex ijs rationibus reliquiſſet: Reſp. ſecundo Multa Philoſopho adeo fuiſſe certa vt rations non inquireret. Reſp. tertio Philoſophum loco citato nomine quantitatis intelligere trinam dimenſionem; quæ apud Matematicos plerunque ita ſonat ac quantitas. Verba Pill. ſunt hoc; *longitudo vero latitudo & profũditas quantitates quedam & non ſubſtantiæ ſunt; Quantitas enim non eſt ſubſtantia, ſed magis cui hæc ipſa primo inſunt, illud eſt ſubſtantia.*

Denique nota nos non dicere quantitatem vt accidens ſuperadditum rei quantæ non eſſe quid demonſtrabile: ſed ſolum nõ demonſtrari à nobis: quibue non vacat ad grauiora properantibus examinare an hæc & illa ratio euincat,

QVAE-

QVAESTIO II.

De compositione continui.

ARTICVLVS I.

Proponitur sententia Zenonis & impugnatur.

Circa continuum est communis Philosophorum sententia, nullam septẽtiam esse certam. An hæc communis sententia uera sit, est etiam incertum; Est celebris inter alias sententia Zenonis, qui & continuum permanens ex punctis indiuisibilbus, & successiuum ex puris instantibus constare opinabatur. Hoc articulo ponuntur argumenta quædam contra Zenonem.

Primum est. Omnis linea diuisibilis est in duas partes æqueles; hoc est falum in sententia Zenonis. ergo sententia Zenonis est falsa. Mai. apud Mathematicos habetur pro primo principio. Min. pronbt. in qualibet linea conctante punctis imparibus Da enim lineam constantem punctis tredecim, Diuide illam si potes in duas partes æquales.

Secundum argumentum est. In sententia Zenonis circulus minor est æqualis maiori: conseq. est euidenter faslum. ergo & antec. Prob. mai. Describatur circulus cuius diameter sit vnius palmi. Et deinde à centro eiusdem circuli ducatur circulus moior, puta cuius diameter sit trium palmorum. Hoc posi-

posito à quolibet puncto circuli maioris ducatur linea recta ad centrum. Nequit hoc postulatum negari: quia à quolibet puncto ad quodlibet punctum licet ducere lineam rectam. Hoc tamen posito sequitur circulũ minorem esse æqualem mniori. Probatur hoc; quia quælibet linea ducta à quolibet puncto circuli maioris transibit per punctũ circuli minoris; & nusquan plures lineæ ductæ à circulo maiori incident in idem punctum circuli minoris. Lineæ enim ductæ à punctis circumferentiæ nusquam coincidũt nisi in centro vt demostratur, & demonstratum supponimus à Magistro Matheseos. Hinc sequitur totidem esse puncta circuli minoris quot sunt puncta maioris; lineæ autem constantes numero punctorum ęquali sunt æquales; puta linea constans centum punctis est æqualis lineæ constanti centum punctis. Duo igitur prædicti circuli erunt æquales, quod erat demonstrandum;

Tertium. Punctnm additum puncto non facit extensionem; ergo longitudo non constat punctis. Ant. prob. quia vel punctum tangit aliud punctum secundum se totum, vel secundum aliquid sui; non secundum aliquid sui: quia in puncto non datur aliquid & aliquid; ergo secundum se totum: sed si secundum se totum, eo ipso punctum penetratur cum puncto: penetratum autem cum ipso non facit extensionem cum ipso. Idem dic de quolibet puncto superueniente; quotquot enim puncta tibi repræsentes, ea omnia repræsentabis in puncto.

Hoc

Hoc idem argumentum de puncto cum puncto, fit de linea cum linea in ordine ad superficiem, & de superficie cum superficie, in ordine ad profunditatem. Pro quo sciendum est quod eadem ratione qua linea constat ex puris punctis, superficies constat ex puris lineis & profunditas ex puris superficiebus. Hoc posito sic arguunt. Vel linea vnitur lineæ secundum se totam in ordine ad latitudinem, vel secundum aliquid sui: non secundum aliquid sui: cum sit omnis latitudinis experis: ergo secundum se totam: si secundum se totam; penetratur; ergo, &c. Min. prob quia quotiescunq; duo tangunt se secundum se tota, eo ipso compenetrantur. Puta si fingas manus dexteram & sinistram tangere se secundum se totas; finges manus inter se penetrari: non penetratæ autem pars tangit partem. Idem de superficie cum superficie.

Quartum & celeberrimum est certamen Achillis cum Testitudine de velocitate motus: Sequitur Achillem non moueri velocius quam moueatur Testudo: adeoq; non dari motum velociorem & tradiorem: consequens est euidenter absurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur conferendo motum vnius cum motu alterius. Achilles in instanti *A* nec plus conficit quam punctum, nec minus: non plus; quia si confinit duo puncta spatij, conficit prius primum quam secundum; & consequenter datur in instanti *A* prius & posterius; quod repugnat: non minus; quia in puncto non

datur

datur dimidium & dimidium; adeoque aliquid quod altero prius possit pertransiri. Item: Testudo in instanti *A* non conficit minus neq. plus quam punctum, constat ex iisdem rationibus. Igitur in instanti *A* sunt pares. Idem dic in instanti *B*, idem in instanti *C*, & numera quolibet instantia, nec vmquam inuenies intra parem numerũ instantium, adeoq; intra par temporis spatium, aut plura puncta transitu consummata ab Achille, aut pauciora à Testudine. Hoc argumentum adeo inualuit apud veteres vt omne argumentum in qualibet sententia conuicens aut conuincere apparens, nuncuparetur Achilles.

Hæc sunt potissima argumenta quæ contra Zenonem proponuntur à Perpateticis; quibus non defendendi Zenonis gratia, sed disputandi, vel veram vel apparentem quorundam solutionem articulo sequenti subteximus.

ARTICVLVS II.

Respondet aliqui pro Zenone.

AD primum. Vel negatur maior vel distinguitur: omnis linea est diuisibilis in duas partes æquales diuisione vel reali vel imaginaria: concedo: diuisione reali: nego. Ad veritatem axiomatis mathematici sufficit diuisibilitas per imaginationem. Potes autem dupliciter imaginari diuisionem lineæ: videlicet vel per hoc quod pars a

par-

parte recedat nullo puncto absumpto per lineã diuidentem, vel per hoc quod linea diuidens ex vtraq; parte puncti in quod incidit, æqualem numerum punctorum scernat: Primo modo lineam constantem numero punctorum impari non diuides in partes æquales; secundo modo diuides. Primum modum adhibebis in diuisione lineæ constante numero pari secundum in linea constante numero impar punctorum. Axioma mathematicum est: quælibet linea est diuisibilis bifariam: diuiditur autem bifariam etiamsi in vna parte ponas septem & in alia sex puncta, vnde compositio ex punctis non militat contra axioma vt sonat.

Ad secundum nega sequelam. Ad postulatum quod videlicet à quolibet puncto maioris circuli ducatur linea quæ transeat per circulum minorem sine contactu ipsius cum alia linea, nega suppositum. Immo non solum in puncto circuli minoris linea tanget lineam, sed in ipsomet puncto circuli maioris, sicut in eodem circulo punctum tangit punctum: adeoque petere vt à singulis punctis circuli maiaris ducantur lineæ recte ad centrum, est petere quod ponatur superficies quandoquidem ita linea vnita lineæ facit superficiem, sicut punctum additum puncto facit lineam. Hoc idem apparebit in figura si lineam ducas à puncto *B*: quod est proximum puncto *A*, ita vt quemadmodum inter punctum *A* & punctum *B* nihil intermediat, sic nihil intermediet inter lineam *A* & lineam *B*. Ad illud, *A* quolibet

pun-

puncto ad quodlibet punctū licet ducere lineam rectam concede, sed quid inde: si linea prope linem superficiem facit.

Ad hoc igitur vt plures lineæ ductæ à circulo maiori non faciant superficiem, seu non coalescantan vnam letitudinem oprortet vt inter puncta a quibus ducuntur, medient alia puncta a quibus non ducantur: & tunc etiamsi singulę lineę tāgant puncta distincta, seu secent in pūctis distinctis circulū minorem, non eueniet tot puncta reperiri in circulo minori quot in maiori, adeoque circulus maior & circulus minor non erunt inter se æquales. Adde esse rationabile postulatum quod circulus minor constet paucioribus punctis quam maior. Sicut linea palmaris paucioribus quam bipalmaris. Hoc autem pato, soluta est difficultas.

Ad tertium nega antecedens, & dic punctum additum pūcto facera longitudinem. Ad probationem respondetur primo negando suppositum. Hæc enim propostrio disiūctiua? vel tangit secuudum se totum vel secundum aliquid sui, nequit nisi circa id in quo reperitur & ratio partis & ratio totius: quod non habetur in puncto Resp. secundo punctum tangi a punct secundum se totum, abutendo hac voce *totum* in gratiam arguentis. Negatur tamen quod penetrentur hoc ipso. Penetrari vnum cum alio est vnum in eodem loco esse ac aliud: tangi autem vnum ab alio nihil aliud est, quam vnum iuxta aliud esse, itaut inter vtrumque nil mediet, in casu posito habet

punctum iuxta punctum, non autem punctum *A* in eodem loco cum puncto *B*.

Quod si rogeris an punctum *B* iuxta ponatur puncto *A* ex parte Orientali, an ex Occidentali: responde cum distinctione, si rogatio sit circa partem puncti: nega suppositum; circa partem spatii puncto circumfusi: responde quod lubet, videlicet si punctum B iuxta donatur puncto *A* ex parte Orientali, eo ipso lineam pergere Orientem versus, incipiendo à puncto *A*; secus si ex parte Occidentali. Nec nouum est ad idem punctum duci lineas intra spatium circumfusum ex partibus interse oppositis, cum punctum quod ponitur pro centro circuli, respiciat pariformiter omnia puncta circumferentiæ, a quibus vsque ad ipsum ducibiles sunt lineæ rectæ.

Rusus quod tangere se duo secundum se tota, non sit penetrari, prçterquam quod hoc apparet ex diuersis conceptibus tangentium se, & compenetratorum; probatur insuper ex eo quod si ponas Angelum *A* in toto spatio palmari *A*, & Angelum *B* in tata spato palmari *B*. ita ut quemadmodum inter palmum *A* & palmum *B* nihil mediat, ita nihil mediet inter Angelum *A* & Angelum *B*: isti duo Angeli se mutuo tangent, & quidem secundum se totos, nec tamen compenetrabuntur, Aliud est igitur compenetrari, aliud tangere se secundum se tota.

Ad quartum. Negatur seqæla maioris Ad probationem dic quod si ita contingeret vt proponitur, æque celeriter moueret-

ueretur Testudo ac Achilles: si enim singulis instantibus vtrumque mobile singula puncta consumat, nec fiat vlla in motu interpolatio: manifestum est quod in numero instantium æquali, ęquale spatium consumetur. Sed res non ite accidit; nam in primo instanti v.g. Achilles confidit vnum punctum & deinde in quinto instanti secundum, interpositæ inter vtrumque morula trium instantium, Testudo vero in primo instanti conficit vnum punctum, & vigesimo conficit secundum, interposita inter vtrumque mora tam longiori, quam tarditor est in motu Testudo quam Achilles. Per morulas huiusmodi plures vel pauciores qui explicant tarditatem & velocitatem motus, non premuntur Achille.

Quod si petas nollas moras intercipi neque in motu Achilis neque in motu Testudinis: negant supositum: petis enim in vtroque motum omnium motuum possibilium velocissimum: adeoque petis impossibile: sicut peteres si peteres numerum omnium numerorum maximum. Confirmant suam hanc responsionem dicendo nō aliter posse ex motibus vnum esse altaro velociorem. Si enim dicas motum illum esse altero velociorem qui plus loci pertransit intra idem tempus; respondent te quidem verum dicere, sed explicare hoc ipsum non posse, nisi per morulas. Quomodo enim plus spatij conficitur intra idē tempus ab Achille quam a Testudine, si tā Testudo quā Achilles incessanter mauetur.

Confirmant iterum vrgendo aliud assignari per quod plus spatii conficiat vnum mobile quam alterum intra idē tempus, quod aiunt à nemine hactenus assignatum.

Contra huiusmodi morulas infinita congeruntur ab infinitis. Primum est sequi ex huiusmodi morulis etiam primum mobile motum suum morulis interpolare. Probatur hoc: quia est possibilis motus velocior motu primi mobilis, & consequenter in motu primi mobilis datur id, per quod est minus velox motu illo possibili. Immo sequitur impossibilem esse motum localem nullis morulis interpolatum. Patet hoc: quia est impossibilis motus quo non sit possibili alius velocior.

Hæ omnes sequelæ facile conceduntur; immo ponuntur pro conclusionibus a Moruliſtis, & reipsa si motus à motu differt in velocitate per morulas, petere quod huiusmodi sequelæ negentur est petere principium. Secundum sit. Incredibile est molem asinariam è concauo Lunæ ruentem deorsum morulis interpolare suum descensum, & ita deorsum ferri, sicut sursum fertur Alauda, suspendendo identidem libratis pennis suum ascensum. Confirmatur hoc, quia nulla est ratio quiescendi, cum habeas & in mole ruente, & in medio intra quod ruit determinatiuum adæquatum ad motum. Idē dicitur de pila quam eiaculatur bombarda. Est enim incredibile pilam huiusmodi suum motum intercipere morulis interiectis, & tamen certum est

posſi-

Possibilem esse motum motu huiusmodi velociorem.

Ad hæc omnia respondetur nihil esse mirabilius in morulis molæ asinariæ aut pilæ emissæ à bombarda, quam in morulis primi mobilis quod proculdubio velocius his omnibus fertur. Ad confirmationem respondetur quod eadem ratio cur sit tanta velocitas & non maior, est etiam pur sint tot morulæ non autem plures aut pauciores. Et quam difficulter assignabilis cur tam velociter, & non plus mobile moueatur, tam, sed non magis difficulter assignabitur, cur tot non autem pluribus aut paucioribus morulis motus misceatur.

Tertim est. Si motus intercipitur morulis huiusmodi, cum tam multæ sint morulæ, deberent esse sensibiles sicut est sensibilis motus ipse: consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequela maioris apparet in Testudine comparata Achilli: adeo enim pro multitudine morularum intercipientium motum, sensibiliter vincitur ab Achille: vt præ illo magis quiescat quam moueatur. A Testudine progredi licet ad al a, puta sagitta emissa tam sensibiliter vinncit lapidem proiectum, vt in lapide proiecto plures debeant esse morulæ; seu plura instrantia pro morulis, quam pro mutu: ergo tam sensibilis deberet esse quise prædicti tapidis, quam motus eiusdem.

Resp ad hoc ea sensibilitate percipi morulas, qua percipitur tarditas motus, seu victoria vnius mobilis supra alterum: igi

tur quam precipis lapidem proiectum à te; vinci à sagitta quam alius emittit; tam percipis motum lapis per morulas interpopolari. Idem dic de quolibet alio huiusmodi; firmiter tenens nihil aliud assignari posse per quod vnum mobile intra idem tempus plus spatij consummet quam alterum.

Ad aliud quod dicitur de quiete; dicendum est non esse sensibilem aliter quam sint sensibiles morulæ; immo simpliciter non dici quietem. Ratio est, quia quamuis interpoletur motus per instantia morularum, tamen adeo multa instantia requiruntur ad quietem sensibilem vt in nullo ex ijs quæ dicuntur moueri continuo reperiantur. Quanta sit autem instantium multitudo requisita ad hoc vt mobile dicatur quiescere; quis diuinet? Hæc & alia huiusmodi pro Zenone; quæ tamen à Mathematicis non facile admittentur.

ARTICVLVS III.

Proponuntur Indiuisibilia diuisibiliter locata.

INdiuisibilia Zenonis sunt omnino indiuisibilia, hoc est tam quoad se quam quoad locum, & quia indiuisibilia huiusmodi non videntur saluare prædicta axiomata, ideo alia quædam indiuisibilia excogitata sunt quæ diuisibiliter locata, si non ratione sui, saltem ratione spatij Mathematicis vel satisfacerent, vel imponerent. Qui pu-

purant in materia de Quanto nihil sciri; nihil fine aliqua absurditate dici, hæc indiuisibilia facile amplectuntur, vt quemadmodum sibi, sic etiam alijs minus absurdi videantur.

Aiunt igitur continuum componi ex indiuisibilibus, sed hæc indiuisibilia spatium implere, vel virtualiter, vel æquiualenter diuisibile; quatenus vbi est vbicatio vnius puncti, possent esse duæ vel tres, vel si vis etiam non tot quin plures vbicationes aliorum punctuorum, itaque vnum punctum in orpine ad locum est virtualiter multa punta, & inter puncta alia sunt maiora, alia minora & minora, non formaliter & secundum se, sed virtualiter & secundum spatium quod replant. Rursus quia de ipso spatio posses philosophari sicut de re, quæ est in spatio, ipsa punnta spatij sunt etiam eiusdem rationis ac puncta rei locatæ; comparanturque cum spatij illis imaginarij quibus respondent, sicut puncta ipsa rei locatæ.

Dum autem dicitur in loco illo vbicationis *A* quæ est vna & indiuisibilis posse esse tres vel quatuor, vel etiam non tot quin plures vbicationes minores & minores in infinitum, non est ita intelligendum quasi vel vbicatio ipsa sit formaliter diuisibilis in plures minores & minores; sed ita vt locus ille imaginarius qui hac vna vbicatione repletur, repleri posset alijs pluribus non resultantibus ex diuisione maioris præexistentis, sed succedentibus maiori

pereunti. In hac sententia quælibet linea etiam constans punctis imparibus diuisibilis erit in duas partes æquales. Da enim lineam constantem quinque puntis; hanc in duas æquales diuides si ex vtraque partes puntis duobus sepositis, punctum medium virtualiter in duo diuidas; hoc est vel loco puncti maioris duo minora substituas, vel loco vbicationis per punctum repletæ duas alias vbicationes minores; nam & punctum, & vbicatio punti sunt formaliter quidem indiuisibilia; diuisibilia autem virtualiter modo explicato. Puncta huiusmodi vulgo inflata dicuntur; non quod semper tumescant, sed quia vel tumescunt, vel detumescunt, prout expedit hanc sententiam sustinenti.

Hanc sentenniam non alia ratione magis refelli existimo quam recta ipsius explicatione, non tamen prætereundum est etiam puncta temporis, hoc est instantia eiusdem omino rationis esse ac puncta continui permanentis. Quemadmodum igitur datur punctum in hoc palmo ligni, quod ratione vel sui, vel vbicutionis quam implet, est virtualiter viginti septem alia puncta, ta in hac hora & in hac re durante in hac hora, datur vnum instans vel ratione sui vel ratione temporis imaginarij, quod replet, viginti septem minoribus instantibus æquiualens; adeoque quod est modo prædicto viginti septem instantia. Non omnes tamen qui puncta inflant, inflant, & instantia, metuentes ne si vnicum instans intumescat

mescat in horam, aliquid deroget diuinæ omnipotentiæ, vt pote gloriari potens se intra totam illam horam non posse destrui.

In hac sententia aiunt & vitari argumenta quæ sunt contra Zenonem, & saluari doctrinam Philosophi de diuisibilitate continui in infinitum. Vitantur ergumenta contra Zenonem inflando alia; & reprimendo alia puncta per virtualem diuisibilitatem spatij aut intrinseci aut extrinseci; prout varij varia in hac re. Puta punctum *A* tangit punctum *B* non secundum se totum, tam formaliter quam virtualiter; sed secundum se totum quidem formaliter: cum in ipso non sit pars & pars; secundum autem partem sui virtualiter: quia vel ipsum vel spatium vel vtrumque est virtualiter septemdecim puncta minora, quæ singula sunt veluti partes puncti tumidioris. Idem applica porportionaliter aliis argumentis.

Exemplum fit in Achille contra quem etiam in hac sententia varij varie millitant. Alij enim & puncta quibus constat Achilles & instantia intrinseca quibus durat ita inflant vt ea proportione quodlibet ex his sit maius quolibet puncto vel instanti Testudinis; qua velocitas Achillis superat tarditatem Testudinis. Alij sola punctorum inflatione contenti, aiunt in vno instanti & punctum ab Achille & punctum à Testudine confici: sed punctum Achillis esse centies maius puncto Testudinis; adeoque

que eo tempore quo Testudo conficit vnum milliare, Achilles conficit centum, vt recte computanti patebit.

Diuisibilitatem autem in infinitum per eandem æquiualentiam explicant. Nam quemadmodum Aristotelici dicunt non esse assignabilem in vlla quantitate vel minimam particulam quæ non sit vlterius diuisibilis; ex quo manifeste sequitur quamlibet esse diuisibilem in infinitum; ita Punctuales isti aiunt non esse in vlla quantitate vllum punctum, nec vlam vllius puncti vbicationem, cuius loco non possint substitui duæ minores; ex quo sequitur posse dari semper minores & minore in infinitum: in hoc discrepantes a primis, quod primi ex parte præexistente faciant duas minores, adeoque formaliter diuidant vnum in plura, ipsi vero non punctum maius in duo minora, aut vbicationem maiorem in duas minores partiantur; sed loco vnius maioris duo minora reponant: & hoc vocent diuisibile virtualiter ratione spatii.

Hac eadem doctrina explicant in libris de Elementis rarefactionem corporum. Condensatur aer v. g. per hoc quod singula aeris puncta minores vbicationes acquirant, destructis prioribus: rarefit autem per hoc quod eadem punta maiores acquirant. Idem dic de alijs corporibus. Sunt autem qui hæc puncta ita distribuant in varias species corporum, vt corpora perfectiora tumidioribus imperfectiora ve-

ro pressioribus punctis conficentur, argumentantes ab ordine quam animaduertunt in Elementis ad ordinem quem imaginantur in mixtis. Puta terra est infimum elementorum: & constat puntis omnium pressissimis, aqua supernatans terræ est nobilior terra, adeoque in suis etiam punctis tumidior, & consequenter si moles aquæ tanta, quanta est caput acus, constet mille puntis: par tærræ moles constabit quater aut quinquies millem. Idem dic de aere comparato cum aqua, de igne comparato cum aere: eo pauciora puncta ponendo in qualibet mole comparatiue ad æqualem. quo est rarior æquali. Est enim euidens decem puncta v. g. æqualem molem constare, ac viginit duplo minora.

Hac sententia nulla alia facilior; nulla inuerisimilior Nulla facilior; quia naturam rerum omnino sibi accommodat, non se rerum naturæ: & ex hoc ipso capit est omnino inuerisimilis. Ob facilitatem defensores habet non paucos, quibus persuasum est in hac materia posse dici quidlibet, quia nihil scitur.

Quia vero conuenit, vel conuenire se putat cum Aristotele de diuisibilitate in infinitum: priusquam hanc redarguamus, operæ prætium erit indagere an huiusmodi diuisibilitas in infinitum sustineri possiit: & obseruare an in sententia prædicta recte teneatur.

ARTICVLVS IV.

An continuum sit infinitum diuisibile.

IN diuisibilia Zenonis reiiciuntur passim non solum à Physicis, sed etiam a Mathematicis inter quos non pauci opinantur non posse vllam quantitatem haberi per indiuisibilia nisi numero infinita. Iuxta hos nulla est linea quæ punctis infinitis non constet; nulla superficies quæ non lineis infinitis, nulla profunditas quæ non infinitis superficiebus. De punctis Zenonicis satis diximus, de infinitis patet ex dictis; eadem enim argumenta quæ militant contra multitudinem infinitam hominum, militant etiam contra multitudinem infinitam punctorum. Vtramque igitur sententiam falsam existimant vnanimiter Peripatetici: si autem falsum est quantum seu continuum diuidi in indiuisibilia, cum necesse sit diuidi posse, manifestum est non diuidi nisi in diuisibilia. Ex eo autem quod, si diuidatur, necesse est in ea diuidi, quæ vlterius diuidi possint, manifestum est quodlibet quantum esse diuisibile in infinitum.

Proponitur breuiter hic discursus. Quodlibet quantum est diuisibila in vlterius diuisibile quod est diuisibile in vlterius diuisiile est diuisibile in infinitum. g. quodlibet quantum est diuisibile in infinitum. Maior probatur; quia si diuidi posset in ea, quæ

quæ non essent vlterius diuisibilia, eo ipso constaret ex indisibilibus: vnumquodque enim ex his componitur in quæ resoluitur. Supponitur autem probatum non posse cõtinuum resolui in indiuisibilia. Minor verò est euidens; quia si quælibet in quæ diuidã- tur sunt vlterius diuisibilia; numquam finẽ facies eiuidendi: adeoque etiam si in æternum diuidas, numquam ad vltima ex possibilibus diuisionem peruenies.

Contra hanc sententiam sunt quædã argumenta, quę imaginationem humanã plus quam mediocriter torquent.

Primum, & celeberrimum est de ala Muscæ. Sequitur, inquiunt, posse ex vnica ala muscæ fieri velum, quo tegatur tota superficies vniuersi, & mille aliæ, & centies mille aliæ superficies huiusmodi: consequẽs videtur ridiculum; g. & antec. Sequela maioris est manifesta Ala Muscæ quantumuis tenuis non est vna superficies indiuisibilis, adeoque suam habet profunditatem, & secũdum profunditatem est in infinitum partibilis: diuide igitur alam muscæ in duas partes secundum profunditatem; habes iam secundũ longitudinem, & latitudinem duplum alæ: rursus quamlibet ex istis eodem modo diuide, & sic in infinitum: numqum enim deuenies ad indiuisibile secundũ profunditatem, & consequenter tam multas diuisiones imaginari potes, vt x e ala muscæ tegumentum conficias totius orbis & mille, & non tot quin plurium orbium. Minor autem non indiget probatione.

Resp.

Resp. concedendo sequelam maioris, quę in sententia Philosophi est euidens. Si intellectus imaginationi præualeat, res erit minus mirabilis. Certum est aliam. Muscæ diuidi posse etiam secundum profunditatem in plura, & plura dimidia. Finge igitur ab aliquo diuidente diuidi. Certum est præterea post quodlibet diuidens posse dari aliud subtilius, & subtilius diuidens: da igitur post quolibet qualibet subtilitate diuidens, poni allud subtilius diuidens, & videbis id quod priori nòn fuit vlterius diuisibile, diuisibile esse subsequenti; adeoq; post qnamlibet diuisionem aliam diuisionem esse possibilem. Qui rem ita considerat non obstupescit ad primam propositionem alę per diuisionem sui dantis velum vniuerso.

Porrò in punctis inflatis habes omninò idem, & præterea aliquid allud. Habes idē: quia quemadmodum Aristotelici diuidunt formaliter alam, Inflatores diuidunt illam virtualiter, dum punctis minoribus, & minoribus in infinitum quodlibet alæ punctū æquiualet: si igitur illa puncta accipias secundum quod extenduntur in superficiem, pro vna superficie alæ habebis non tot quin plures minores, & minores secundum virtualem illam profunditatem. Est & aliud longe mirabilius, videlicet vnum punctum posse ita locari, vt intumescat ad quamlibet amplitudinem: ità tamen vt vbicatio ipsius sit formaliter indiuisibilis cum virtuali diuisibilitate modo supradicto. Ex quibus habes

bes non solum aliam, sed punctum alæ posse tegere totum vniuersum.

Obijc. 2. Sequitur ex diuisibilitate in infinitum impossibilem esse motum localem; conseq. est impossibile; g. & antec. Sequela maioris probatur: quia nullum spatium est pertransibile: g. est impossibilis motus localis. Probatur antec. eodem argumento, quo pugnatum est contra Zononem. In quolibet spatio, puta in spatio palmari sunt infinita dimidia, ergo vt pertranseas spatium palmare, pertransire debes infinita dimidia, sed pertransire infinita dimidia est impossibile: g. est impossibile pertransire spatium palmare. Rursus in quolibet spatio prius debet pertransiri prima medietas, quam secunda: sed quælibet medidietas est aliquod spatium, g. in qualibet medietate debet prius pertransiri prima medietas, quã secunda. Medietates autem medietatum sunt non tot quin plures; g. vt transeas quãlibet medietatem cuiuslibet medietatis, pertransire debes medietates non tot quin plures, adeoq; infinitas: sed infinitum non est pertransibile, g. pertransire debes impertrãsibile, quod est chimericum.

Hoc argumentum soluit euidenter Philosophus, dum ait spatium infinitum infinito tempore pertransiri. Ostendit autem eandem in tempore, puta in vno minuto, infinitatẽ esse, quæ est in spatio, puta in palmo. Quemadmodum enim palmi sunt dimidia non tot quin plura; etia minuti sunt dimidia non tot quin plura, & quemadmodum

di-

dimidia dimidiorum in palmo sunt minora, & minora; ita etiam dimidia dimidiorum in minuto, & quemadmodum dimidia dimidiorum in palmo habent ordinem priorum, & posteriorum secundum locum: ita dimidia dimidiorum in minuto habent ordinem priorum & posteriorum secundum tempus. Et quemadmodum enumerando dimidia dimidiorum in palmo numquam absolues, ita enumerando dimidia dimidiorum in minuto. Ad argumentũ igitur patet. Spatium infinitũ nequit pertransiri tempore finito; concedo, tempore infinito: nego.

Verum nec palmus loci, nec minutum temporis infinita sunt, vt patet ex dictis de infinito; nec enim ad rationem infiniti sufficit, quod res constet dimidijs non tot quin pluribus; sunt enim partes huiusmodi proportionales, ex quarum infinitate non habetur infinitas compositi, vt dictũ est in loco. Ad probationem patet, quod quemadmodum diuidendo per partes proportionales nulla vnquam determinata pars absoluitur; ita si motum consideres per partes huiusmodi nihil vmquam spatij conficees. Debet igitur aliter examinari motus, non applicãdo partes proportionales spatij partibus proportionalibus temporis; sed determinatas determinatis: puta in quolibet minuto conficies palmũ, & centũ minutis centũ palmos spatij pertransibis.

Obijc. 3. Si quolibet quantum est in infinitum diuisibile, quolibet est æquale cuilibet:

libet: consequens est falsum: ergo & antec. Sequela maioris probatur; quia nullũ quantum paucioribus partibus constat, quã vllũ aliud.

Resp. negando sequelã. Ad probat. dictũ est alibi. Maius, & minus dicuntur secundũ partes determinatæ magnitudinis, & per ordinẽ ad certã mensurã: non autẽ secundum partes proportionales.

Obijc. 4. Nullus numerus finitus est diuisibilis in infinitum; ergo nec vlla quantitas continua finita. Antec. probatur, quia quicunq; numerus assignetur resoluitur in tot, vel tot vnitates, vltra quas non est vlterius diuisibilis. Probatur autem conseq. quia eadem ratio est de quantitate continua quæ de discreta, igitur etiam continua resolui debet in primo componentia, vltra quæ non debet vlterius diuidi.

Resp. quod quemadmodum numerus cẽtenarius hominum resoluitur in centum homines, & non est vlterius in alios homines diuisibilis, ita continuum centipalmare resoluitur in centum palmos, & vlterius nequit diuidi in alius palmos: & consequenter quoad hoc eodem modo se habent, & quantitas discreta, & quantitas continua. Rursus ex ijs vnis in quæ resoluitur numerus aliqua sunt disibilia, aliqua indiuisibilia puta numerus centenarius Angelorum resoluitur in centum indiuisibilia numerus centenarius hominum in centum diuisibilia cum primis nequit comparari continuum, seu quantum; cum hoc si materiale, illa

verò

verò immaterialia, & ratione immaterialitatis indiuisibilia. Potest cum secundis. Quilibet homo est diuisibilis in duas medietates, quarum neutra sit homo; quilibet palmus diuisibilis est in duas medietates, quarum neutra sit palmus. Quamuis autē neutra ex partibus, in quas diuiditur palmus sit palmus: vtraq. tamen est lignum, vtraq. aer, &c. si vel lignum, vel aere palmarem, vel &c. accipias Disparitas igitur inter partes numeri, & partes continui non est in indiuisibilitate simpliciter, sed in indiuisibilitate in plura, quibus communis sit ratio rei diuisæ. Puta homo est diuisibilis in partes non tot quin plures, & palmus ligni est diuisibilis in partes non tot quin plures. Singula in quæ diuiditur homo, non sunt homo; singula in quę diuiditur quantum, sunt quanta, in quæ diuiditur lignum sunt ligna. In homine habes & rationem hominis, & rationem quanti; hominem diuides non in plures homines, sed in plura quanta tam enim quælibet pars hominis est diuisibilis in plures alias, quam quælibet pars ligni. In ligno palmati habes & lignum, & quantum, palmum. Diuides lignum palmare non in plures palmos, sed in plura quanta, & in plura ligna. Ratio cur non homo in homines, sed quantum in quanta, lignum in ligna diuidantur, est quia nec lignum, nec quantum talem in sui partibus dispositionem requirunt; secus autem homo & alia huiusmodi.

Ex his patet ad argumentum. Quantitas dis-

discreta resoluitur in diuisibilia simpliciter, nega in indiuisibilia secundum quid: omitte, & idem dona de quantitate continua. Quemadmodum enim numerus hominum in homines ita continuum polipalmare in palmos, & quemadmodum homo in homines non diuiditur, sic nec palmus in palmos. Adeoq; numerus rerum materialium resoluitur in vnitates rerum diuisibilium, sicut continuum in partes diuisibiles Contingit autem partes partium esse eiusdem rationis in continuo cum suo toto, quod non contingit in partibus constituenti numerum, propter harum quidem ætherogeneitatem, illarum verò homogeneitatem.

ARTICVLVS. V.

An diuisibilitas in infinitum sit per potentiam physicam?

PRæter opiniones hactenus recitas est & alia non ignobilis inter recentiores Opinantur igitur nonnulli continuum permanens esse quidem diuisibile in infinitum, loquendo de potentia absoluta: at si termo sit de potentia physica deueniri tandem ad particulas adeò exiguas, vt per nullam vim naturam vlterius diuidi possint. Particulas huiusmodi vocant minima physica.

Qui ita sentiunt, ideo ita sentiunt, quia difficile cum sic decidere, an in continuo dentur partes inter se actu distinctę, & suposito

posito quod dentur, an omnes sint actu distinctæ, in aliquæ distincte actu, aliquæ solum potentia: an contra nullæ actu distinctæ, sed omnes in potentia, absurdum rati & omnes distinguere, ne detur infinitum, & nullas, ne palmus *A* sit palmus *B* in quanto bipalmari mediã quandã viã ineunt, aientes constare continuũ ex partib⁹ partim in actu & partim in potentia.

Partes quæ sunt in actu, sunt illa minima, quæ sunt numero finita, adeoq; in ipsis habent distinctionẽ sine infinitate. Partes quæ sunt in potentia, sunt aliæ partes minores, & minores, in quas quodlibet minimũ est absolute diuisibile: per hãc minimi diuisibilitatẽ saluãt diuisibilitatẽ continui in infinitũ.

Præterea sunt & alia cõmoda minimè cõtemnenda in his minimis. Nam per ipsa vitantur argumenta petita ex contradictorijs, ex relationibus ęqualitatis, & similitudinis, causæ, & effectus, quę contra eos militant, qui in continuo nullas nisi potentiales partes admittunt. Exemplo rem explico. In hoc ligno bipalmari palmus *A* est æqualis palmo *B*. Hæc proposictio videtur euidens, g. inter palmum *A*, & palmum *B* datur relatio æqualitatis relatio non est, nisi inter distincta; g. palmus *A*, & palmus *B* sunt realiter distincti; Qui non admittũt partes actuales, & æctualiter distinctas, negare debent antec. vel suppositum antecedentis: quod videlicet detur in ligno bipalmari palmus *A*, & palmus *B*. Hæc autem negatio videtur absurda. Qui admittũt mi-

ni-

nima, minimè hoc argumento premuntur. enim minimũ à minimo etiã palmus à palmo distinctus est. Hæc pro relatione æqualitatis, quæ mutatis nominibus idẽ faciunt pro relatione similitudinis. Accipe in aliud pro relatione causalitatis.

Contingit aliquando filum ita comburi vt ab vno extremo ad alterũ serpat ignis continuatus. In hoc casu videtur euidens, quod vna pars ignis huiusmodi sit causa alterius; puta si filum est bipalmare primus palmus ignis est causa secundi: & quia etiã in primo palmo est prima, & secunda medietas; videtur prima medietas causa sequentis, & quia, & filũ & flãma in quã conuertitur filũ sunt in infinitũ diuisibilia: assignando semper partem priorem, & posteriorem in qualibet assignata; quælibet prior erit causa posterioris. Si autem quælibet prior est causa posterioris, datur inter hanc & illã relatio causalitatis, quã certũ est non posse esse, nisi inter distincta. Est enim euidens nihil à seipso, causari: cũ præcipuè hic sermo sit de causa efficiente. Rursus dici nequit, quod vnũ indiuisibile ignis sit causa alterius indiuisibilis: tũ quia indisibilia supponuntur reiecta: tũ etiã quia indiuisibile nõ agit, vt ex multis Philosophi dictis recitant.

Minimistæ igitur hic sua minima esse õnino necessaria putant; aiuntque rẽ facile saluari per hoc, quod primum minimum causet secundum, secundum tertium, & sic vsque ad vltimum: nã in continuo quolibet

bet

bet est numerus determinatus minimorum, vltra quem nō licet vlterius progredi. Hæc autem minima quamuis partibus potentialibus constent, producuntur tamen quodlibet totum simul. Si enim dicas etiam in minimo *A* esse primam & secundam medietatem, negant: vel distingunt; concedētes vtramq; in potētia, neutram in actu. Res autem agit non secundum quod in potentia est, sed secundum quod in actu. Cur autem non minus quam minimum producat agēs naturale: ratio est, quia nihil datur naturaliter minus minimo; cur autem non plus, ratio est, quia minimum *A* rectè assignatur pro causa minimi B, cum appareat in filo prædicto flammam successiue produci. Porrò de partibus potentialibus huius minimi non licet dicere, hoc & illud: cum non habeant vltimum complementum in ratione huius & illius: de quibuslibet autem minimis, dicere licet hoc & illud, ex quibus patet aliter componi minimum ex partibus potentialibus sui, aliter continuum ex suis minimis. Componitur minimum ex partibus potentialibus, adeoq; non habentibus vltimam actualitatem: componitur continuum ex minimis habentibus singulis suam actualitatē. Hinc si rogetur Minimista quot sint minima in palmo ligni, rectè respondebit esse viginti quatuor milliones. Si rogetur quot sint partes potentiales in quolibet minimo, vel negabit suppositum; vel respondebit esse non tot quin plures.

De continuo autē successiuo res est paulo

lo difficilior: diſcordant enim; dum alij dicunt dari etiam minima physica in duratione rerum, alii negant. Qui affirmant, designant in tempore particulas adeo exiguas vt nataraliter nequeant dari minores. Quicquid autem eſt, ſaltem per vnã ex iſtis particulis eſt: siue quidquid eſt, ſaltem per vnũ ex his minimis durat. Sed quia dare durationem non eſt agentis naturalis propterea recedunt alij ab hac ſententia dicentes nullam eſſe durationem, quæ dici poſſit naturaliter debita; decerni autẽ à Deo hanc vel illam tantæ vel tante extenſionis omnino libere. Ita quidem vt pro singulis durationibus tamquam pro singulis beneficijs, singulas grates quælibet creatura debeat creatori, aſſignanti hanc pro primo, illam pro ſecundo beneficio, & sic de cæteris. Hanc & alias alienas à Philoſopho ſententias reijciemus vbi Philoſophi veram ac germanam ſententia ſtatuerimus.

ARTICVLVS VI.

An in continuo partes inſint actu, an ſolum potentia?

SEntentia peripatetica eſt ineſſe continuo partes non in actu ſed in potentia: hoc eſt magnitudinem quamlibet eſſe actu vnã magnitudinem, potentia autem plures & plures. Hanc ſententiam ſtabiliuit Philoſophus per ipſammet definitionem Quanti, quam tamen admittunt etiam qui nobis cõ-

tra-

tradicunt. Philos. igitur 5. Metaph. c. 13. sic habet. *Quantum est id quod est in ea quę insunt diuisibile, quorum vtrumq; aut singulum vnum quid, aut quod quid aptũ est esse.* Ad intelligẽtiam huius definitionis repræsenta tibi duplex genus diuisionis seu separationis partis à parte. In ligno potes separare & formam à materia, & palmum à palmo: per primam separationem, neutra pars remanet vnum quid, aut quod quid; hoc est neutra pars remanet intra speciem totius quod diuisum est. Per secundam autem vtraque pars remanet vnum quid, aut quod quid: & si vtramque rursus diuidas in semipalmos, & semipalmorum dimidia singula remanebunt vnum quid, & quod quid & intra speciem totius quod diuidis.

Ex hac autem definitione duo habet. Primum est in continuo plura inesse. Patet hoc ex hic particulis; *in ea quæ insunt diuisibile.* Secundum est; ea que insunt, non actu sed potentia esse. Constat hoc ex his alijs parculis; *quorum otrumq; aut singulum vnum quid, aut quod quid aptum est esse.*

Explicatur vis argumenti, accipiendo lignum bipalmare. Si in ligno bipalmari insunt actu duo plami; insunt actu duo ligna: sed in ligno bipalmari non insunt actu duo ligna: ergo in ligno bipalmari non insunt actu duo palmi. Maior probatur; quia duo palmi qui insunt ligno non, sunt palmi vt sic, nec vt proponũtur imaginationi Mathematici, sed duo palmi ligni: adeoq: duo ligno ambo palmaria, Minor etiã probatur;

quia

quia ſi inſunt duo ligna actu, non ſolum v-trumque ex ijs quæ inſunt, aptum eſt eſſe v-num quid aut quod quid; ſed de facto eſt vnum quid aut quod quid. Igitur ex ipſa definitione apparet veritas ſententiæ peripateticæ.

Confirmatur hoc ratiocinium ex communi conceptu hominum. Nemo videns lignum bipalmare dicit eſſe duo ligna, quamuis omnes dicant effici poſſe ex hoc ligno duo vel plura ligna. nemo autem ſupponit eſſe actu id quod dicit effici poſſe. Quod ſi dicas eſſe quidem duo ligna, ſed partialia: contra eſt: quamuis enim lignum ſemipalmare ſit partialiter ſolum lignum palmare: non tamen partialiter lignum ſemipalmare: tam autem lignum ſemipalmare eſt ſimpliciter & ſine addito lignum, quam palmare: adeoque ſimpliciter & abſolute verum eſt eſſe duo ligna. Vbi obiter nota quod ſi dixeris: ex hoc ligno efficiam duo ligna, nemo arguet: ſi dixeris ex hoc ligno duo alia ligna generantur; omnes te arguent dicentque ex hoco ligno fungos generar poſſe, non ligna. Idem eueniet ſi dicas producturum te ex hoc ligno duo ligna. Ex quo patet vocabulorum diuerſitatem plus aliquando valere quam rerum.

Ex his tamen eruo argumentum pro ſententia philoſophi. Conceditur & ſine vlla controuerſia conceditur ex vno ligno effici duo lignæ; non conceditur ex vno ligno creari aut generari duo ligna: itaut qui

dicit: fiunt, assensum obtineat: qui dicit *creantur & generantur* moueat risum: ergo inditum est intellectui aliqua fieri, quæ neque per creationem, neque per generationem fiunt. Tria igitur, vt ita dicam, fiendi genera hic attende. Aliqua fiunt per creationem, cuiusmodi sunt materia prima, anima rationalis & Angelus; quæ fieri dicuntur nullo concurrente subiecto. Aliqua per generationem & hoc modo fiunt substantiæ sensibiles ex alijs substantijs per eductionem videlicet huius vel illius formæ de potentia materiæ, hoc est subiecti communis huic & illi formæ. Aliqua denique per meram diuisionem, & hoc modo ex vna quantitate maiori fiunt plures quantitates minores; seu ex vna magnitudine maiori, fit multitudo minorum magnitudinũ, iuxta illud: *in homogenies numerus nascitur ex diuisione continui*. Nasci autem numerum ex vno, & ex vno fieri plura sunt vnum & idem.

Probatur eadem conclusio auctoritate eiusdem Philosophi 8. Physic. textu 68. *In continuo insunt infinita dimidia sed non actu, sed potentia*. Igitur partes in quas est diuisibile quodlibet continuum, ipsi insunt potentia, non actu. In palmo igitur semipalmus, in semipalmo eiusdem dimidium, & sic de cęteris potentia insunt. Sunt qui Philosophum sic interpretantur vt non dimidia, sed infinita dimidia potentia dumtaxat inesse continuo intelligant. Puta palmo inest actu semipalmus, semipalmo actu

di-

dimidium semipalmi & quotquot dimidia dixeris: actu insunt; quia numquam dixeris infinita: infinita autem non insunt actu, sed potentia.

Hæc interpratatio non placet; immo nulla sententia magis displicet, quam quæ cõtinuum constat ex partibus partim actu, & partim potentia inexistentibus. Ratio est: quia meum nominare hanc & illam, hoc & illud dimidium non facit hanc & illam, hoc & illud actu dari, nec è conuerso meum non nominare hæc & illa dimidia facit non actu esse hæc & illa dimidia, sed distinctio seu pluralitas est aliquid quod est ex parte obiecti Hinc sic argue, dantur aliquæ partes actu in continuo, ergo dantur omnes; seu, ne ludaris in hoc vocabulo *omnes*: ergo dantur plures. Deinde: ergo dantur non tot quin plures. Probabis consequentiam: quia ideo dantur plures, quia continuum quodlibet est diuisibile in plures: sed est diuisibile in non tot quin plures: ergo dantur non tot quin plures. Est autem ineptum ex terminis concedere tibi pro partibus actualibus eas omnes quas numeras, negare eas quas numerare non potes, cum euidens sit eandem esse de omnibus rationem:

Dupliciter ad hoc argumentum responderi solet. Prima responsio est non omnes partes acceptibiles esse collectiue, adeoque posse dici de singulis quod distinguantur ab inuicem, non autem de omnibus. Non posse accipi collectiue aiunt esse doctrinam communem de infinito.

Hæc responsio non subsistit: quia si nequeunt accipi omnes collectiue, nequeunt esse omnes, sunt autem omnes, egro, &c. Esse omnes in quas est diuisibile hoc lignũ, eadem ratio probat, quæ probat esse aliquas. Quamuis enim diuidendo, numquam deuenias ad vltimam: nulla tamen est possibilis seu separabilis ab alia, quæ de facto non existat & non componat cum alia hoc lignum: dum igitur dicis quod est à parte rei, eo ipso dicis facere cum alijs vnam collectionem cum alijs & non facere collectionem cum alijs & non facere illam infinitatem; cuius omnes partes sint actu.

Secunda responsio est: partes in continuo distingui actu, actu esse plures, sed actu non constituere numerum. Adeoque interroganti quot sint, & an sint finitæ vel infinitæ: respondetur non esse in vllo numero: nec infinitas nec finitas: cum tam finitas quam infinitas passiones sint numerorum. Non constituunt numerum; quia non habent singulæ suam vnitatem, numerus autem nihil aliud est quam multiplicitas vnitatum. Non habent autem suam vnitatem: quia non habet vlla ex partibus assignabilibus esse indiuisàm in se & diuisam à quocunque alio cum quo faciat vnum intra eandem speciem: vnum autem est indiuisum in se & diuisum à quocunque alio. Hoc idem alij aliter dicuut; partes videlicet non habere in continuo vltimam rationem per quam sint vna, duæ, & tres, quia non habent vltimam terminationem, de

non habentibus autem vltimam terminationem male quæritur quot sint. Hæc autem vltima terminatio consistit vel in aliquo negatiuo, puta in negatione vnionis cum vlteriori magnitudine: vel in aliquo positiuo: puta in aiquo puncto terminante hanc vel illam lineam: illamque in se sic sistente sicut coronis vulgo il *cornicione* sistit palatium in se. In vtrolibet autem ex his consistat talis terminatio, ea deficit in parte vnita alteri parti, sicut subsistentia seu consistat in positiuo seu in negatiuo, deficit, si natura vniatur vlteriori substantiæ.

Hęc responsio subsistere potest apud eus qui pluralitatem sine multitudine, multitudinem sine numero: aut distinctionem sine pluralitate admittere possunt. Huic fauet illud ipsum dictum quod supra retulimus: *In homogeneis numeras nascitur ex diuisione continui*. Sed sicut numerus sine diuisione non stat; ita nec distinctio. Est enim etiam inter vnita pluralitas, & in hoc ipso quanto licet Aduersario numerum assignare, eodem iure, quo distinctionem & pluralitatem assignat. Puta si rogetur quot palmi ligni sint in hac tabula respondebit esse quatuor. Si quot sempalmi, respondebit esse octo, & sic per quamlibet ex ijs multiplicationibus quas habetis ex vestra Mathesi. Hinc argue; in hoc quanto est numerus palmorum & semipalmorum: in hoc quauto non est diuisio palmorum à palmis, semipalmorum à semipalmis; ergo in Hoc quanto est numerus sine diuisione: ergo fal-

sum est quod in homogeneis numerus nascatur dumtaxat ea diuisione continui.

Si neget esse quatuor palmos: esse octo semipalmos, & sic de cæteris eodem iure tu negabis esse plures, & esse inter se distinctos. Quod si dicat palmum cum palmo facere numerum, quia quamuis sit vnitus alteri palmo cum quo faciat vnum lignum, non est tamen vnitus alteri cum quo faciat vnum palmum, & consequenter quamuis non habeat vnitatem in ratione palmi, habet tamen vnitatem in ratione ligni.

Contra est; quia idem dices de reliquis omnibus partibus. Singulæ enim ita faciunt vnum cum singulis vt nulla faciat vnum in tali determinata mensura, puta millesima palmi ita facit vnum lignum & vnum palmum cum alijs mille, quibus mediate, vel immediate vnitur; vt cum nulla faciat vnam millesimam; adeoque si palmus, & palmus simul vniti faciunt numerum, omnes simul vnitæ facient numerum. Præterea dictum est supra palmos & semipalmos non dari, nisi ex aliqua materia: igitur si sunt actu quatuor palmi, erunt actu quatuor quanta. Puta sint quatuor palmi ligni, erunt quatuor ligna palmaria, & si sunt quatuor palmi vniti erunt quatuor ligna vnita. Quemadmodum enim palmus *A* & palmus *B* vnientur vt duæ extensiones minores in vnam maiorem; ita lignum *A* & lignum *B* vnientur vt duo ligna minora in vnum maius. Cur enim poterit esse extensio minor actualis vnita cum altera in

ma-

maiorem: & non poterit esse vnum lignum minus actuale vnitum cum altero in maius? vnum autem lignum esse actu plura ligna quis dicet?

ARTICVLVS VIII.

Stabilitur magis eadem sententia argumentorum solutione.

OBijcitur 1. debent in contiuuo admitti aliqua puncta; ergo continuum constat ex punctis: ergo reducitur in puncta. Prob. antec. Sphæra tangit planum in puncto. Cylindrus tangit planum in linea planum alteri plano superpositum tangit illud in superficie; ergo datur punctum, linea, & superficies. Prob. antec. quia si sphæra tangit planum & non in puncto, tāgit illud in aliqua parte diuisibili; consequens repugnat; ergo & ant. Probatur hæc minor: quia si pars diuisibilis sphære tangit planum; linea curua commensuratur recta seu adaptatur rectæ, quod est impossibile. Idem dic de Cylindro qui si non tangit in linea, tangit secundum aliquam latitudinem, in quo est idem inconueniens: adaptatio videlicet curuæ ad rectam. De plano autem super planum si non se contingant in pura superficie, contingunt se secundum aliquam profunditatem; & consequenter datur penetratio plani cum plano.

Probatur iam primi enthimematis prima consequentia: quia sphæra si voluitur

super plano semper tangit in puncto: ergo totus ille circulus secundum quem sphæra contingit planum, constat ex punctis: tota autem sphæra in circulos huiusmodi diuisibilis est, & consequenter tota illa superficies secundum quam apta est volui super plano & contingere planum, tota quanta est, ex punctis est. Idem proportionaliter dic de alijs.

Respondent aliqui concesso antecedenti negando consequentiam. Concedunt antecedens: quia putant in quanto præter partes in quas est diuisibile dari puncta tum copulatiua, tum terminatiua. Puncta copulatiua sunt vniones partium cum partibus, terminatiua autem sunt illa quæ faciunt hanc & illam quantitatem positiue sistere in se. Hi homines quando respondent argumentis probantibus puncta: dant puncta modo terminatiua modo copulatiua, Quando respondent alijs probantibus non constare ex punctis: dant partes diuisibiles. Quando alijs probantibus partes esse distinctas; dant distinctas. Quando probantibus non esse distinctas, dant non distinctas quia & aliqua puncta admittunt, & partes in infinitum diuisibiles, & inter has aliquas actuales, aliquas pure potentiales: commode quidem: sed non vere.

Resp. igitur transmisso antecedenti, neg. conseq. Transmitto antec. quia hoc dictū: *Sphæra tangit planum in puncto* circumfertur vt verum, sed in sensu legitimo non inferens: *ergo datur punctum.* Ratio est quia sen-

sensus huius dicti est præcisiuus; in consequenti autem positiue ponitur punctum. Quando igitur Mathematicus dicis: phæra tangit planum in puncto, significat quod ad contactum sphare cum plano, nulla omnino magnitudo requiritur sed, quæcunque magnitudo signetur erit diuisibilis in duas partes, quarum altera tangat altera non tangat; nec vmquam quicquam designabis in phæra, de quo verum sit: hoc totum requiritur ad contactum. De sphæra volue animum ad Cylindrum. Dicitur hic tangere planum in linea, quatenus ad contactũ ipsius cum plano non requiritur vlla determinata latitudo; sed quæcunq; assignetur erit diuisibilis in duas longitudines: qaurum altera tangat, altera non tangat. De plano super plano idem omnino dices. Dicuntur sese contingere in superficie, quatenus ad contactum non requiritur vlla determinata profunditas. Itaque ad argumentum respondere posses: sphęra tangit planum in puncto, pręcisiue, concedo; positiue: nego, & sic de cæteris. Sensum distinctionis habes ex dictis.

§ Dices ex doctrina allata sequitur partes in continuo esse actu distinctas: ergo hæc doctrina repugnat sententiæ quę hic sustinetur. Ant. prob. quia in phęra aliqua pars tangit, aliqua non tangit. Item id secũdum quod sphæra tangit planum, diuisibile est in partem tangentem & partem non tãgentem; tangere & non tangere sunt contradictoria; ergo partibus in phæra assi-

gnabilibus conueniunt contradictoria? quibus autem conueniunt contradictoria, ea sunt distincta realiter.

Resp. neg. seq. Ad probationem respondeo cum distinctione: assignatur pars, &c. potentialis: conc. actualis: nego. Sensus igitur distinctionis adductæ est, quod quælibet pars potentialis designetur in globo, ea per diuisionem potest euadere duæ, quarum altera tangat, altera non tangat.

Instabis; ex duobus quarum altera tangat, altera non tangat potest accipi illa quæ tangit, relinqui illa quæ non tangit: sunt enim à se diuisibiles, vt patet. Accipiatur ergo. Hæc vel ast diuisibilis vel indiuisibilis. si indiuisibilis habetur intentum; si diuisibilis linea curua aptatur rectæ, ergo vel dantur indiuisibilia; vel linea curua aptatu rectæ.

Resp. concedendo ex duabus illis posse alteram accipi, relicta altera. Ad argumentum dico illam partem quæ accipitur & tangit esse diuisibilem in duas, quarum altera tangat. & altera non tangat. Quod si rursus accipias post talem diuisionem eam quæ tangit; rursus dico hanc esse diuisibilé in duas, quarum altera tangat, & altera non; quæ omnia dicta sunt, dum diximus quamlibet partem assignabilem in globo secundum quam contingat planum, diuisibilem esse in duas, quarum altera tangat & altera non.

Obiter tamen monendus es multos esse qui ad solutionem argumenti huius dicant

& plana perfecta & perfectos globos & alia huiusmadi repugnare; Nos autem damus hæc omnia, & idem dicimus de linea Cylindri, de superficie plani proportionaliter, quod de puncto sphæræ.

Obij. 2. In contnuo successiuo debent admitti indiuisibilia; ergo etiam in continuo permanenti. Prob. conseq. quia si sint instantia, non potest mobile vno instanti conficere partem spatij diuisibilem. Prob. hoc; quia in qualibet parte diuisibili pertransitur prius prima medietas quam secūda, implicat autem quod in instanti sit prius & posterius, Prob. iam antec. quia ex dictis dantur actiones instantaneę; puta Deus actione instantanea creat Angelum, materiam primā; & quodlibet aliud quod creet. Agens naturale instantanee producit totam formam substantialem. Et luminosum instantaneè producit in toto spatio ad quod extenditur ipsius actiuitas, totam lucem quam producit; ergo dantur instantia.

Hoc argumentum est simile primo, quanuis facilius illudat imaginationi quam primum. In forma nega antec. Ad probationem conc. antec. nega conséq. Dicuntur actiones instantaneę, non quod sint in instāti mathematico temporis; sed quod producant terminum totum simul & non per partes. Producitur autem terminus non per partes dupliciter, videlicet vel eo quod careat partibus, & hoc modo producitur Angelus & anima rationalis. Vel eo quod etiamsi constet partibus, non tamen produ-

citur vna prius altera; adeoq; idem est dari actiones instantaneas ac dari actiones productiuas indiuisibiliter totius termini. Hoc modo indiuisibiliter mea manus dextera tangit meam sinistram; non quod hæc aut illa sint indiuisibiles, sed quod per applicationem vnius ad lateram nō prius vna pars tangatur quam altera.

Dicuntur etiam prædicti termini produci in instanti seu instantanee, in sensu præcisiuo, sicut dictum est de sphæra tangente planum in puncto, quatenus videlicet non requiritur ad eorum productionem vlla determinata extensio temporis, sed quęlibet assignetur, diuisibilis est in duas, in quarum altera res producatur, in altera non. Et quia circa hoc ipsum potest instari sicut instatum est supra, postulando videlicet vt partem in qua producitur res, diuidas ab illa parte temporis, in qua non producitur, eædem responsiones tenendæ sunt, dando diuisiones postulatas: sed non dando vllam particulam teporis, quæ non sit diuisibilis in duas, in quarum altera producatur, & in altera non. Hinc obiter nota non posse assignari vllam temporis particulam, in qua res ita producatur, vt intra eandem non conseruetur; atq; hoc est quod aiunt, non dari primam productionem contradistinctam ab omni conseruatione.

Obijc 3. Contigua sunt quorum extrema sunt simul. Continua puorum extrema sunt vnum; ergo tam in contiguis quam in continuis dantur actu extrema: ergo debent

bent copulari aliqua vnione; hæc vnio recte dicitur consistere in pūctis copulatiuis, ergo debent admitti puncta copulatiua.

Resp. concesso antecedenti; negando consequentiam. Immo ex hac definitione continui. videlicet: *cuius extrema sunt vnum*, recte confirmatur nostra sententia: extrema videlicet esse solum potentialia: si enim actualia sint, non sunt vnum sed plura. In ætherogeneis quelibet coalescentia in vnum quid, relinquit pluralitatem coalescentium: ita in homine aliud est corpus, aliud anima. Aliud caput, aliud brachium, aliud pes, aliud cerebrum, aliud cor, aliud pulmo, si hæc ætherogenea sunt, de quo in libris de anima. Inhomogeneis autem coalescentia plurium in vnum non relinquit pluralitatem. Puta ex pluribus guttis aquæ coalescentibus in vnum, ita fit vna aqua, vt ineptum sit dicere hanc esse actu plures aquas.

ARTICVLVS VIII.

Satisfit alijs obiectionibus.

OBijc. 4. Quæcunq. sunt separabilia, sunt distincta: in ligno bipalmari palmus *A* & palmus *B* sunt separabiles; ergo in ligno bipalmari palmus *A* & palmus *B* sunt distincti. Idem dic de gutta *A* & gutta *B* in aqua diuisibili in vtramq. Maior est primum principium. Nihil enim à seipso separabile est. Ex quo sic argue. Nihil

se-

separatur à se ipso; palmus *A* separatur à palmo *B*, ergo palmus *A* non est palmus *B*. Minorem vtriusq. syllogismi probat securis vel serra.

Hoc argumentum est omnium argumentorum quæ hic fiunt optimum. Et quia æqualiter militat contra quodlibet minimũ ac contra totum Oceanum, ideò omnis Intellectus philosophicus, qui inter vnam & alteram medietatem Oceani det distinctionem actualem, debet illam dare inter vnam & alteram medietatem cuiuslibet minimi physici. Nam: quæcunq. separabilia sunt, sunt distincta; partes cuiuslibet minimi sunt à se inuicem separabiles: ergo sunt distinctæ. Ad maiorem non nisi male adhibebitur hæc distinctio: quæ separabilia sunt naturaliter; concedo; de potentia absuluta: nego: implicat enim per quamlibet potentiam, seu per vllam potentiam idem à se ipso separari, si sit idem realiter non autem metaphorice, sicut ait amicus de amico plorans in discessu amici se à se separari. Minor autem æque probatur per diuinam omnipotentiam ac per hasciam & securim.

Resp. Ex duobus syllogismis in obiectione propositis vnum, videlicet secundum, esse verum, & occasionem dare clariori explicationi nostræ sententiæ. Nostra sententia est, non palmum *A* esse palmum *B*; neque enim dicimus in hoc ligno bipalmari palmum *A* esse palmum *B*; sed negamus in ligno bipalmari esse actu aut palmum *A* aut palmum *B*, Si autem neque

sit

sit palmus *A* neque palmns *B*, adhuc verum est palmum *A* non esse palmum *B*. Hac in re decipiuntur multi ita philosophantes de palmo *A* & palmo *B* sicut philosophamur de animali & rationali. In homine rationale non distinguitur realiter ab animali: nec solum non distinguitur sed identificatur actu; non enim solum vera est hæc propositio: rationale non distinguitur ab animali in homine: quæ vera esset etiamsi in homine nec animal esset nec rationale, sicut verum est hinnibile non distingui à quadrupede in hoc ligno. Sed etiam vera est hæc alia: in homine animal identificatur cum rationali, quæ propositio suponit esse in homine & animal & rationale, & recte suponit: quia quamuis animal & rationale non distinguantur, datur tamen aliquid quod actu est & animal & rationale vt patet ex dictis alibi. Non sic philosophandum est de palmo *A* & palmo *B* in quanto bipalmari. Verum est: palmus *A* non est palmus *B*: quia neuter datur. Falsũ est: palmus *A* est palmus *B*, quia nec datur *A* nec *B*: nec qicquam quod sit *A* & *B*, nisi in potentia. Nihil enim datur nisi hoc lignum, quod potentia quidem est hoc & illud, actu autem neutrum. Prima vnitas, quã considerauimus in animali & rationali est vnitas propria rei indiuisibilis in partes physicas: secunda quam ponimus in quolibet quãto est propria rei diuisibilis in multa eiusdem speciei, cum re diuisa.

Ad argumentum in forma: quæcunque

separabilia sunt cum constantia subiecti; sunt inter se distincta? concedo maiorem sine constantia subiecti; subdistingue: sunt distincta distinctione purè logica: omitte, distinctione physica, nega. Distingui distinctione logica habetur per negabilitatem vnius de alio. Distingui distinctione physica habetur per hoc quod vtrumque extremum sit actu, & neutrum sit alterum. Prima reperitur etiam inter ea quę non sunt secus secunda.

Obijc. Quæcunque verificant actu & cum constantia subiecti contradictoria, sunt actu distincta: palmus *A* & palmus *B* verificant actu & cum constantia subiecti contradictoria: ergo sunt actu distincti. Maior est euidens: quia idem de eodem negari nequit & simul affirmari. Minor probatur: quia hoc ligno palmus *A* est albus, & palmus *B* non est albus: esse actu album probatur; quia actu subiectat albedinem: albedo autem non est actu in subiecto quod sit solum in potentia. Ita autem subiectari in palmo *A* vt non subiectatur in palmo *B* patet ad oculum. Ex quo sic argue. Palmus *A* subiectat actu albedinem: ergo actu est: palmus *B* non subiectat actu albedinem: ergo palmus *A* qui actu est distinguitur à palmo *B*.

Resp. concessa maiori; negando minorem. Ad probationem nega albedinem subiectari in palmo *A* actu; li *actu* appellante actualitatem palmi. Verum est albedinem non subiectari actu in subiecto quod solum

sit

sit in potentia: sed falsum est subiectari in palmo qui sit actu, & non in potentia. Subiectatur autem actu in ligno quod actu est, & est potentia palmus *A* & palmus *B*.

Idem dic proportionaliter de tempore dum actu loqueris, non loqueris in tempore quod potentialiter sit tempus, sed quod potentialiter est hæc & illa hora, actu autem tempus, & quidem vnum tempus impotens esse plura nisi per diuisionem, qua ex vno maiori fierent plura minora.

Dices; ergo idem subiectat actu, & non subiectat albedinem. Probatur conseqnentia, quia lignum tam est palmus *B* quam palmus *A*; secundum palmum *A* subiectat actu albedinem, secundum palmum *B* non subiectat: ergo idem subiectat & non subiectat.

Resp. negando consequentiam. Ad probationem nego suppositum maioris. Lignũ hoc non est actu neque hic neque ille palmus. Lignum hoc subiectat simpliciter & absolutè adeoque falsum est simpliciter & absolutè quod non subiectet. Idem lignum subiectat etiam ingredinem, & quidem ita vt vtramque qualitatem habeat in summo. Non enim repugnat idem lignum secundũ diuersas sui partes summè dealbari & summe denigrari. Vnde habes quod idem subiectum potest subiectare contraria: & de eodem ligno dicere potes: est summe albũ, & est summe nigrum. Ad hoc enim sufficit quod illud lignum sit diuisibile, quod habetur etiam sine actuali partiũ distinctione.

Obijc.

Obij. 6. Sequitur lignum bipalmare esse indiuisibile: consequens est absurdum; ergo & antecedens. Sequala maioris probatur: quia dum dicitur diuidi in duo, re ipsa destruitur et fiunt duo ligna de nouo: adeoque non aliter diuiditur quam diuidatur punctum in duo minora.

Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem. Disparitas inter punctum & lignum est quod formaliter diuiditur lignum, et ex ipso fiunt duo. Punctum autem non diuiditur formaliter vt patet ex dictis. Dicitur lignum bipalmare per diuisionem destrui quantitatiue, sicut duo ligna palmaria fieri dicuntur quantitatiue; quia etiam hic suo modo generatio vnius est corruptio alterius. De hac autem factione et destrutione dictum est supra.

Obii. 7. Euidens est in homine esse caput & pepes, & caput non esse pedes; ergo euidens est in homine caput distingui realiter et physicè à pedibus: caput & pedes sunt partes eiusdem continui; ergo euidens est inter pertes continui dari realem et physicam distinstionem.

Resp. concesso toto primo enthimemate; et minori subsumpta: distinguendo consequens: inter partes continui secundum rationem continui: nega; secundum aliam rationem; concede. In homine diuersitas partium habetur vel à formis substantialibus diuersi: vel à diuersis accidentalibus. Quomodocumq: habeatur hæc diuersitas, ratio talem diuersitatem constituens princi-

cipa-

cipaliter significatur per has & illas denominationes harum et illarum partium. Cum igitur vel forma substantialis capitis, si detur, vel accidentalis, vtraque distinguatur realiter a forma pedis, quæcunque illa sit; recte dicitur caput realiter distingui à pedibus. Quia in ætherogeneis denominatio diuersa habetur à formis dissimilantibus.

Dices: in Statua aurea vel marmorea non potest recurri ad diuersitatem formæ: in Statua datur caput et pes, & caput non est pes; ergo etiam præscindendo à formis dissimilibus dater distinctio inter partem & partem eiusdem cotinui.

Resp. negando maiorem. Etiam Statua et infinita alia artefacta formis constant in suo genere ætherogeneis, quæ dicuntur per ordinem ad formas ætherogeneas naturales Ita igitur in statua distinguitur caput à pede sicut in homine. Et sicut in statua non est aliud marmor caput, aliud pes, ita in homine non erit alia caro caput, alia pes: sed et in statua idem marmor erit pes & caput, & in homine eadem caro.

Objc. 8. Relatio causæ et effectus dicit distinctionem realem; inter partes continui datur relatio causæ et effectus; ergo inter partes continui datur distinctio realis. Maior est euidens; minor probatur in flamma, quam supra accendimus, excurrente per filum bipalmare. Ad intelligentiam penitiorem difficultatis considera flammam in medio fili quod accenditur; illa flamma

est; & flamma quæ corripit aliud dimidium non est: ergo flamma quæ est in primo dimidio nequit facere vnum cum flamma quæ erit in secundo. Antecedens est euidens. Consequentia probatur: quia id quod est nequit facere vnum cum eo quod non est; ergo &c. Idem sub alijs terminis sic propone. Est in natura flamma primi dimidij cum negatione flammę secundi dimidij; ergo flamma secundi dimidi non facit vnum cum flamma primi.

Hoc idem argumentum mutatis nominibus facies contra continuum quodlibet successiuum. Puta primum dimidium horæ est, & non est secundum dimidium eiusdem. Immò primum dimidium horæ coexstit cum negatione secundi dimidij horæ; ergo inter primum, & secundum dimidium horæ datur distinctio realis. Antecedens est euidens: consequentia probata est supra.

Resp. difficultatem continui magis apparere in successiuo quam in permanenti. Est tamen verum non magis distingui partes in successiuo quam in permanente. In permanenti vt ex pluribus fiat vnum debet illa plura esse; & simul esse. puta vt ex pluribus guttis fiat vna aqua, debent esse & simul esse. In continuo autem successiuo ad hoc vt ex pluribus fiat vnum debent quidem illa esse, non tamen simul esse, puta vt ex duobus dimidijs horæ fiat vnum tempus, debent esse duo illa dimidia, non tamen simul esse. Hinc ex

eo

eo quod quando eſt primum dimidium non ſit ſecundum, non recte inferes non fieri vnum ex primo & ſecundo.

Ad argumentum in forma; conceſſa maiori; nega minorem. Ad probationem diſtingue: exiſt prima medietas flammæ non exiſtente ſecunda pro ea differentie temporis pro qua requiritur vt faciat vnum: nega; pro alia differentia temporis; concede. Ignis qui accenditur vel continuate accenditur vel cum interruptione; ſi continuate accenditur numquam eſt ſecundum vltimam terminationem, niſi toto filo abſumpto; ſi cum interruptione: ibi eſt ignis ſecundum vltimam terminationem, vbi interrumpitur accenſio. Si poſt interruptionem vlterius pergit flamma; ex flamma quæ de nouo fit, & præexiſtente fit vna: ſicut ex duabus aquis vna aqua & quemadmodum in aqua quæ fit ex duabus aquis non ramanet acta hæc & illa aqua: ita in flamma quæ fit ex duabus flammis, non remanet hæc & illa flamma. In tali autem caſu interruptionis flamma prio eſt eſt cauſa poſterioris; relationem autem cauſæ ad effectum non retinet cum coaleſcit in vnam; ſicut non retinet eſse quod erat: vt patet ex dictis. Vbi autem ſine interruptione fit prædicta accenſio: cauſa flammæ quæ corripit filum eſt vel candela quæ filum accendit, vel quilibet alius ignis.

Inſtabis: ergo cauſa quæ non eſt, agit. Probatur conſequentia; quia dum accendi-

tur

tur vltima medietas fili, candela extincta est: ergo vltima medietas flammæ est ab igne non existente.

Resp. negando consequentiam. Ad probationem dic flammam quæ corripit vltimam medietatem fili & flammam quæ corripuit primam non esse duas: adeoque falsum est non existere ignem, quando est flamma quæ corripit vltimam medietatem fili. Tota æquiuocatio in hac materia est in concipienda identitate seu vnitate tum illius flammæ tum cuiuslibet alterius continui. Non enim debet concipere identitatem seu vnitatem rei indiuisibilis, sed vnitatem propriam rei diuisibilis, in qua non datur hoc & illud: sed hoc quod per diuisionem aptum est dare hoc & illud. si igitur bene concipis flammam illam quæ incipit vrere filum & flammam quæ absoluit, esse vnam, recte intelliges ignem qui accendit filum coexistere flammæ, quæ totum filum absumit: coexistere autem non indiuisibiliter, sed diuisibiliter.

Ad illud de tempore idem dic. Prima medietas horæ coexistit negationi secundæ, quæ negatio sit pro illa differentia temporis, quæ requiritur ad diuisionem: nego, quæ negatio sit pro alia differentia temporis: omitte. Vt ex primo & secundo dimidio totius successiui fiat vnum, non debent primum & secundum dimidium sibi coexistere, sed vnum post alterum fluere. Vnum autem post alterum, non realiter vnum et alterum; sed per relationem eius-

dem

dem diuisibilis in plura , ad varias differentias temporis vel realis vel imaginarii , hoc est ad varios motus vel reales , vel imaginarios quibuscum comparatur .

ARTICVLVS VLTIMVS.

Expediuntur reliqua circa quantitatem.

EX dictis tota hac disuptatione habes ex duabus sententijs quarum vna continuum conflat ex punctis Zononicis , altera ex punctis , vt aiunt , inflatis , quamuis vtraque sit falsa , primam tamen esse longe probabiliorum secunda . Ratio est quia prima dum ponit indiuisibilia , retinet in indiuisibilius propriam rationem indiuisibilium , adeoque sibi non contradicit : secunda autem dum indiuisibilia ponit & eadem inflat vel reprimit , prout oportet ad tuendum quod dicit , destruit in indiuisibilibus veram rationem indiuisibilium . Nam indiuisibile commensurari spatio diuisibili repugnat in terminis . sermo enim est de indiuisibili materiali , adeoque vero & reali corpore , cuius proprium est esse in loco commensurabiliter .

Præterea est omninò contra rationem corporis esse totum in toto , & totum in qualibet parte totiuspatii diuisibilis : quod tamen dicitur de quolibet ex punctis inflatis . Puta vnicuum puntum aeris tantundem loci occupat quantum mille puncta terræ, idque per vbicationem indiuisibilem ,

&

& consequenter aer est in toto illo spatio in quo essent mille particulæ terræ, itaut totus aer impleat totum illud spatiũ, & totus quanlibet partem illius spatij, quod à tota terra totũ impletur, & à singulis partibus secundum singulas partes sui. Et quia nullũ est corpus quo non possit dari aliud natura sua rarius. Posset puntum alicuius corporis tantũ spatij implere, quantum totus mundus & tamen esse indiuisibile, quod est ineptum ex termini. Quod autem aiunt, punctum non esse corpus, sed punctum corporis, seu vnum ex indiuisibilibus conflantibus corpus: est mirabilius: quandoquidem vnico puncto corporeo, hoc est ex materia constante & forma, repletur indiuisibiliter spatium cuilibet corpori par: vt possit esse in omni rigore metaphysico, verum illud Senecæ: *punctum est in quo pugnamus. &c.*

Insuper rationes quibus huiusmodi puncta explicantur à nonnullis nequeunt sustineri. Petitur enim granditas & paruitas puncti à perfectione & imperfectione corporis quod conflat; ita vt quæ perfectiora sunt tumidioribus, quæ imperfectiora depressioribus punctis constet. Hoc autem falsum esse manifestum est; nam contingit substantias corporeas imperfectiores esse rariores perfectioribus. Puta aër & ignis quæ sunt elementa, longe rariores sunt quibuslibet mixtis; nã quis dicat lignum esse rarius igne; adeoque quando lignum comburitur materiam transire in partem substantiæ densioris & tamen certum est transire in partem

sub-

substantiæ imperfectioris. D. Thomas vbi gradus sensibilium ponit, ponit pro infimo elementa, ab elementis ascendit ad mixta non viuentia; ab his ad viuentia. Si igitur corpora quo perfectiora sunt eo maioribus punctis conflantur, oporteat vt in conuersione elementorum in mixta, punctum materiæ quod erat in elemento, acquirat vbicationem maiorem in mixto, adeoq; quodlibet mixtum sit rarius quodlibet elemento. Hæc contra aliquos, non contra omnes. Multi enim punctorum tumorem non metiuntur ex perfectione corporum, al entes, & rationabiliter quidem, raritatem & densitatem aliunde peti quam ex perfectione entitatiua corporum.

Vlterius: non est verum vbicationem maiorem esse meliorem, nam etiam quæ cõtra naturam rerefiunt, vbicationẽ acquisunt maiorem, nec tamen melius vbicantur, cum ubicantur uiolenter, quam cum se habent secundam naturã: In huiusmodi rebus bonitas & malitia dicuntor relatiue ad finem subiecti, & illa accidentia dicuntur meliora uel deteriora, per quæ melius aut deterius se habet subiectum in ordine ad suos fines. Puta si quis quæreret; vter est melior motus, tardus ne an velox? Si bene respondeas dices; vterq; & neuter. Neque velox est melior Testudini, neq. tardus est melior Aquilæ: sed & tardus melior Testudini & velox melior Aquilæ. Eodam modo; vtra vbicatio est melior an ingens an modica? Vtraq; & neutra: ingens est melior Boui, modica

est melior Ranæ: nec modica est melior Boui, nec ingens melior Ranæ. Ratio autem à priori, in fauorem doctrinæ quam hic obiter inpugnamus, est inepta. Dicitur enim vbicationem ampliorem exigi ob æquiualentia vnius rei pluribus. Quasi vero res quæ in perfectione pluribus æquiualet etiã æquiualere debeat in occupatione loci. Non est necesse quod quicquid plus participat de vna perfectione diuina formaliter plus etiam participet formaliter de qualibet alia. Puta non est necesse vt quælibet creatura perfectior altera, eo plus duret quam altera, quo est perfectior. Est enim certũ viuentia imperfectiora diutius viuere perfectioribus, & Angelus inæquales æqualiter viuere seu durare, quandoquidem simul creari simul in æternũ erunt. Dicere autem quod perfectior plus duret imperfectiori, quia quolibet instans ipsius æquiualet pluribus alterius est extra rem, cũ vterque simul creatus sit, & neuter vnquã desinat esse, adeoq. illud instans tumidius inepte excogitatur in altero vt diutius viuat.

Si autem de ratione perfectionis creaturæ non est plus participare de æternitate, cur erit de ratione eiusdem plus participare de immensitate? Quod si de qualibet perfectione diuina formaliter accepta plus participet creatura perfectior qua imperfectior; debebit quælibet creatura perfectior esse sapiẽtior, misericordior imperfectiori; adeoq; aer erit sapientior aqua, quodlibet mixtum sapientius elemento, & sic de cæ-

teris:

teris: quæ omnia sunt inepta ex terminis; nec venire possunt in mentē hominis plusquam superficialiter philosophantis.

Denique quid dicendus sit de minimis: indicatum est supra: vbi ostensū est homini vtenti intellectu æque laborandum in minimo, ac in toto Oceano. Et consequenter eadem prorsus facilitate dices in bipedali non esse actu, sed potentia duos pedes: ac in minimo non esse actu, sed potētia duas partes eūdem. Atque que hæc de continuo satis.

DISPVTATIO VLTIMA.

In libros de Mundo & Cælo.

QVÆSTIO I.

An Mundus sit vnus, & perfectus?

MVndus est compages è Cœlo, terraque coagmentata, & ex iis naturis, quæ inter ea continentur. De hoc quęritur, an sit vnus, an plures.

Dicendum est 1. Mundus est vnus. Conclusionem hanc probat D. Thomas 1. parte quæst. 47. art. 9. Probat autem ratione altissima, & à priori; desumpta videlicet à sapientia conditoris. Mundus vt sit sapienter conditus debet in eo dari ordo eorum, quæ sunt in ipso, ad se inuicem, eorumdem ad Deum: sed in ordine huiusmodi consistit vnitas; ergo si est sapienter conditus, est vnus: sed certum est esse sapienter conditum; ergo certum est esse vnum. Minorem probat; quia vnitas consistit in hoc, quod omnia inter se ita colligentur, vt sibi inuicem correspondeant, & per huiusmodi correspondentiam conditoris sui sapientiam monstrent. Nam scire ordinare ait Philosophus, maxime est sapientis.

Con-

Confirmat suam hanc doctrinam Doctor Angelicus animaduertendo, quod iij solum posuere plures, mundos, qui vnam mundi causam eamq, sapientissimam ignorauere. Inter hos fuit Democritus, iiq; omnes, qui ex fortuito atomorum concursu fieri omnia opinati sunt. Quæ autem casu fiunt, inordinatè fiunt.

Eandem hanc rationem affert Philosophus vbi vnitatem Mundi probat ex vnitate primi mouentis omnia propter seipsum facienti, & ordinantis ad seipsum, vt ad vltimum finem. Si autem omnia ordinet ad seipsum, necesse est inter se ipsa ordinari, cum inordinata non ordinentur ad vnum. Rationes huiusmodi probant non modo mundum esse vnum, sed non posse esse, nisi vnum. Nam implicat fieri multa non ordinata ad vnum ab eo, qui omnia propter semetipsum operatur: hoc est à Deo. Et consequenter implicat ea multa, quæ fiunt, non habere vnitatem, quam hic propugnamus.

Dices: dici solet Deum posse facere mũdos non tot quin plures; ergo non implicat mundum non esse vnum.

Resp. negando conseq. Etiam illi Mundi non tot quin plures esſent vnus mundus vnitate illa, quam supra explicauimus. Quando igitur aiunt esse possibiles plures mundos, nihil aliud intelligunt, nisi possibiles esse plures creaturas, & plures collectiones ceaturarum similes illis collectionibus, quæ de facto sunt. Plures autem illæ colle-

ctiones haberent ordinem inter se, & omnes ordinarentur ad Deum.

Dicendum 2. Mundus est perfectus. Constat hoc ex ipso nomine: Idem enim dicit mundus, ac ornatus, elegans, & côcinnus, vnde illa ornamenta, quibus vanæ mulierculæ ornatur, latinè mundus muliebris appellantur. Probatur etiam Mundi perfectio ex diuinis litteris: Dei perfecta sunt opera: Mundus est opus Dei; g. mundus est perfectus. Item: Mundus est valde bonus: quod est valde bonum est perfectum: ergo &c. Probatur maior: quia videt Deus omnia quæ fecerat, & erant valdè bona.

Perfectionē Mundi probat Philosophus in libris de Cœlo, argumento Pytagorico: Omnem trinum est perfectum, tria enim est vndequaq; perfectio. Sed in Mundo sunt ista tria, g. Mundus est perfectus, Nomine istorum trium intelligit Philosophus cum Pytagoricis trinam dimensionem, quæ conuenit corpori perfecto, immo per quam corpus dicitur quid perfectum. Sed Mundus habet trinam dimensionem: ergo Mundus est perfectus, Valeat hoc argumentum quantum valere potest.

Obijcies. In Mundo dantur plures corruptiones, dantur multa monstra; g. mundus non est perfectus. Antec. est manifestum. Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur, aiebat illa ad Dauidem. De monstris autē quod plura sint nequit dubitabi, præcipuè in Africa, vnde est illud: *In Africa semper aliquid noui*. Oritur autem ista monstrorū

fre-

frequenta in Africa ex infrequentia fontium. Contingit enim animalia specie diuersa ad eosdem fontes simul concurrere, ibique monstra concipere. De monstris alibi dictum est, vbi de causis per accidens.

Resp. concesso antecedenti, negando consequentiam. Hic ipse rerum interitus pulchritudinem affert vniuerso, cum interitus vnius si ortus alterius. Hanc vniuersi pulchritudinem ortam ex ortu & interitu rerũ explicat Augustinus elegantissimè in libro de natura boni, & alibi per comparationem cum Musica, siue Harmonia, quæ habetur per hoc quod alijs tonis intereuntibus, alijs enascantur, qui si simul essent, non facerent Harmoniam, sed confusionem, vt notum est vniuersis.

De monstris etiam certum est, quod faciant ad pulchritudinem vniuersi, & etiam ad voluntatem. Patet hoc ex concursu vulgi eo properantis, vbi monstra monstrantur. Monstra esse quandam vniuersi deformitatem putant insipientes, quia non totum vniuersum animo speculãtur: qui autem totum vniuersum inspiciunt, sic considerant mõstrum, sicut in formoso corpore næuum, qui pulchritudinem non minuit, sed cõmendat: vnde qui næuo carent à natura, sæpe illum ab arte sibi adsciscunt. De monstris vide Augustinum de Ciuit. Dei lib. 16. cap. 8. vbi sic habet. *Deus enim creator est omniũ, qui vbi, & quando creari quid oporteat, vel oportuerit ipse nouit, sciẽs vniuersitatis pulchritudinem, quarum partium, vel similitu-*

dine, vel diuersitate contaxat, sed qui totum inscipere non potest, tamquam deformitate partis offenditur; quoniam cui congruat, aut quo referatur ignorat.

QVÆSTIO II.

De partibus Mundi.

MOles terraquea, vt ex ipso nomine patet, est totum illud, quod ex terra, & aqua cõstat, nobisq; & quadrupedibus, & piscibus natura obtigit ad incolatum. De hanc mole quæritur hic cuiusdam figuræ sit.

Dicendum primò. Molem terraqueam non esse mathematice rotundam. Patet hęc conclusio cõsiderandi quod superficios terræ alicubi extollitur in montes, alicubi deprimitur in valles; adeoq; pũcta superficiei non omnia æqualiter distant à centro.

Dicendum secundò. Molem terraqueam esse physice rotundam. Dicitur physice rotunda, quia oculo ex debita distantia hanc consideranti apparebit rotunda. Probatur autem hæc conclusio ex vmbra quam emittit, quæ semper est onica. Conicam vocant quę illius figuræ est, quam habes in fructibus, seu pomis Cyparissi, vnde dicit Poeta: *Et coniferæ Cyparissi.* Vel si aliam explicationem desideres, obijce corpori luminoso pilam lusoriam, vt vmbram illam quam proijcit conum appella.

Probatur secundò ex ortu Planetarum, qui prius oriũtur regionibus Orientalibus.

Si

Si enim in Aequinoctiali ab ortu pergas ad Occasum, post singula nongenta milliaria, vna hora tardius tibi Sol orietur.

Probatur tertio. Quia nauis recedes à littore paulatim ita deprimitur, vt de illa primum non appareat nisi summitas puppis, dein ipsa puppis tota abscondatur, & appareant vela, & antennæ, denique quod in ipsa summum est, extremum appareat, donec tota à conspectu recedat. Si autem aliquis altissimam in littore turrim ascendat, hoc ipsum videbit manifestius, diutiusque nauim ipsam aspiciet, quam qui sunt infra. Sunt & alia rotunditatis huiusce argumenta. Sed faciliora attulisse in re non omninò nostra, sufficiat.

Obijcitur tamen. Si moles terraquea esset rotunda ijs qui sunt in littore mare appareret decliue, hoc est deorsum vergens: Consequens est falsum; ergo & antecedens. Minor probatur experientia, qua constat mare ascipientibus: illud eleuari potius, quam deprimi.

Resp. negando maiorem. Cuius falsitas ostenditur in regulis Prospectiuæ. Oculus humilia subleuat, & sublimia deprimit.

Constat hoc experientia. Finge te esse in aliquo longissio ambulacro, cuius plana tam superius quam inferius sint parallela. Videbis planum inferius eo magis eleuari, quo magis ab oculo recedit, secus verò, planum superius eo magis deprimi; itaut quæ prope ascipientem à se inuicem notabiliter distant, procul ab ascipiente sibi

proxima videantur.

Ratio à priori talis apparentię est, quia radij visuales, per quos puncta vtriusq; plani feruntur ad oculum, quo longuius producuntur, eo magis accedunt ad lineas parallelas cum altero, seu cum quolibet, vel potius cum vtroque plano. Lineæ autem huiusmodi admouent apparenter planum superius plano inferiori, vt consideranti patebit.

Ratio physica conclusionis suprapositæ est: quia omnia æqualiter grauia æquali impetu tendunt, seu feruntur ad centrum terræ: vnde est ille ordo in corporibus per quem grauiora proprius centro circum applicantur, adeoque secundum differentiam grauitatis inter se habent differentiam propinquitatis, & distantiæ à centro, cui vndique circumfunduntur.

A globo autem terraqueao vsque ad Cælum circumfuntur vel solus aer, vel aer, & ignis. Totam aer profunditatem in tres regiones communiter diuidunt, infimam, supremam, & mediam. Infima globo terraqueo immediatè circumfunditur, & ab eius superficie ad quingentos circiter altitudinis passus assurgit. Media vsque ad quartum à terra milliare. Suprema ad quinquaginta duo milliaria extenditur. Totam hanc aeris profunditatem Atmosphæram appellant, hoc est phæram vaporum, siue halituum. Existimant enim halitus à globo terraqueo nō altius eleuari, quam ad quinquaginta duo milliaria.

Post

Post aerem; an detur sphæra ignis, controuersum est, & de mente Philosophi vix proferri potest certa sententia. Existimant satis communiter recentiores Philosophi à globo terraqueo immediate vsque ad concauum Firmamenti diffundi corpus quoddam tenue, ac subtile, quod ratione halituũ ab eodem globo terraqueo incessanter effluentium vsque ad certam distantiam. vno nomine vocant, post quam distantiam, quia depuratum est ab halitibus huiusmodi, aliud nomen sortitur. Prope nos vbi permixtum est crassioribus spiritibus dicitur aer; vbi autem depuratum est à crassioribus, & tenuioribus abundat vsque ad cõcauum Lunæ ignem appellant; quamuis sit eadem vbique substantia, & ob differentiã in puritate halituum differentia nomina sortiatur.

Alij putant dari verum, & proprium ignem supra regionem aeris supremam sphæramq. ignis illam mundi partem vocari, non quod abundet spiritibus igneis, hoc est subtilioribus, sed quod ignem contineat, qui verè, & substantialiter ignis sit, adeoq. negant intra illam sphæram esse substantiam eiusdem rationis cum illa, quę infra diffunditur ad superficiem globi terraquei. Hæc controuersia nullius momẽti est, & vnicuique prout libuerit decidenda.

QVAESTIO III.

De Systemate Vniuersi.

SYstema vniuersi nihil aliud est, quam partium vniuersi ordinatio, seu distributio partium vniuersi secundum locum. Terram esse in medio mundi sapientores inter veteres vnanimi sententia existimarunt, vt videre est apud Platonem, Aristotelem, Ptolomæum,, aliosq; innumerabiles. Non defuere tamen, qui pro centro mundi ponerent Solem circa quem Tellus alijque Planetæ voluerentur. Hanc sententiam multis sæculi obliuione sepultam reuocauit in luce Nicolaus Copernicus, eamq; tam multis argumentis inuehere conatus est, ut Systema hoc, merito Copernicanum dicatur.

Ponit igitur Copernicus Solem pro centro mundi. Circa Solem voluuntur Mercurius, Venus, Tellus, Mars, Iuppiter, Saturnus; eodem ordine, quo hic enumerantur à nobis. Post immensam deinde à Saturno distantiam est Firmamentum, seu Cœlum stellatum fixarum. Circa Tellurem autem, seu Terram voluitur Luna cæteris Planetis excentrica, vt apparet in prima figura pag. 696.

Prius quam hoc Systema Copernicanum reijciatur à nobis declarandi sunt motus, qui à quolibet Planeta fiunt. Primo igitur circa Solem immobilem voluitur Mercurius,

rius, suamque reuolutionem conficit octoginta diebus. Supra Mercurium voluitur Venus suamque reuolutionem absoluit mēsibus ciriter nouem. Sequitur orbis Terræ, quem vocant orbem magnum siue annum, eo quod spatio vnius anni compleatur. Circa Terram circumagitur Luna, cuius cursus mense vno conficitur. Supra orbem Lunæ est orbis Martis, cuius reuolutio est duorum circiter annorum. Supra orbem Martis est orbis Iouis, cuius reuolutio annis duodecim. Supra orbem Iouis est orbis Saturni, cuius reuolutio annis triginta peragitur. Inter Saturnum autem, & Firmamentum ignes ac pene immensum est interuallum.

Rursus præter motum annuum Terræ est eiusdem & alius motus, quem diurnum vocat; quo videlicet ab Occidente voluiuitur ad Orientem spatio viginti quatuor horarum. Motum hunc motum vertiginis vocant.

Iuxta hanc hypothesim septem Planetæ sunt Mercurius, Venus, Tellus, Luna, Mars Iuppiter Saturnus, in ijs Sol non adnumeratur; cum immotus maneat pro centro vniuersi. Atque hinc desumitur prima impugnatio Systematis Copernicani. Omnes enim Solem pro Planta, & naturæ ductu asserunt Solem circa terram circumagi, circa tersam inquam, immotam, & positam pro medio mundi.

Respondent Copernicani, quod siue Sol moueatur, immota terra, siue Sole immoto,

Ter-

Terra moueatur, eędem omnino sunt apparentiæ, vt patet ex apparentia, qua oculis eorum, qui in naui etiam citatissima recedunt à littore, videntur terra, & litus recedere eodem modo, ac si, immotā naui, ipsa recederet, vnde ait Poeta; Terræq. vrbesque recedunt. Quamuis reipsa non terrę & vrbes, sed nauis recedat.

Hæc responsio non fauet Aduersarijs. Assume quod dante; nimirum in vtraque hypothesi, uidelicet & in Copernicana, & in contraria easdem fore apparentias: ex hoc quid inferes, nisi ex apparentijs nihil concludi? quid igitur dicendum sit vnde scies, nisi ab eo, qui fecit? Hunc audi Ecclesiastis 1. *Generatio præterit, Generatio aduenit, terra autem in æternum stat oritur Sol, & occidit, ad locum suum reuertitur.* Vides hic ortum, & occasum ipsamque Solis circulationem expressè affirmari; Terræ autem immobilitas non adeo expressè hic affirmatur: sed potius eiusdem perseuerantia in esse, seu constantia: comparatur enim hic stare terræ cum præterire, & aduenire generationis: sensusque esse potest hic? multa quotidie nascuntur, & multa intereunt, terra autem ex quo est, eadem est, & eadem usq. in finem sæculorum manebit.

Alibi tamen terræ immobilitas non minus euidenti scripturæ testimonio confirmatur. Dicitur enim Psalm. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Copernicani

cani aiunt illam perpetuo inclinari, dum aiunt moueri tum motu diurno, tum annuo. Aiunt igitur intelligendas esse scripturas non secundum rem, sed secundum apparentiam.

Hanc responsionem reijcit decretum Sacræ Congr. 5. Martij 1616. quo doctrina de mobilitate terræ, & Solis stabilitate declaratur falsa, & repugnans diuinæ scripturæ. Tunc enim consulti sacrorum librorũ interpretes ita vnanimiter sensere. Quibus additi sunt sapientiores Philosophi, qui doctrinam hanc absurdam in Philosophia censuerunt.

Et reipsa hæc responsio manifestè repugnat doctrinæ Patrum, hanc in intelligendis scripturis regulam tradentium, vt in proprio sensu intelligantur, vbi nihil obstat: sed etiam iuxta Copernicanos nihil obstat quin intelligatur vera, & realis immobilitas terræ, vera & realis reuolutio Solis circa terram, ergo ita debent intelligi, & reipsa ita intelliguntur etiam à Matematicis sapientioribus, vt habes apud Ricciolium, & alios, quamuis aliqui, vt videantur posse contradicere, & obstinati contra Philosophus, quod magno honori sibi ducunt, aliter sentiant, non alio argumento, nisi quia non possunt cogi ad bene sentiendum, hoc est, quia non possunt inuiti sapere.

Argumenta matematica contra hanc sententiam habes innumera apud prælaudatum Ricciolum, quæ cum non sint hu-

ius fori non vacat huc referre.

Repudiato Systemate Corpernicano, superesset verum Systema describere, & vniuersum, vt in se est, vestris oculis præsentare. Priusquam tamen hoc fiat; operæ pretium erit Systema Ptolemaicum describere, & in Systemate Ptolemaico sententiam omnium fere antiquorum circa mundi constitutionem. Vide secundam figuram.

Qui rationibus à priori philosophantur de omnibus, & etiam in rebus de facto magis sibi credunt, quam factis: hoc Systema tuer possunt, & propugnare argumento petito à simplicitate. In hoc enim apparet maxima simplicitas; cum omnes omnium Planetarum orbes sint concentrici, hoc est habentes idem centrum, terram videlicet. Ita sensisse antiquiores Philosophos non est mirandum, cum ijs obseruationibus caruerint, quæ posterioribus hisce sæculis etiam lippis & tonsoribus factæ sunt familiares, beneficio videlicet teloscopiorum, seu tuborum, quibus etiam remotissima nostris oculis admouentur.

Inter cætera autem depræhenderuut Mercurium, & Venerem circa Solem volui. Hoc idem obseruantur de Marte, qui quamuis ab vtroque remotissimus, est tamen vtrique concentricus. Supra Martem voluitur Iuppiter habens non Solem, sed terram pro centro. Circa Iouem voluuntur quatuor Stellæ, Mediceæ nuncupantur eo quod regnantibus Mediceis Galilæus

Flo-

Florentinus eas primus obseruauerit. Supra Iouem voluitur Saturnus, circa quem suo satiellites, seu comites. Supra Saturnum est Cœlum stellatum, seu Firmamentum. Supra Firmamentu est cœlum, quod vocant crystallinum: supra cristallinum est Empyreum statio Beatorum in qua describendi Vniuersi finem facimus. Vide terciam figuram.

QVÆSTIO IV.

De Cœlo.

ARTICVLVS I.

De Fluiditate, & corruptibilitate Cælorum.

DIusdimus Cœlos in eos, qui infra, & eo qui supra firmamentum sunt. Hoc posito.

Dico primo. Firmamentum est solidum. Probatur hæc conclusio ex ipso nomine Firmamenti, quod soliditatem quandam sonat. Probatur secundo ex iis, quæ infra dicemus.

Dico secundo. Cælos tam qui infra, quam qui supra firmamentum sunt esse fluidos. Probatur hæc conclusio: quia Deus fecit firmamentum in medio aquarum, & firmamento diuisit aquas ab aquis; ergo firmamentum non est fluidum, sed solidum. Probatur consequentia: quia: si esset

set fluidum non esset aptum diuidere fluidum superius ab inferiori: sed cum vtroque continuaretur. Ex eodem antecedenti infer: ergo tam supra, quam infra firmamentum est fluidum, quod intelligitur nomine aquarum. Neque enim hic nomine aquæ intelligitur illud ellementum, quòd immediatè superfunditur terræ; sed substātia tenuis & fluida.

Probatur præterea ex nomine cœli crystallini, quod sonat substantiam quandam diaphanam, & tenuem. Empyreum autem ignem potius sonat quam aquam; sed nomine ignis intelligi debet corpus tenuissimum, lucidissimum, & fluidissimum, adeo: per alia corpora facile permeabile. Hæc de cœlis superipribus.

Quoad cœlos, qui infra firmamentum sunt, facilius probabis eos esse fluidos. Si enim sint fluidi aptiores sunt motibus Planetarum. Igitur à superficie globi terraquei vsq; ad firmamentum diffnditur substantia tenuis, & permeabilis in qua superiorum corporum motus facilimè fiant, Quia verò primus omnium Plauetatum est Luna, vltimus vero *Saturnus*: ideo ab orbe Lunæ vsque ad robem Saturni spatium designatur, in quo moueantur Planetæ sicut in mari pisces, quod spatium propterea cœlum Planetarium appellatur.

Si tamen nullum aliud esset argumentum fluiditatis: nimis fluido argumento hæc sẽtentia niteretur: veteres enim Planetarum motum cum cęlorum soliditate, nihil hæsi-

hæsitantes composuerunt. Est igitur aliud vnde prædicta fluiditas arguatur. Obseruarunt recentiores infinita Phœnomena, quæ ab antiquis ignorata fuere, ex quorum motu cœlorum fluiditatem demonstrant. Huiusmodi Phœnomena fuere plures Cometæ; qui supra orbem Lunæ depræhensi fuerunt ab Astronomis. Talem aiunt fuisse eum qui apparuit 1577. Talem alium 1618. Talis etiam fuit depræhensus à nobis ille, qui apparuit anno 1652. Talis denique qui ante aliquot annos terruit orbem terrarum.

Porro hi Cometæ tales motus habuere in Cęlo planetario, vt omnes rerum cælestium gnari pronuntiarent non posse eos cum Cœlorum soliditate componi, quos videlicet ascendendo & descendendo ita permearent, sicut tota maris profunditas permeatur à piscibus.

Notandum autem est hic iisdem omnino argumentis Astronomos descripsisse Systema à nobis traditum, & admissum pro vero? quibus decripsere Cometas supra Lunam, & alium ordinem Planetarum. Iurant enim se Venerem & Mercurium & Martē ipsum aliquando infra, aliquando supra Solem vidisse: sicut iurant se Cometas vidisse in Cœlo Planetario. Et consequenter eadem est vtriusque rei probatio, depositio videlicet testium oculatorum; & consentientium, cum iuramento.

Quæres quomodo depræhendi possit altitudo illa & depressio vnius Phęnomeni

supra

ſupra vel infra aliud.

Reſp. depræhendi per parallaxim. Phænomena quo depreſſiora ſunt eo maiorem, quo altiora eo minorem exhibent parallaxim. *Eſt autem parallaxis varia ſecundum apparentiam habitudo eiuſdem Phænomeni ad eadem puncta ſupra ſe Phænomeni*, inquam *vel ex vno, vel diuerſis locis aſpecti*. Et quia facilior eſt intelligentia huius rei, ſi ex oppoſitis punctis idem ſpectetur Phœnomenon, propterea parallaxim huiuſmodi deſcriptam habes in vltima figura ex ſuprapoſitis pag. 696.

Habes in prædicta figura duo Phænomena *D* & *C*: vtrumq; ſpectatum ex punctis *A* & *B*. Manifeſtum eſt autem radios viſuales perforantes Phęnomenon *D* magis inter ſe diuaricari, & in puncta firmamenti incidere à ſe inuicem remotiora, quam radios perforantes Phœnomenon *C* vſque ad idem firmamentum productus. Primum quod eſt proprius Terrę patitur maiorem ſecundum quod eſt à terra remotius, minorem parallaxim, quo igitur ſublimiora ſunt Phœnomena eo minorem, quo terræ propriora, eo maiorē exhibent parallaxim.

Eſſe autem corruptibiles celos probatur auctoritate ſacræ ſcripturę. Habetur enim in Epiſtola D. Petri quod Cæli ardentes calore ſoluentur. Quia tamen dicere poſſet aliquis per huiuſmodi teſtimonia non probari cælos eſſe corruptibiles, ſed ſolum de facto deſtruendos à Deo, ſeu redigendos in nihilum, afferri debent aliæ probatio-

tio-

tiones. Antequam tamen afferantur notandum prædicto testimonio non affirmari solum dissoluendos esse cęlos, sed ardentes, adeoque conuertendos in ignem, ab igne deuorandos. Si autem hoc modo soluantur per veram corruptionem soluuntur.

Sunt qui dicunt perituros cælos ab igne; quamuis naturaliter corrumpi nequeant, nec ab igne, nec ab vllo alio agente naturali; Nequeant autem: quia ad hoc vt ignis vel quodlibet aliud agens agat in ipsos, debet ipsis applicari: nequit autem vllum ex his agentibus ipsis applicari, igitur nequit vllum ex his in ipsos agere. Minor probatur: quia hęc agentia sunt à cælis remotissima. Propterea dicunt cælos esse remote, non autem proxime corruptibiles. Verum controuersia non est an corporibus cælestibus applicari possint, an non, agentia corruptiua eorundem; sed an corpora cælestia ita sint constitutiua natura, vt corrumpi possint. His igitur omissis.

Probatur conclusio ex Phænomenis quæ obseruarunt curiosiores Astronomi. Aiunt hi & iureiurando affirmant, se in cęlo planetario generationes obseruasse nouorum corporum, quod fieri nequit sine corruptione, cum ex nihilo nihil fiat, generatioque vnius sit corruptio alterius. Anno 1572. apparuit Stella de nouo genita in Cassiopea; hoc est respondens signo Cassiopeæ. Alia 1600. in pectore Cygni, & quidem lucidissima. 1604. in genu Serpentarii quæ omnia fuse examinata reperies apud

Ric-

Ricciolium, qui insigniorum Mathematicorum testimonia in hanc rem plura exaggerat.

Hęc tamen argumenta non sunt adeo efficacia vt negari non possit, etiam his stantibus, corruptibilitas cęli. Quemadmodum enim ex generatione Cometarum qui in planetario cęlo accenduntur, non infertur efficaciter eos generari ex corporibus cęlestibus, ita etiam dicere posses ignes illos, seu illa corpora non ex alijs cęlestibus corporibus esse genita: sed quemadmodum exhalationes ab his inferioribus adeo sublimiter efferuntur vt cęlum planetarium permente ad materiam Cometarum: ita etiam dicere posses corpora illa, quę nouę stellę nuncupatæ fuerunt, ab exalationibus sursum elatis genita nouorum syderum opinionem induxisse in homines, qui cum maxime creduli sint, nihil magis profitententur quam se nihil credere.

Credamus & nos cum pręcipue tantam altitudinem prędictorum ignium suis instrumentis deprehendisse se iurent, vt non sit facile credibile tterestrem ac sublunarem materiam tam alte ascendisse. Adde quod vnicuique in sua facultate insigni par est ab alijs aliquam fidem haberi. Dum igitur qui hoc testantur sint insignes Astronomi, nostrę prudentię est aliquid ipsis credere.

Testimonia veterum contra fluiditatem, & corruptibilitatem cęlorum congeri possent infinita: sed parcendum est antiquis.

quod

quod multa ignorauerint hac in re euidenter demonſtrata à recentioribus: qui cęlum non ſtultitia, vt ille, ſed ſapientia petierunt, ibique multa inſpexerunt, de quibus male philoſophando veteres diuinarunt.

Ariſtoteles ipſe cęli incorruptibilitatem ex falſis principijs probat, videlicet ex eo quod ſit ingenitum; & ex eo quod ſit ſedes Deorum. Vtrumque falſum eſt: nam in principio creauit Deus cęlum & terram: nec dantur Dij, qui cęlum iſtud planetarium incolant. Eodem fere argumento vtuntur qui incorruptibilitatem cęli probant ex ęternitate ſecundum ſpeciem rerum corruptibilium. Implicat enim continuari ſeu propagari in ęternum generationes rerum, quę quotidie oriuntur & occidunt deficientibus cauſis vniuerſalibus; ſed cauſę vniuerſales iſtorum ſunt cęli: ergo implicat generationes iſtas in ęternum extendi deficientibus cęlis. Rurſus abſurdum eſt eſſe corruptibile id, quod neceſſarium eſt numquam corrumpi: cęlum numquam corrumpi eſt neceſſarium: ergo abſurdum eſt cęlos eſſe corruptibiles. Maior eſt euidens. Min. prob. quia eadem neceſſitate neceſſarium eſt cęlos exiſtere, qua neceſſarũ eſt exiſtere ſecundum ſpeciem hęc corruptibilia; hæc autem corruptibilia exiſtere ſemper ſecundum ſpeciem eſt neceſſe; ergo & cælos ſemper exiſtere.

Hæc omnia argumenta nihil aliud probant quam cælos numquam corruptum iri, ſi

si sinatur natura suos cursus agere; non autem probant esse talis naturæ vt corrumpi nequeant.

ARTICVLVS II.

An materia cælestis sit eiusdem rationis cum nostra.

Rerum cælestium materiam diuersam esse à materia rerum sublunarium est opinio satis recepta præcipue apud veteres. Argumenta quibus huiusmodi opinio nititur potissima sunt hæc.

Primum. Corpora cælestia sunt longe nobiliora corporibus sublunaribus; ergo materia corporum cælestium differt à materia sublunarium.

Secundum. Materia rerum sublunarium est subiectum generationum, & corruptionum quæ continuo accidunt; materia rerũ cęlestium non est huiusmodi: ergo næc est diuersa ab illa. Maior probatur tum ex definitione eiusdem materiæ, tum ex argumentis quibus necessitatem materiæ probauimus ex transmutationibus per quas fit ex quolibet quodlibet. Minor autem probatur: quia corpora cælestia ex quo creata sunt eadem permanserunt, nec stella aut quodlibet aliud corpus cæleste in vllum aliud conuersum est, ex quo sic argue: materia rerum cælestium numquam transiuit ab vna forma ad aliam formam. ergo non est apta transire ab vna forma ad aliam for-

formam. Vel: materia cælestis numquam transiuit à forma ad formam: ergo non appetit transire à forma ad formam, Probatur vtraque consequentia: quia frustra ast aptitudo seu potentia, quæ numquam in actũ redigitur: stultus appetitus cui numquam potest satisfieri.

Præterea. Materia reum celestium numquam transibit a forma ad formam: ergo frustra est in ipsa potentia ad plures formas; in materia sublunari est potentia ad plures formas: ergo materia cælestis & materia sublunaris non sunt vna. Maior probatur; quia vel Cæli in æternum durabunt, vel omnino annihilabuntur. Si durent in æternum, numquam materia mutabit formam: si autem annihilentur, nec formam mutabit; quia per annihilationem ipsa etiam materia destruetur.

Denique forma cęlestis adæquatę implet totam capacitatem materiæ, & materiam plane satiat in ratione appetẽtus: nulla forma perfacte implet aut satiat materiã rerum sublunarium: ergo istæ duæ materiæ differunt. Confirmatur; quia & natura materiæ cælestis & natura materiæ sublunaris est accomodata fini vtriusq; materię: fines autem vtriusque sunt diuersi; ergo & vtraque est diuersa. Maior probatur; quia vniuscuiusque rei natura est secuudũ proprium finẽ: minor autem probatur: quia finis materiæ sublunatis est perpetua vicissitudo generationum & corruptionum; vnde dicitur à D. Tho. materia prima à forma elementi ten-

dere ad formam mixti, à forma mixti imperfectioris ad formam prefectioris; donec tandem tn forma omniũ optima conquiescat. Finis autẽ materiæ cælestis non est huiusmodi: vt patet ex dictis; videlicet ex perpetuitate corporum cælestium non solum secundum speciem, quod contingit etiam in sublunaribus: sed etiam secundum indiuidua. Puta primus ignis sublunaris qui à Deo conditus est durat adhuc in specie, extinctus tamen in indiuiduo. Idem dic de prima homine: de primo Elephante. At vero Sol ille qui conditus est initio mundi in cælo, durat adhuc, non solum in specis, sed in indiuiduo, duraturus quamdiu mundus durabit. His non obstantibus.

Materia Cælestis & subluaris sunt eiusdem rationis. Probatur conclusio argumentis tum negatiuis tum etiam positiuis. Negatiuis: quia nulla est necessitas diuersitatis inter materiam cęlestem & materiam sublunarem; ergo sine fundamento asseritur talis diuersitas. Secundo perfectio maior vnius corporis præ alio non ponit diuersitatem in materia; ergo etiamsi detur corpora cælestia perfectiora esse sublunaribus, non propterea dabitur materiam esse diuersam à materià. Tertio. Non probatur sed supponitur corpora cælestia esse perfectiora sublunaribus. Quartò. Hoc ipsom falso supponitur, & quod mirabile est, ab ijs supponitur qui alibi supponunt contradictorium. Supponunt enim viuentia

tia ex toto genere perfectiora esse non viuentibus; hoc est infimum inter viuentia perfectius esse supremo inter non viuentia; puta formicam vel vermiculum, immo vel vnicum foliolum Pimpinellæ esse perfectius præstantissimo Syderum v. g. Sole: hic vero, vbi de matera Cæli: a maiori perfectione rerum cęlestium supra sublunares materię diuersitatem conantur ostendere: transeuntes à secundum quid ad simpliciter, videlicet à maiori aliqua alicuius generis perfectione, ad maiorem perfectionem absolutę; puta à perpetuitate qua præualent sublunaribus, ad præualentiam simpliciter supra sublunaria.

Probatur conclusio posita argumentis positiuis per generationem & corruptionen corporum quæ oriuntur & occidunt in Cælo, ex quibus apparet etiam ibi esse materiam aptam transire ab vna ad alibi formam. Generationes huiusmodi alibi probatæ sunt testimonio Astronomorum quibus hac in re creqendum est. Ex his autem patet etiam ex corporibus cælestibus alia in alia transmutari. Quod vero neque Sydus in Sydus, neque Cęlum in aliud Cælum transmutetur non probat incapacitatem materiæ ad transmutationes, cum hic etiam sint multa corpora numquam in alia transmntanda. Ex his patet ad ea quæ initio articuli proponuutur

Ad primum. Resp. primo transmisso antecedenti, negando consequenciam. Quę si valeret; matęria hominis esset diuersa spe-

cie à materia aliorum corporum: & vniuersaliter quot sunt species corporum habentes inter se differentiam in perfectione, tot essent species materię.

Resp. secundo negando ant. Cuius falsitas constat ex principio communi & recepto etiam ab Aduersarijs, quod viuens toto genere vincit in perfectione non viuens; corpora autem cęlestia non viuunt, cum infinita sublunaria viuant. Stultum est enim dicere solem esse ingens quoddam animal, quod aspectu suo illuminet & exhilaret mundum sibi subiectum. Et sic de cæteris corporibus cælestibus.

Ad secundum; Materia cælestis non est subiectum transmutationum, &c. Respondeo cum distinctione: non est subiectum in exercitio subiecti & in actu secundo; omitto; in actu primo, & in aptitudine: nego. Omisi non esse subiectum in exercitio, quod tamen falsum ostendunt qui generationes nouorum corporum obseruant in Cœlo.

Ad tertium. Patet ex dictis materiam cælestem transire aliquando à forma ad formam: Omisso tamen quod non transeat, non propterea inferes non esse aptam transire. Hoc principium frustra est potentia numquam redigenda ad actum negari debet. Nam potentię huiusmodi infinitæ & in æternum dabuntur. Dabitur in ei per totam æternitatem potentia videndi hoc Romanum Collegium, potentia scribendi hanc lectionem, quam tamen per

totam

totam æternitatem numquam amplius scribes, &c. Materia Cælestis non transit à forma ad formam, quia non est agens ipsi applicatum quod ipsam promoueat à forma ad formam. Et hoc idem dici potest de materia infinitorum corporum sublunarium. Neque enim credibile est non fore in fine mundi vllum saxum ex ijs quæ fuerunt initio, & sic de alijs infinitis, pro quibus vides instaurari posse idem argumentum.

Ad vltimum iam dictum est. Ad id quod dicitur quod forma cælestis satiet plenè capacitatem materię; dic, idem dici de forma aquæ & qualibet alia forma huiusmodi, vt patet ex dictis initio Physicæ. Quod si vis illa perfectè satiatiua haberetur ex nobilitate formæ, plus satiaret materiam forma Pimpinellę, quam forma Solis, aut vllius corporis Cælestis; cum constet formã pimpinellæ, vtpotè formam viuentis, esse perfectiorem qualibet forma Cælesti. Ad illud de appetitu, eodem modo se habet materia cælestis ac sublunaris, neutra enim appetit habere simul duas formas, vtraq; in sensu diuiso ab ea quam habet appetit aliam: quia neutra potest naturaliter habere duas formas; aut naturaliter carere omni forma. Transitus materiæ à forma ad formam non est tribuendus materiæ appetenti promotionem sui ab ignobiliori ad nobiliorem, sed agentibus noturalibus, vnum corrumpentibus & alterum gignentibus, D. Thomas vbi hoc dicit, magis

dicit ad exemplificandum id quod ibi explicat; quam ad probandum hoc ipsum ex professo.

Præter ea quæ obiecta sunt initio posset vlterius argui ex Philos. 2. de Cælo vbi probat, vel probare intendit motum corporum Cælestium numquam desiturum. Quia videlicet motus corporum Cælestium est circularis, motus autem circularis non habet contrarium, adeoq; numquam desinit. Non sic dici potest de motu recto qui habet sursum & deorsum, adeoque in contrarium mutatue, dum ex deorsum fit sursum, vt accidit in pila resiliente: ut ex sursum deorsum vt contingit in lapide sursum proiecto relabente in caput proiectoris. Ex hac doctrina Philosophi sic arguunt. Motus Cælestis non debet nec potest naturaliter desinere, ergo neque corpora Cælestia: ergo corpora cælestia sunt naturaliter incorruptibilia. Probatur prima consequentia: quia implicat motum naturaliter perpetuum esse in subiecto naturaliter non perpetuo: ergo si motus est naturaliter perpetuus etiam subiectum naturaliter perpetuum erit. Antecedens probatur: quia motus nequit esse nisi in subiecto: ergo ad deficientiam subiecti deficit motus: ergo ea necessitate vel potentia qua debet vel potest deficere subiectum, debet vel potest deficere motus.

Resp. circa hoc principium Philosophi multa esse dicenda. Motus Rotæ figuli est motus circularis; motus circularis numquā de-

debet desinere: ergo motus rotæ figuli nũquam debet desinere; adeoque impresso semel impetu quo rota voluantur, debet in impressor recedere securus rotationis æternæ.

Facile tamen est huic nostræ instantiæ satisfacere; assignando disparitatem inter motum circularem corporis cælestis, & motum circularem rotæ figuli. Corpus cæleste mouetur in medio non resistente motui corporis quod mouetur: rota figuli mouetur in medio resistente. Secũdò Corpus cæleste non est graue adeoque per motum ipsius non ascendit neque descendit graue in medio leuiori: rota figuli est corpus graue, adeoque dum mouetur ascendit & descendit grauè in aere, propterea qui mouet rotam, dum rotat defatigatur, quia rotatione huiusmodi mouet sursum, quamuis non per lineam rectam, corpus graue, hoc est natura sua tendens deorsum, adeoq; motus rotæ potest dici vno modo naturalis, alio modo violentus; naturalis: quia est secundum naturam talis artefacti: violentus; quia est contra naturam ligni sursum moueri, quod contingit singulis partibus rotæ successiue, dum illa rotatur: & quia motus proprius artefacti est ab extrinseco, naturalis autem ab intrinseco: propterea rota sibi relicta non voluitur circa axem, sed deorsum ruit motu recto: sicut Statua non progreditur, sed cadit.

Aliud tamen argumentum ex ipso Cælo afferes contra Philosophum. Motus circu-

laris numquam desines: motus Cometæ est motus circularis, ergo motus Cometæ nunquā desinet: sed motus qui numquā desinet subiectum petit incorruptibile: ergo motus Cometę subiectum habet incorruptibile: & consequenter Cometa est incorruptibilis. Minorem non facilè probabis: quamuis multi pro vera statim illam accipiant. Vix enim aliquid est circa Cometam magis arduum quam motum ipsius inuenire: sed quicquid sit de veritate ipsius, idem robur habet apud Philosophum. Sed omissis instantiis.

Respondendum est in forma cum distinctione: motus circularis numquam desinet cum constantia subiecti seu corporis quod mouetur: omitte: sine constancia talis corporis: nega. Motus circularis non desinet vel per motum oppositum, sicut desinit motus sursum in lapide per relapsum eiusdem vel per quietem corporis in quo est, sicut motus deorsum in lapide, quando attigit centrum: sed per destructionem corporis in quo recipitur, sicut cessat motus Comete quicunque ille sit, qui durante Cometa durat, pereunte perit. Huiusmodi perpetuitatem in motu cęlestium corporum admittere oportet, qua videlicet tamdiu moueantur quandiu sunt.

Immo videtur euidens & corpora ipsa cęlestia & motum eorundem esse ex natura rei perpetua simpliciter, nec desitura nisi eo iubente cuius ad nutum mouentur: quando videlicet Cęli calore liquescent, & tota su-

ſublunaris natura igne conſumetur. Hoc tamen non probat corpora huiuſmodi eſſe naturaliter incorruptibilia: ſed ſolũ naturã ita eſſe diſpoſitam in ſuis partibus ſecundũ locum, vt cæleſtibus corporibus ſecundum motus naturæ ordinatos nequeant applicari agentia à quibus abſumãtur: ſicut v. g. ignis qui nunc eſt in Perſia nunquam me comburet; quamuis & ipſe ſit ſit naturaliter conbuſtiuus, & ego combuſtibilis.

Ratio eſt: quia generationes & corruptiones rerum ſunt ex natura rei perpetuæ, ad has autem concurrunt per modũ cauſarum vniuerſalium corpora cæleſtia: concurrunt, inquam, applicando per motũ circularem, varios influxus prout naturæ ordo requirit, puta motus Solis applicat modo plus modo minus caloris prout requiritur, ad hoc vt granum frumenti quod in terrã cecedit modo marceſcat, modo erumpat in herbam, modo adoleſcat in ſpicã. & ſic de cæteris. Fundatur hæc generationũ & corruptionũ perpetuitas in hoc quod alibi ſæpe diximus, videlicet quod generatio vnius ſit corruptio alterius & è cõuerſo: vnde fit, vt nihil vnquã intereat, quin aliquid in locũ ipſius Natura ſubſtituat. Quod quãdiu fiet, uunquã tota interibit. Hinc habes rationẽ philoſophicam cur impoſſibile ſit ſcire finem mũdi. Hic enim eſt in voluntate omnino arbitraria Dei, vnde dicitur: *non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Vnde ſi conſulas Mathematicum quando & quanta

erit Eclipsis Solis, respondebit & recte & asseueranter fore die 17. Febr. hora 18. cum dimidia & tribus minutis, eamq. tantam & talem vt tertiam Solis partem occupet. Et de hac re omnis Mathematicus habet euidẽtiam. Si autem quæras ab eodem quando desinet cælum moueri, tuem interrogationem ridebit: cum ipse in cælo videat rationem cur moueatur: nullam rationem agnoscat cur vmquam quiescat: reipsa non erit vlla ratio præter voluntatem facientis. Propterea aiunt mundum desiturum per miracaculum, quia tunc repugnabit Deus exigentiæ causarum secundarum petentium vlterius propagari saltem secundum speciem sui.

ARTICVLVS III.

An Cœli sint animati.

MOueri Cælos ab intrinseco duplex Philosophorum classis affirmat. Prima est eorum, qui Cœlos putant esse animatos. Secunda eorum, qui, quamuis animam Cœlo negent, dant tamen illi principium intrinsecum motus: neque enim ad hoc vt aliquid moueatur ab intrinseco necesse est esse animatum. Ignis ab intrinseco sursum mouetur, lapis deorsum: cum nec ignis nec lapis sit animatus. Vbi aduerte obiter discrimen inter motum quo mouet se animal; & motum quo mouetur lapis. Vtrumq; recte dixeris moueri ab intrin-

trin-

crinseco: non recte dixeris vtrumque moueresse. De animali recte dixeris: mouet se: non autem de lapide.

Qui dixerunt Cælum esse animatum dixerunt consequenter Cælum mouere se. Esse autem animatum ea potissimum ratione persuadere conantur quod nequeat efficaciter probari oppositum Preterea corpora cælestina a Platone & Aristotele dicuntur passim nobiliora sublunaribus: sed multa ex sublunaribus esse animata est certum & euidens: ergo ipsa etiam corpora cælestia sunt animata. Consequentia probatur: quia videtur notum ex terminis quodlibet non viuens esse ignobilius quolibet viuente. Igitur excellentia cælestium corporum supra sublunaria stare nequit cũ carentia vitæ in ijsdem corporibus.

Tertio non solum videntur esse animati Cæli, sed insuper videntur esse sapientes. probatur hoc: quia secundum Philosophũ, ordinare sapientis: cæli autem ordinant hæc inferiora, ergo Cæli non solum viuunt sed etiam sapiunt. Minor probatur: quia totus ordo naturæ sublunaris debetur cælorũ influxibus; qui si impedirentur, & deodinaretur natura. Vlterius motus ipse cælorum est ordinatissimus & per hoc quod sit in se ordinatus ordinat hæc inferiora, adeoq; duplicem in his inferioribus ordinationem meditari posses, vnam qua ordinantur in se, alteram qua ordinatur in causa: vtraq; autem videtur monstrare sapientiam causæ, cuius est rem ad extra ponendam prius or-

dinare in se, & postea extra facere ordinate. Explicatur hoc cum exemplo Pictoris, tum exemplo Architecti. Hic priusquam domum ædificet, adeoq; ita ordinet inter se lapides, vt exurgant & aptentur in ædificiũ, ordinat in seipso eosdem lapides; qui propterea dicuntur prius ordinari in esse intentionali, quod habent in anima Architecti, quam in esse physico & reali. Hinc dicitur Architectus facere prius domum in anima, quam extra. Ille vero priusquam disponat calores in tela eosdem disponit in anima, adeoq; in ipsis etiam caloribus præter ordinationem in re, habes ordinationẽ in mente pingentis.

Quarto. Copora celestia dicuntur causæ vniuersales rerum inferiorum; inter res autem inferiores multæ sunt quæ viuunt; g. etiam corpora celestia viuunt. Maior est certa; vnde est quod ait Philosophus *Sol & homo generante hominem*, ex quo patet cælestia corpora esse causas rerum etiam animatarum. Probatur autem consequentia, quia in causa debet præcontineri perfectio, quæ est in effectu: causa enim dat effectui quicquid est in effectu: sed in effectu est perfectio animati; ergo causat dat effectui perfectionem animati: si autem dat, etiam habet: iuxta illud & apud Philosophos & apud Legistas receptum: *nemo dat quod non habet*.

Confirmatur hoc ipsum, & promouetur ex doctrina D. Thomæ. Dicit enim Doctor Angelicus causam principalem eorum viuen-

uentium quæ gignuntur ex putri esse corpora cælestia : sed causa principalis debet continere vel vniuoce, vel æquiuoce totam perfectionem effectus ergo corpora Cælestia debent continere vel vniuoce vel equiuoce totamq; perfectionem viuentium quæ gignuntur ex putri. Vel contineant æquiuoce vel vniuoce, sunt viuentia; ergo corpora cælestia sunt viuentia. Minor subsumpta probatur: quia continere vniuoce est esse eiusdem speciei cum perfectione contenta: implicat autem non viuens esse eiusdem speciei cum viuente. Continere æquiuoce est esse perfectionis altioris, adeoque corpora celestia debent esse maioris perfectionis quam viuentia, quæ gignuntur ex putri: non viuentia autem nequeunt esse perfectiora viuentibus.

H s addi posset illud Scripturæ: *qui fecit Cælos in intellectu*. Quibus verbis videtur innui Cœlos non solum anima, sed intelligente anima preditos esse.

Hanc controuersiam vt resoluas notandum est non eadem probabilitate sustineri posse Cælos esse animatos, qua sustinetur Celos moueri ab intrinseco. Hec enim propositio: *cælum est animatum*, est ridicula. Hæc alia: *Cælum mouetur ab intrinseco* est probabilis. Hanc ess probabilem ostendemus, priusquam eos repellamus qui inepte putarunt Cælum esse animatum. Prima ratio suadens moueri ab intrinseco corpora cælestia est perpetuitas & necesitas talis motus ad conseruationem naturæ sensibilis.

Est

Est enim probabile quod quemadmodum grauibus est innatum principium ad descẽsum, leuibus ad ascensum; sic etiam corporibus cęlestibus innatum sit principium motus, quo circulariter mouentur. Porro principium illud est æque in bonum naturæ ac principium aliorum motuum, vt patet ex dictis: neque enim magis exigit natura grauia ferri deorsum, leuia sursum, quam Solem & Lunam aliaque huiusmodi circumagi.

Atq; hic obiter nota nos de Sole & Luna alijsq; planetis hic loqui lamquam de causis vniuersalibus istorum inferiorum. Cum enim sint causæ naturales eorum quæ fiunt in mundo sublunari, videntur habere à natura quicquid requitur vt fungantur munere Causarum ad hoc autẽ requiritur vt moueantur in orbẽ, habent igitur à natura principium quo mouentur in orbem.

Neque obstat quod omnis motus in ijs quæ mouentur naturaliter & non viuunt sic motus sursum vel deorsum. Nam vel hoc ponitur pro principio vniuersali; itaut extendatur tam ad motum Cælestium quam ad motum sublunarium, & principium hoc nihil valet, quia petit principium. Est enim posito: quod quemadmodum ex sublunaribus alia sursum alia deorsum feruntur, ita Cælestia mouentur in orbem, omnia autem ab intrinseco. Vel principium hec est circa sublunaria dumtaxat, & à sublunaribus arguitur ad Cælestia, & tunc dupliciter peccatur; Primo dum assumitur in sublu-

nari-

naribus nihil moueri ab intrinſeco inter inanimata niſi vel ſurſum, vel deorſum. Multi enim alios motus naturales recognoſcunt, qualis eſt v. g. motus traiactionis, qui fit veluti per diametrum quadrati. & huiuſmodi motum aiunt uidere ſe in Cometis etiam ſublunaribus. Secundo peccant in eo quod à motibus quibuſdam arguũt ad omnem, decepti eo argumento, quo per inductionem probatur à beſtijs nos etiam eſſe beſtias. Finge enim equum philoſophari circa te: en ipſius ratiocinium, & Aſinus eſt beſtia, & Rana eſt beſtia, & Elephas &c. & ergo ſum beſtia: ergo etiam hemo eſt beſtia. Ecce argumentum ab inductione: nec vllo argumento ab inductione magis concluditur.

Non autem non ab inductione ſed ab identitate rationis per motum ladidis deorſum, ignis vero ſurſum, concludimus Cęleſtia corpora moueri in orbem æque ab intrinſeco ac illa alia; quæ ſurſum feruntur & deorſum.

Confirmatur hoc noſtrum ratiocinium per doctrinam Doctoris Angelici, qui grauia & leuia moueri dici: ab auctoro naturæ ad ſua centra, ſicut ſagitta mouetur à Sagittario ad ſuum ſcopum. Mouetur autem ſagitta per impetum impreſſum à Sagitario hanc dirigente ad ſcopum, ihitur & graue deorſum, & leue ſurſum mouetur ab auctore naturæ per impetum vtriq; inditum a dirigente alterum ſurſum, alterum vero deorſum; ſicut autem auctor nature vni impe-

tum quo deorsum, alteri vero impetum quo sursum moueatur, indidit: cur non etiam corporibus cælestibus impetum indideris quo moueantur in orbem?

Ea quæ contra huiusmodi motum obijci possunt audiemus sequenti articulo. Iam enim expedienda est altera positio: qua statuimus Cælum non esse animatum.

Omnis anima est vel vegetatiua, vel sensitiua vel intellectiua. Nulla ex his animat Cælum: ergo Cælum non est animatum. Maior continet diuisionem animæ adæquatam. Si enim Aduersarius velit aliquod aliud formæ genus esse animam controuersia erit de nomine: & eodem iure asseres lapidem esse animatum, quo hic asserit animatum esse Solem aut quodlibet aliud ex cælestibus Minor probatur; quia in Cęlo nullum est indicium neque vegetatiuæ, neque sensitiuæ, neque intellectiuæ: stultum est autem ibi animam ponere vbi nullum est animæ inditium. Vnde argumentum primo loco propositum pro anima cælesti laborat in supposito: non enim ibi ponenda est anima, vbi non probatur efficaciter eam non esse: sed potius ibi neganda est anima, vbi non probatur efficaciter adesse.

Quod si ea omnia esse probarentur, quæ non probantur efficaciter non esse, quid non liceret affirmare: Proba efficaciter hac hora Turcam non saltare, & alia huiusmodi infinita. An propterea est certa positio: *Turca saltat*, & aliæ huiusmodi infinitę.

Porro non esse indicium in Cælo vllius

ani-

animę apparet: quia nullum est argumentũ vegetationis, sensetionis, intellectionis. Quis enim dicat Cælum nutriri, augumẽtari, sentire? Cum potius ex ipsius constructione appareat constare partibus omnino homogeneis sine vllo prorsus indicio organizationis requisitæ ad functiones vitales. Ipsa autem vniformitas motus quo corpora cælestia mouentur perpetuo non est inditium quod moueantur ab anima intelligente, quæ ipsa animet; nam anima intelligens non vniformiter mouet, cum sit libera. Motus autem Cæli est ita Cælo necessarius vt nullum sit inditium ipsum sic moueri, quia vult: vnde ordo ille inuariabilis quo mouentur Cæli adeo non probat Cęlos esse sapientes, vt probet necessario moueri vel à forma determinata ad vnum, quo pacto mouentur mobilio inanimata, vel ab aliquo mouente extrinseco, sicut mouetur rota figuli.

Ex his patet ad ea quæ initio proponuntur. Ad primum retorquetur, Nan probatur vllo argumento non solum efficaci sed neq; probabili Cęlos esse animatos; ergo stulte asseritur esse animatos.

Ad aliud de perfectione dictum est alibi negando corpora cælestia perfectiora esse simpliciter & ex toto genere quam sublunaria.

Ad illuo de causis Vniuersalibus dic, ita esse causas vniuersales vt non sint causæ adæquatę istorum sublunarium. Non autem est dę ratione caųsæ partialis continere to-

tam

tam perfectionem, nec vniuocè neo æquiuoce, quæ in effectu. Ad cnnfirmationem. Verum est Doctorem Angelicum ponere pro causa principali genitorum ex putri corpora cęlestia; sed vel nomine causæ principalis intelligit causam applicatiuam agentis ad passum: vel in causa principali non exigit tantum perfectionis quantum est in effectu. Causa principalis si idem est apud ipsum ac causa applicans actiua passiuis: potest Cælum dici causa principalis eorum, quæ gignuntur ex putri, vtpote applicans per motum semina eorum que gignuntur; puta murium, serpentium, ranarũ materiæ aptę per huiusmodi semina animari in vermes, ranas & mures. Quæ omnia alibi ex professo tractabuntur. Quod autem si ponat Cælum pro causa principali huiusmodi effectuum nõ exigat in causa principali tantum perfectionis, quantum est in effectu, manifestum est: qui est apud D. Thomam veluti primo principium: quodlibet uiuens perfectus esse quolibet non viuente.

Ad alia quæ naturali ratione nituntur patet ex dictis. Ad illud de scriptura dic ibi commendari non intellectum quo cæli intelligant: sed intellectum & sapientiam eiũs fecisse Cælos & omnia intellectu, quia sapienter fecit omnia.

ARTICVLVS V.

Audiuntur ratione contra motum ab intrinſeco.

ARticulo ſuperiori id vnum fuit nobis propoſitum vt oſtenderemus Cælos non eſſe animatos. Eoſdem autem moueri ab intrinſeco probabile eſſe ibidem ſtatuimus. Contra tamen.

Obijcitur primo. Cæli mouentur ab intelligentijs; ergo Cæli non mouentur ab intrinſeco. Probatur antec. tum auctoritate ſcripturę, tum rationes. Scriptura Dei maieſtatem deſcribens dicit; coram quo curuantur qui portant orbem: dantur igitur aliqui qui portant orbem; igitur orbes mouentur ab extrinſeco, ferunturq; circulariter ab intelligentia aſſiſtente. Probatur hoc idem ex conſenſu Patrum, qui vnanimiter motem corporum cæleſtium tribuunt intelligentiæ aſſiſtenti; quam aiunt ita mouere Cælum ſicut equus mouetur à ſeſſore currus ab auriga &c. Probatur denique ratione, quia motus corporum cæleſtium ſunt implicatiſſimi vt patet ex Syſtemate à nobis tradito, in quo non omnes planetæ ſunt concentrici. Nam centrum Lunæ & Solis, Iouis & Saturni eſt centrum mundi circa quod voluuntur. Ipſe autem Sol eſt centrum Mercurij Veneris & Martis. Adde quod planetæ ipſi diſſimili velocitate feruntur. Molus autem implicati & non vniformæs

maæs

mes longe congruentius tribuuntur motori extrinseco & intelligenti, quam qualitati innatæ. Immo nequeũt congruenter tribui alteri quã intelligenti, ficut v.g. motus Statuarij aut cuiuslibet alterius artificis non tribuitur instrumento quod mouet, sed ipsi Artifici. De hoc motu non vniformi planetarum multa habes apud Ricciolium.

Dicendum est probabilissimum esse quod Cæli moueantur ab extrinseco, hoc est ab Intelligentia assistente. Hanc intelligentiã aliqui ex veteribus Cæli animam appellarunt. Ita alicubi loquitur Philosophus. Plato autem & Platonici fere vbicunque de Cęlorum motu loquntur. Non eodem tamen sensu loquitur Philosophus & Plato, Plato enim sic animari putat Cælum ab intelligentia, sicut corpus humanum animatur ab anima rationali: vtrumq; tamquam à forma assistente. In sensu autem Philosophi corpus humanum animatur ab anima rationali, tamquam à forma informante; Cęlum autem non habet intelligentiam pro anima nisi metaphorice; sicut nauis dicitur habere pro anima Gubernatorem: exercitus Imperatorem.

Hęc sententia de motu Cælorũ ab intelligentia est communis & alteri, quã supradiximus esse probabilẽ, preferenda, præcipue ob auctoritatem Sapientum, & ob difformitatem illam motuum, quam in planetis obseruant rerum Cęlestium peritiores.

Qui tamen oppositam tueri volet, habet in articulo pręcedenti vnde satisfaciat argu-

gumentis hic propositis.

Ad illud de scriptura facile est dicere nõ esse ibi sermonem de ijs qui rotant, sed qui portant orbem, adeoque eodem argumento probari posse præter rotatores suos, habere etiam orbem vniuersum suos portatores, quod est ineptum. Per eos qui portant orbem poteris eos intelligere, qui in orbe sunt primi potentatus, adeoq; inter omnes creaturas primatum tenent: qui tamen coram Deo nihil sunt, & ideo curuantur, hoc est agnoscunt se præ Deo minus esse quam exigua arena præ toto orbe terrarum, & vel guttula præ toto oceano.

Ad auctoritatem Patrum & Sapientum dic esse etiam Sapientes qui oppositum censuerunt.

Ad difformitatem motus dic hoc ipsum non ita constare vt inter se non certent Astronomi & adhuc sub iudice lis sit.

QVÆSTIO VNICA.

De æternitate mundi.

ARTICVLVS I.

Mundus potuit esse ab æterno.

MVndum esse ab æterno & duraturũ æternum existimauit Philosophus, & errauit: Deus enim in principio creauit Cælum & terram. Controuersia igitur inter eos qui credunt Scripturæ, non est de fa-

facto sed de possibili. In hanc controuersia licet vnicuiq; per religionem sentire quid velit:nec enim minus Catholici sunt qui putant potuisse mundum esse ab æterno, quam qui secus, & inter præcipua Catholicæ religonis Columina fuere & sunt quibus pro indubitato est putuisse mundam esse ab æterno.

Augustinus vbi contra eo disputat qui Mundũ putant fuisse ab æterno, non negat immo fortasse supponit potuisse. En tibi argumeutum quod in fauorem æternitatis sibi proponit nomine Philosophi gentilis. Vel Deus potuit creare Mundum & non creauit cum posset vel non potuit: vtrumq; Deo repugnat:ergo &c. Minor probatur: quia si voluit, sed non potuit: Deus est impotens est enim impotentiæ non posse quod velis Si potuit, sed noluit, fuit inuidus est enim inuidentię non facere alteri bonum quod potes, sine prægiudicio tuæ felicitatis. En respensionem Augustini. Deus noluit etiã cum posset:nec fuit impotẽs per hoc quod non posset:nec inuidus per hoc quod etiam potens nollet, sed creando in tempore ostẽdere voluit, quam liberaliter daret id quod dat, & quam non indigeat ijs quæ creauit qui per totam æternitatem æque Deus & consequenter æque fellis fuit sine illis, ac fuisset cum illis. In hac responsione vides non supponi ab Augustino impossibiles mũdum fuisse ab æterno, quandoquidem libertati diuinæ tribuit quod non fuerit. His positis explicanda est, & stabilienda positio

quam

quam habes pro titulo.

Hæc propositio. Mundus potuit esse ab æterno potest facere duplicem sensum. Primus sensus est potuisse mundum esse ante quodlibet instans assignabile: seu nullum esse instans cogitabile, ante quod mundus non potuerit esse. Secundus sensus est mundum posse verificare nunc; *Fuit ab æterno*, per hoc quo reipsa æternum durauerit. In primo sensu ly *Ab æterno* sumitur syncategorematice, in secundo sumitur categorematice. In primo sensu intelligenda est conclusio posita. De secundo videbitur postea.

Probatur autem conclusio posita, quia in quolibet instanti in quo Deus creauit mundum, ita creauit illum, vt potuerit creare ante; adeoq; quodlibet instans, quod reipsa fuit primum potuit esse non primum; hoc est potuisse esse ab æterno syncategorematice; g. mundus potuit esse ab æterno syncategorematice. Hoc eodem modo dicitur æternum duraturus, seu posse in æternum durare; quia v. g. in nullo instanti destruetur, in quo non possit conseruari, adeoq; quandocunq; destruetur ita destruetur, vt verum sit: posset durare vlterius. Sicut enim volentis fuit creare potius quando creauit, quam mille annis antea: ita volentis destruere, quando destruit potius quam mille annis postea.

Est igitur verum mundum potuisse esse ab æterno; sicut verum est posse in æternum durare. Quia quemadmodum per hoc dicitur posse in æternum durare, quod possit du-

durare poſt quodlibet inſtans aſſignabile: ita dicitur potuiſſe eſſe ab æterno, per hoc quod potuerit eſſe ante quodlibet inſtans aſſignabile. Non tamen eſt verum mundum ita fuiſse ab æterno, ſicut verum eſt cræaturam futuram in æternum. Quia non quemadmodum anima erit poſt quodlibet inſtans aſſignabile, ita mundus fuit ante quodlibet inſtans aſſignabile.

Dices, Non eſt aſſignabile vllum inſtans, in quo non fuerit mundus; ergo mundus fuit in quolibet inſtanti aſſignabili. Antecedens probatur: quia implicat ante mundum, ſeu ante omnem creaturam fuiſſe aliquam creaturam: ſed quodlibet inſtans eſt aliqua creatura; ergo implicat ante omnem creaturam fuiſſe aliquod inſtans.

Reſp. diſt. antec. non fuit vllum inſtans realiter, & reale: conc. poſſibiliter, aut imaginarium: nego. Ante mundum non fuit vllum tempus: quia ante omnem creaturam non fuit vlla creatura. Vnde quærenti quid Deus faceret antequam quicquam faceret, fidenter reſpondit Auguſtinus; nihil faciebat, & vtinam ſic omnia ſcirem, ſicut ſcio, quod Deus antequam quicquam faceret, nihil faciebat. Si autem nihil faciebat, nec faciebat tempus, & conſequenter antequã quicquam faceret non erat tempus.

Inſtabis: Deus eſt ante mundum, g. ante mundum fuit tempus. Probatur conſequ. quia ſi Deus eſt ante mundum, præcedit tempore mundum: non enim eſt ante, pura anterioritate cauſæ. Nam quod eſt ante a-

liud

liud pura anterioritate causæ habet illud aliud sibi coæuum, vt patet, & in Sole habente coæuam lucem, & in pede coæuum habente vestigium.

Resp. concesso antec. negando consequ. Deus mundum præcedit non solum natura sed æternitate; quia ita semper est, vt sit impossibile ipsum ante fuisse. Mundus autem est in tempore, & tempus ipsum est, ita vt potuerit esse ante. Absorbet igitur Deus æternitate sua tempus non solum quod est, sed quod potuit esse per modum mensuræ supereminentis, & incommensurabiliter supercontinentis quodlibet mensurabile: Mundus autem ita durauit, vt durare potuerit tempore duplo maiori: quia pro quinquies mille annis, qui fluxerunt hactenus a constitutione mundi; potuit fieri, vt iam decies, & centies, & millies mille fluxissent.

ARTICVLVS II.

Mundus non potuit esse ab æteno.

IN quo sensu accipienda sit hæc secunda conclusio dictum est supra: ita videlicet vt in hac, vel qualibet alia temporis differentia sit necessario falsum: *Mundus æternum stetit, aut durauit.* Et in hoc sensu sit quæstio, an mundus esse potuerit ab æterno. Vbi aduerte differentiã inter has duas propositiones. *Creatura potest in æternum durare:* & *: Creatura in ætrenum durabit.* De

hoc mundo verum est: In æternum potest durare, falsum est: in æternum durabit. De anima rationali, de homine, de Angelo verum est vtrumq; nam & possunt in æternum durare, & in æternum durabunt.

Probatur autẽ conclusio primo ex dictis in tractatu de infinito. Implicat infinitum categorematicum, tam in quantitate permanenti, quam in sucessiua, sed si mundus esse ab æterno daretur infinitum categorematicum, saltem in quantitate successiua, aut etiam tam in successiua, quam in permanenti: ergo nequit dari mundus ab æterno. Quod daretur infinitum categorematicum in quantitate successiua, probatur, quia ab hac die retrocedendo per durationem mundi essent essignabiles dies non tot quin plures, adeoq; partes non tot quin plures in tempore elapso, non communicantes, çquales vni certæ, & determinatæ magnitudinis. Hoc autem est dari infinitum categorematicum in quantitate successiua. Quod etiam in permanenti, probatur, quia non implicat coexistere mundo aliquam magnitudinem, cui singulis diebus factum sit additamentũ vnius palmi, hoc autem facit quantitatem simpliciter infinitam: ergo &c. Explicatur hoc. Linea cui per mille annos, singulis annis addita sit longitudo palmaris est linea mille palmorum, & cui per annos centies mille singulis annis additus sit vnus palmus, est linea palmorum centies mille, & sic in infinitum. Igitur linea, cui per annos infinitos datus sit annis singulis vnus palmus,

est

est linea palmorum infinitorum. Hoc autem ita contingere non implicat, non implicante multitudine annorum infinita.

Dices infinitum categorematicum est totum actu, etiam si mundus esset ab æterno duratio mundi nunquam esset tota actu; ergo etiam si mundus esset ab æterno, non daretur infinitum categorematicum. Maior probatur, quia discrimen inter infinitum categorematicum, & syncategorematicum est quod hoc sit partim actu, & partim potentia, illud vero sit totum actu. Minor autem probatur, quia duratio mundi est successiua, successiuum autem non est totum simul, sed in eo pars est post partem.

Resp. nos non definiuisse infinitum categorematicum, id quod est totum actu, vt patet ex dictis. Si enim ad rationem infiniti requireretur coexistentia partium constituentium infinitum, inepte quæreretur, an sit possibile infinitum, in quantitate successiua. Infinitum in quantitate est id, cuius semper aliquid extra est accipere, hoc est, quod diuisibile est in partes non tot quin plures æquales vni certæ, non cōmunicantes. In permanentibus partes huiusmodi sūt simul vel in actu, vel in potentia, in fluentibus, seu successiuis vna est post aliam. Et quia si mundus esset ab æterno essent in duratione ipsius assignabiles anni nō tot quin plures, de quibus omnibus dici posset actu fuisse; propterea in huiusmodi duratione esset vera infinitas. In forma ad argumentū nega maiorem. Ad cætera patet ex dictis.

Probatur secundo conclusio. Datur necessitas metaphyaca, vt quandocunq; creatus sit Mundus potuerit ante creari: ergo impossibile est Mundum fuisse æternu, accipiendo ly æternum categorematice. Ant. probabitur infra. Probatur hic cons. quia si cratus in instanti *B*. potuit esse ante, puta in instanti *A*, potuit ante æternitatem ipsius esse instans *A*. Si autem potuit ante ęternitatem ipsius esse instans *A*, datur æternitas vtinq. causa. Nam & illud instans *A*, & instans præsens sunt duo extrema æternitatis ipsius. Æternitatem autem vtrinque clausam repugnare patet ex ijs, quę diximus de infinito vtrinq. terminato. Datur igitur necessitas metaphysica, vt æternitas illa, qua Mundus dicitur potuisse esse ab ęterno sit æternitas syncatehorematica,

Simili ratiocinio ostendes necessitatē, quod ęternitas à parte post sit ęternitas syncategorematica deduci impossibilitatē, quod ęternitas à parte post sit ęternitas categorematica. De conceptu quidditatiuo ęternitatis à parte post, qua videlicet erimus in ęternum, vel miseri, vel beati, est vt post quemlibet annum assignabilem sit futurus alius annus, ergo est de conceptu ipsius, vt non possit assignari vlla collectio annorum, de qua dici possit, hec est ęternitas, qua æterni sumus, seu qua ęternum duraturi sumus. Si autem implicat collectio huiusmodi eo ipso implicat ęternitas categorematica: ergo &c.

Diçes. Ante creationem mundi, in quocum-

cumque tandem instanti creetur, implicat fuisse vllum instans: ergo male assignatur instans possibile ante creationem mundi cũ instante præsenti pro duobus extremis durationis mundi. Ergo etiam si illa duratio sit æterna: non habetur per prædictum instans & instans præsens, æternitas clausa vtrinq. Prob.antec. ex dictis. Implicat ante omnem creaturam creari aliquam creaturã, ergo implicat instans possibile ante omnem durationem creatam; & consequenter qui claudit omnem durationem creatam ex vna parte per instans præsens, & ex altera per instans possibile, claudit durationem creatam inter chimeram, & instans: si autẽ claudit per chimeram: euadet.

Resp. hoc ratiocinium laborare in æquiuoco. Hæc propositio: *Ante omnem creaturam implicat fuisse aliquam creaturam*, potest facere duplicem sensum. Primus est, quod potuerit accidere esse aliquã creaturam, itaut verum sit, *Est aliqua creatura, & nulla est creatura.* Et hic sensus est manifestè ineptus, & falsus. Secundus sensus est, *Hæc ipsa creatura, quæ primo fuit in instanti* B *potuit eße ante instans* B, *puta in instanti* A, *& hoc ipsum instans* A, *quod est primum potuit esse non primũ, per hoc quod ante ipsum fuissent mille alia instantia.* In hoc secundo sensu verum est mundum potuisse esse antequam fuit, videlicet non in sensu composito cum primo fuisse, quando de facto fuit, quod implicat in terminis, sed in sensu diuiso. Ex his patet ad argumentũ

In forma: nega antec. Ad reliqua vtere distinctione iam data.

His positis in quocumq. instanti creatus sit mundus finge creatum fuisse, vt potuit, in instanti antecedenti; vel si vis cuicumque durationi quam durauerit mundus finga addi à parte ante vnum instans. Si duratio illa fuit æterna; per additionem vnius instantis non desinit esse æterna, & extra æternitatem illam est illud instans, quod addis. Igitur illud instans ex vna parte, & instant præsens ex altera claudunt vtrinque istam æternitatem.

Probatur iam suppositum antec ostendendo necessitatem quod in aliquo possibili tempore Deus præcedat creaturam: quia omnis creatura necessario est ex nihilo oportet igitur vt præcesserit possibiliter aliquod instans, in quo cum esset possibilis, nó tamen erat. Probatur hoc, quia si esse ex nihilo habetur sufficienter per hoc, quod ante ipsam nihil fuerit de ipsa; etiam Deus dici potest esse ex nihilo: nam ante Deum nihil fuit de Deo oportet igitur quod ante creaturam ita nihil fuerit de ipsa, vt potuerit esse adeoq; vt præcesserit necessario Deus suam quamlibet creaturam in ratione durantis, vt patebit infra.

Dices: etiam instans B est ex nihilo; instans B non potuit esse ante hoc tempus imaginarium, ergo instans B non fuit possibile antequam esset. Min. prob. quia instans *B* est essentialiter affixum huic tempori imaginario, adeoq; impotens existere nó

est

est istente hoc tempore imaginario.

Resp. transmissis mai. & min. neg. cons. Hoc ipsum instans B. quod nequit esse, nisi in hoc nunc imaginario, est ab æterno possibile, est possibile antequam sit: & necessariò præceditur ab infinitis alijs instantibus, vel realibus, vel imaginarijs. Finge hoc instans esse millesimum inter instantia de facto creata. Hoc posito habet quidem necessitatem non existendi, nisi post illa nongenta nonaginta nouem, quæ aute flux erunt non tamen habet necessitatem, quod illa eadem realiter fluxerunt; neq. vt sola illa realiter fluxerunt: contingere potuit, vt nó esset millesimum, sed primum, vel milliónesimum. Si foret primum non realiter, sed imaginarie, & possibiliter fluxissent antecedentia: si foret millionesimum, non solum possibiliter, & imaginarie, vt de facto contigit, sed realiter. & physice fluxissent illa omnia, quæ numerum millionesimum constant. Hæc omnia patebunt clarius ex dicendis.

ARTICVLVS III.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

Obijcitur 1. auctoritas Augustini relati à nobis initio huius quæstionis: videtur enim ibi supponere Augustinus fuisse in libertate Dei creare, vel non creare mundum ab ęterno, quo posito licet sic argumentari. Deus fuit liber creandum

vel non creandum mundum ab ęternō, ergō libertati diuinę tribuitur; quod mundus nō fuerit ab ęterno, quod autem libertati diuinę tribuitur, ite tribuitur vt tribui e possit oppositum, ergo eidem libertati tribui potuit, quod mundus fuisset ab ęterno.

Resp. Augustinum non disputare ibi an mundus potuerit vel non potuerit esse ab ęterno, sed respondere Philosophis gentilibus probare conantibus mundum de facto fuisse ab ęterno. Ita autem dissoluit illorum argumenta vt non litiget de possibilitate. Immo ex hac ipsa responsione Augustini posset quis ratiocinari pro nostra sententia. Deus creauit mundum in tempore vt ostenderet se ex pura liberalitate creare, ergo non potuit creare nisi in tempore, si per hoc probat liberaliter se creasse, quod per totam ęternitatem perfectissime beatus & nullius indigens sine omni creatura extiterit. Ad argumentum in forma nega antec.

Obijcitur 2. Mundus contingenter est in tempore, ergo mundus potuit esse ab ęterno. Probatur conf. quia si contingenter est in tempore, est indifferens vt sit vel non sit in tempore, sed si est ita indifferens est indifferens vt sit vel in tempore, vel ab ęterno, ergo si contingenter est in tempore, potuit esse ab æterno.

Resp. 1. conc. ant. neg. conseq. Ad probationem conc. mai. nega. min. Est indifferens ad esse vel non esse in tempore per hoc præcise quod sit indifferens ad esse & non

non esse. Aliud autem est esse indifferens ad esse & non esse, aliud ad esse in tempore, vel esse ab æterno. Quia tamen argumẽtum procedit sine malitia, & asserit mũdum esse indifferentem etiam in hypothesi essendi, esse vel non esse in tempore, siue, creaturam etiam in hypothesi essendi contingenter esse in tempore.

Resp. 2. neg. antec. Mundus ex suppositione quod sit non contingenter, sed necessario est in tempore: quod iisdem rationibus euincitur, quibus euincitur non potuisse esse ab æterno.

Obijcitur tertio. Potentia libera creandi Mundum est æterna: ergo mundus potuit esse ab æterno. Prob. conf. quia numquam datur potentia libera cõpleta ad aliquem effectum quin eo ipso dari possit talis effectus: ergo si potentia adæquata creãdi mundum est æterna, mundus ipse potuit esse æternus.

Hoc argumentum posset totum concedi in fauorem primæ conclusionis. Hæc propositio: nunquam dantur potentia adæquata ad vllum effectum quin dari possit talis effectus; bene intelligentibus est manifesta. Facit enim hunc sensum: *Nullum est instans assignabile in quo datur potentia adæquata & non possit dari effectus*: quod est verissimum. Si enim à primo instanti in quo mũdus creatus est per infinitum recurras in tota diuina æternitate, nullum inuenies instans in quo non potuerit esse mundus: quãuis ante quodlibet instans inuenturus sis a-

liud instans, immo per hoc ipsum quod ante quodlibet instans inuenturus sis aliud instans in quo esse potuerit mundus: recte probasti superius implicare æternitatem categorematicam mundi.

Atque hic aduerte nos de illo *numquam* idem omnino philosophari, quod philosophati sumus de *omne* & alijs huiusmodi, vbi de infinito. Dictum est autem ibi quod si li *omne* sumitur collectiue propositio est de subiecto non supponente. Dicitur hic idẽ omnino si li *numquam* accipitur collectiue. Quemadmodum enim non est accipere omnes Angelos possibiles aut omnes dies futuros per totam æternitatem per modum vnius collectionis, ita non est accipere omnia instantia possibilia intra æternitatem diuinam antecedentia mundum per modũ vnus collectionis. Iuxta hanc eandem doctrinam solues hoc aliud siue potius hoc alio modo propositum argumentum. Quotiescumque datur potentia adæquata ad aliquem effectum potest dari talis effectus. sed ab æterno datur potentia adæquata ad mundum, errgo ab æterno potest dari muindus. Totum hoc argumentum fundatur n li *quotiescunque* quod non potest recte accipi nisi distributiue, adeoque facit hunc sensum: in quolibet instanti datur potentia adæquata ad effectum dari potest effectus, sed in quolibet instanti intra æternitatem assignabili datur causa adæquata mundi: ergo in quolibet instanti intra totam æternitatẽ assignabilis potest dari mũdus. Quod

to-

totum est verum. Qui igitur argumentum propositum sic resoluere potest, totem concedat. Qui non potest de responsionem communem, videlicet concessa maiori; distinguendo minorem: ab æterno datur potentia adęquata ad mundum in tempore: concedo; ad mundum ab æterno neg min. & conseq. Hoc eodem modo ad obiectione propositam.

Respondetur cum distinctione potentia creatiua mundi ab æterno, est ęterna: nego antec. & suppositum antec. creatiua mundi in tempore, est eterna; concedo antec. & nego consequentiam. Solet hoc explicari per potentiam. quę hodie est creandi durationem crastinam. Nunc enim & heri & semper est potentia creandi durationem crastinam; cum nec nunc, nec heri, nec vmquam detur potentia creandi nunc vel heri aut semper durationem crastinam. Cōceditur igitur æternitas potentiæ creatiuæ: non conceditur potentia creatiua æternitatis.

Dices si causa creatiua mundi esset causa necessaria, eo ipso quod ipsa esset æterna, mundus esset æternus: ergo cum sit causa libera, Mundns potest esse æternus. Probatur antec. quia per hoc ipsum quod sit causa necessaria non antecedit nisi natura suum effectum, ergo inter existentiam ipsus & existentiam effectus non intercedit vllum tempus nec reale nec imaginarium: nec possibile. Hoc modo dicit Augustinus explicando Mysterium Trinitatis quod si

sol esset ternus, esset & lux æterna. & alia huiusmodi. Quæ patent ex terminis intelligenti naturam causæ necessario operãtis. Probatur iam consequentia, quia quod necessario est ey suppositione causæ necessariæ; ex suppositione causæ liberæ potest esse, ergo si supposita ęternitate causæ necessarie infertur quod sit æternus effectus; supposita ęternitate causæ liberæ, infertur posse esse æternum effectum. Confirmatur: quia vnicum discrimen inter causam necessariam & causam liberam est quod illa necessario, hæc ex suo placito operatur. Non enim differt causa necessaria à libera per hoc quod illa quidẽ non antecedat tẽpore; hæc autem tempore antecedat effectum: nã voluntas humana in illo eodem instanti in quo est completa ad amorem libere exercendum, potest illum exercere, si velit, vel non exercere, vel loco illius exercere odium; prout est complete libera vel sola libertate contradictionis, vel etiam libertate contrarietatis.

In hoc argumento sunt aliqua consideranda. Primum est quod si causa creatiua mundi esset causa necessaria, esset longe aliter necessaria, quam sint necessariæ causę secundæ, quæ tamen dicuntur simpliciter necessariæ. Da enim Deum esse causã necessariam, implicabit Metaphysice ipsius effectum non existere, adeoque ratio causæ necessariæ in Deo ponit metaphysicam necessitatem essendi in effectu. Non ita accidit in alijs causis, que dicuntur necess-

cessariæ non enim implicat metaphysice solem existere sine sua luce, ignem sine suo calore. Ratio est quia causæ secunde cum tota sua necessitate agendi, subordinantur causæ superiori ita omnia moderanti, vt nihil oriatur aut eccidat nisi ipsa volente. Deus autem nequit vlli superiori causę subordinari, vnde in ipso necessitas agendi esset necessitas simpliciter & absolute metaphysica; adeoque tam implicaret non esse mundum, quam implicat non esse Deum.

Ex hoc eodem sequitur quod hypothesis faciens Deum causam necessariam tollit rationem contingentis in mundo, aut qualibet creatura cuius ponatur Deus esse causa necessaria. Eo ipso autem quod ponitur Deus causa necessaria, ponitur determinate ad hoc; cum non sit ab vlla alia superiori causa determinabilis. Ponit igitur in Deo impotentiam essendi sine illa creatura: vnde quemadmodum non est liberalitatis sed naturę, quod sol producat lucem, & consequenter non soli, sed Deo debet agere gratias lux quod existat: sic non esset liberalitatis sed naturę Dei quod existeret Mundus, adeoque nulli deberet gratias agere quod existat. Ex his aliisque capitibus constat quam male philosophati fuerint, qui Deum causam necessariam putauerunt, non animaduertentes quod per hoc ipsum quod sit causa necessaria non est Deus. Hinc super illa verba; *De ventre matris meæ Deus meus es tu*, aiunt ita loqui

Fi-

Filium Dei ex quo factus est filius Virginis, quia videlicet per hoc quod fit Filius Virginis & homo, factus est quatenus talis, minor Patre: vnde potest dicere Patri: Deus meus est tu, quod nequit dicere secũdum quod Filius Dei est, quandoquidem vt talis non habet nec Deum nec Dominum. Quamuis enim etiam vt Filius procedat à Patre, non procedit à Patræ vt Domino, quia Pater non est Dominus ipsum generandi vel non generandi; cum tam necessario detur generatio filij, quam necessario datur Deus? vnde hoc maxime cauent qui Mysterium explicant Trinitatis, ne inter personas producentes & productas aliqua videatur inæqualitas esse.

Ad argum in forma dist. antec. esset æternus, & realis nega æternus & chimerichus concede antec. vnde recte hic dicere posse quod frequenter non recte dicitur; *esset, & non esset*, Esset æternus quandoquidem esset ac causa necessaria æterna: non esset effectus quia vt probatur est supra, non esset quid contingens, & eadem repugnantia implicaret ipsum non esse, qua repugnat non esse Deum, Distincto antecedenti, nega consequentiam: Ex eo enim quod effectus necessarius causæ necessariæ esset & non esset, non infertur quod effectus causæ liberæ esse posset. Vbi aduerte discrimen inter id quod procedit ex Deo præcise, & id quod procedit ex Deo effectus. Primum non verificat *est, & non est*, quamuis sit æque æternum ac principium a quo procedit; secun-

cundum, in hypothesi in qua æque esset æternum & necessarium ac suum principiũ verificat: *est & non est effectus* ob rationem adductam; quia videlicet per eandem hypothesim per quam supponitur effectus, supponitur quid contingens, & per hoc quod supponatur necessarius, supponitur non contingens.

Resp. 2. conc. ant. neg. conseq. Supponere Deum causam necessariam est supponere chimeram: quod ad rationem causæ necessariæ in Deo sequentur necessaria æternitas in mundo: est quod ad vnam chimeram sequatur alia chimera: ex hoc autem quod ad chimeram sequatur chimera male infertur quod ad non chimeram possit sequi chimera, quod tameen accideret si ex æternitate causæ liberæ sequeretur posse esse æternum effectum. Hæc responsio pluribus satisfacit.

Ad confirmat. Dist. vnicum discrimen inter causam necessariam veram, & causam liberam, est quod &c. conc. inter causam necessariam chimericam, & liberam: nega. Causa necessaria per rationem æternæ, & causa æterna per rationem necessariæ contrahitur ad chimeram: cum causa æterna quæ est causa prima, sit essentialiter libera. Cum igitur solum necsearietas chimerica in ferat creatura æternam libertas vera non infert eiusdem possibilitatem. Ratio est quia prędicta necessarietas esset non solum ad effectum, sed ad à ternitatem effectus: libertas autem est ad effectum quidem non

non auttem ad æternitatem effectus; vt dictum est.

Dices. Est possibilis duratio creata indiuisibilis & permanens, sed si hæc est possibilis, est possibilis æterna, ergo est possibilis duratio creata æter, g datur in causa prima libertas non solum ad effectum, sed etiam ad æternitatem effectus. Mai. prob. 1. petendo vt assignetur repugnantia 2. à pari non repugnat vbicatio indiuisibiliter occupans locum diuisibilem, qualis à multis ponitur vbicatio substantiarum spirtualium; ergo neq; duratio diuisibiliter occupans tempus diuisibile 3. est possibilis duratio ita essentialiter affixa tali tempori imaginario; puta crastino, vt implicet ipsam poni nisi in tali tempore: ergo est possibilis duratio ita essentialiter affixa tanto tempori imaginario: puta tempori horario, vt implicet ipsam destrui nisi post tantum tempus; 4. non est contra perfectionem diuini dominii quod vbicationem essentialiter bipalmarem nequeat restringero ad semipalmū, neq; quod detur aliqua vbicatio essentialiter palmaris, ergo neq; est contra eandem perfectionem quod durationem essentialiter horariam nequeat contrahere ad semihoram, neq; quod detur aliqua duratio essentialiter horaria. 5. creatura indefectibilis solum ex suppositione quod sit, non inuoluit contradictoria, quia simpliciter posset non esse, adeoq; esset perfectè subiecta dominio Dei; ergo à fortiori non inuoluit contradictoria creatura solum ex suppositio-

tione, insuper solum ad tempus indefe- ctibilis. Cofirmatur 1. quia visio beatifica cerficat Intellectum Beati de sui perpetuitate: ergo est essentialiter indefectibilis & æterna: vnde & dicitur vita æterna. Confir. 2. Reuelet Deus Petro aliquid, & simul se actum fidei quo sibi credet in æternum conseruaturum. Hoc posito talis actus fidei ex suppositione quod sit, est esentialiter indifectibilis: nam ex suis principiis intrinsecis, videlicet ex eo quod sit adæsio authoritati diuinæ reuelanti ipsum numquā defecturum, habet non posse deficere, ergo aliqua creatura potest ex suis principijs intrinsecis & esentialiter, ex suppositione quod sis, esse semper, itaut implicet ipsam deficere.

Probatur iam Min. primi syllogismi: quia in duratione indiuisibili & permanente æterna non reperitur ratio infiniti: ergo non est cur dicatur impossibilis. Ant. prob. quia non constat partibus non tot quin pluribus æqualibus vni certæ &c.

Resp. 1. trans. mai. neg. min. Ad prob. nega antec. ad cuius probationem dic de ratione infiniti diuisibilis esse quod constet partibus non tot quin pluribus modo alibi explicato, non communicantibus, æqualibus vni certæ &c. non autem de ratione infiniti vt sic. Si intēsio caloris constat gradibus homogeneis, vt probabiliter multi, illa intensio est infinita quæ gradibus constat non tot quin pluribus æqualibus primo, non communicantibus &c. si hætero-

ge-

geneis, vt etiam probabiliter multi, illa etiam intensio esset infinita quæ haberetur per vnicum indiuisibilem, quo æque calefieret subiectum ac illis innumerabilibus. Diuina æternitas quæ proculdubio est infinita non constat partibus.

Quemadmodum autem retrocedendo per omnia tempora possibilia, quibus ex nostro modo concipiendi imperfecto diuinam æternitatem ante omnia tempora meditamur numquam inuenis initium, & propterea dicitur infinita à parte ante: ita etiam in duratione ab æterno retrocedendo per omnia tempora possibilia non inuenires initium, adeoque esset & ipsa infinita a parte ante. Hoc autem genus infiniti non minus repugnat in creatis quam illud quod alibi impugnauimus. Ratio est quia est de essentia creaturæ esse ex nihilo non solum radicaliter, quatenus potuerit non esse, sed formaliter, quatenus in aliquo tempore possibili non fuerit, & à non esse transierit ad esse. Quod autem in nullo instanti possibili non fuit, hoc est quod nunquam non fuit, non transiuit à non esse ad esse. Vbi aduerte transitum hunc à non esse ad esse esse essentialem omni creaturæ quæ fiat siue pær creationem, siue per generationem, siue quocumque alio modo. Vnde omne creatum siue omne factum est ex nihilo sui, cui quod per creationem fit superaddit esse ex nihilo subiecti. Est igitur de ratione æternitatis diuinę ità supercompręhendere omnem durationem creatam, vt quemadmo-

admodum nulla creatura potest ita esse vltima vt nequeat post ipsam alia & alia creari; sic etiam nulla ità possit esse prima, vt nulla ante ipsam intra eandem indiuisibilem ęternitatem creari potuerit.

Resp. 2. neg. mai. ad 1. probat. dic esse contra rationem durationis createę esse simul prius & posterius. Nam SS. Patres, vt videre est apud Boet. lib. 5. prosa vlt. August. lib. 11. Confess. c. 14. & alios, sentiunt esse proprium ęternitatis diuinę quod vnico indiuisibili instanti quod ipsa est, sit indiuisibiliter esse, fuisse, & futurum esse respectu nostri quamuis in ipsa nihil sit nisi esse, non autem fuisse & futurum esse cum in ipsa non sit prius & posterius. Hoc autem durationi createę conueniret, si esset indiuisibilis & premanens. Da durationem huiusmodi Michaeli quę sit indiuisibiliter mille anni: hac posita impossibile est Michaelem non esse pręsentem mille annis quos vno suo indiuisibili instanti simul compręhendit: adeoque si fingas Deũ velle illum destruere, & destruere de facto post centum anno; fingis ita destrui post centum, vt simul duret per alios nongentos. Nam illa sua indiuisibili duratione presens est alijs noxgentis.

Ad 2. vbicatio indiuisibiliter occupans locum diuisibilem potest in quolibet instanti non occupare, quia potest à Deo destrui: duratio vero occupans indiuisibiliter horam neque in secundo neque in vllo alio instanti illius horę cui ęquiualet, &

do: posses admissa hypothesi dupliciter respondere; 1. quod talis actus fidei etiamsi essentialiter sit duraturus in æternum, non tamen esset sibi sua duratio: sed per durationem successiuam æternam duraret. 2. quod etiamsi esset sibi sua duratio, tamen in æternum fluet, & semper erit vnus per continuationem, non per indiuisibilitatem adeoque in ipso erit prius & posterius, & consequenter non erit duratio permanens.

Atque vt eo reuertamur vnde digressi sumus. Hæc propositio *Causa libera creatiua mundi est ab æterno* potest dupliciter intelligi. Primo itaut prędicta causa sit sibi sua æternitas, & in hoc sensu est vera, hac autem æternitate, qua ipsa æterna est, tam implicat quicquam aliud ab ipsa esse ęternum, quam aliud ab ipsa esse ipsam, & consequenter nequit vllo modo intelligi libera ad effectum æternum hac æternitate. Secundo; itaut ipsi causæ per se ipsam æternæ confluat æternitas quædam, sicut v.g. Homini centenario confluunt centrum anni ab eodem distincti: & in hoc sensu causa creatiua Mundi non est ab æterno, nisi syncategorematice: quod nihil aliud est nisi in tempore retro acceptibili, & possibili esse cum æternitate diuina: esse semper vlterius & vlterius procedendum, & in hoc sensu potuit Mundus esse ab æterno. Hoc secundum genus ęternitatis multi imaginantur in Deo, dum dicunt Deum esse ab eterno: si li *ab æterno* sumant categorematicè falsum dicunt. Si autem hoc

hoc genere æternitatis esset ab æterno, non solum esset possibilis, sed daretus de facto cractura æterna. Cum autem alio dumtaxat genere æternitatis æternus sit, cum implicet aliud ab ipso esse eadem æternitate ęternum: nec ipse intelligi potest liber ad quicquam faciendum hac æternitate æternum. Causa necessaria ęterna, si fingatur æterna ęternitate quæ sit ipsa, nec ipsa necessario hac æternitate quicquam faciet æternum. Si autem ætarnitate distincta, iam in ipsa hypothesi ponitur quid ęternum & factum. Deus autem nec est, nec esse potest æternus æternitate à se distincta, quamuis ad æternitatem syncategorematicè ac certam sit potens. Hanc æternitatem appellant dum dicunt. *Quanqocumque, quotiescumque est causa adæquata Mundi: potest esse Mundus*; quæ vera sunt, quia; vt dictum est supra, per huiusmodi particulas appellantur quęlibe instātia possibilia ante quælibet alia. Qui Deum fingit causam æternam necessariam in agendo. fingit eo ipso æternum æternitate à se distincta, & consequenter fingit ęternitatem factam: & ab ea quę necessario est in tali hypothesi, infert possibilitatem eiusdem In hypothesi vera: in qua non datur hoiusmodi ęterniras,

Quod si supponas causam ęternam necessariam non dicentem vllam æternitatem creatam, sicut v.g. datur principium necessarium æternum non dicens vllam ęternitatem creatam? puta Pater æternus principium

cipium Filij; facis hyppothesim destruentem se ipsam. Pater æternus est principium filij non dans illi æternitatem distinctam ab ea qua Pater ipse æternus est, causa autem in ratione causæ dicit rem à se distinctam cuius causa est: & causa necessaria ęterna, æternitatem à se distinctam cuius causa est, & hoc dicit formaliter in hypothesi causæ necessariæ ęternę.

Ad ea quæ dicta sunt replicabis; ratio effestus necessarij non tolit rationem contingentis, ergo etiamsi à causa necessaria ęterna procederet effectus, adhuc ille effectus esset contingens. Antecedens probatur: quia per hoc quod à Sole necessario procedat lux, ab igne calor, & sic de cæterisnon tollitur contingentia à luce, à calore, aut à cęteris, ergo ratio contingentis stat cum ratione effectus necessarii.

Resp. dist. ratio necessarij secundum quid, non tollit rationem contingentis: concedo antec.necessaris simpliciter, nego antec.& conseq. Ad probationem eodem modo distingue consequens. Effectius necessarij causę contingenter existentis duplicem habent contingentiam, Prima contingentia est in contingentia causę, puta lux quę est à Sole est à cause necessaria, non tamen a causa necessario existente, & consequenter lux ipsa non existit necessario simpliciter sed solum ex suppositione solis quę suppositio est contingens. Secunde contingentia est in subordinatione ipsius met et causę necessarię alteri causę superiori

&

& liberæ, que volente causa creata operatur, nolente non operatur, & quia causa illa superior libere omnino coucurrit vel suspendit concursum cum causis creatis, ideò liberè omninò, libertate causæ superioris, est vel non est effectus causæ creatæ. Hoc autem est esse contingenter

Neutram ex istis contingentiis haberet effectus necessarius causæ simpliciter & absolute necessariæ. Eo enim ipso quod causa necessario simplliciter est, caret prima & ex eo quod nulli subordinetur, caret secunda contingentia effectns. Deus autem & necessario est & nulli subordinatur vt superiori, adeoque effectuse Dei nequit habere contingentiam in contingenti existentia suæ causæ: Deus nulli cause superiori subordinatur, & consequenter effectus Dei nequit habre contingentiam in libertate dominante cause a quo procedit. Hęc omnia clara sunt intelligenti.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Expediuntur cætera de æternitate Mundi.

DIctum est supra quod si mundus esset ab æterno daretur infinitum categorematicum. Contra hoc sic arguitur. Per hoc quod Mundus futurus sit in æternum non sequitur infinitum categorematicum: ergo per hoc quod Mundus fuisset ab æterno non sequeretur infinitum categorema-

maticum. Probatur antecedens: quia de facto admittitur creatura duratura in æternum, nec tamen admittitur infinitum categorematicum. Probatur iam consequentia primo; quod duratio per æternitatem futura saluatur per solam infinitatem syncategorematicam; ergo etiam duratio per æternitatem preterita saluari potest per solam iufinitatem syncategorematicam. Secundo. Ideo æternitas à parte post non infert infinitatem categorematicam quia qualibet collectione accebta dierum futurorum accipitu quid finitum, & plura alia finita in infinitum remanent accipienda: sed idem accideret in ętenitate a parte ante, dierum præteritorum; ergo non magis vna quam altera poneret infinitatem categorematicam.

Res. discrimen inter æternitatem à parte an te & ætetnitatem à parte post, Iam alibi fuisse indicatum. Nulla est collectio dierum quæ sit tota collectio dierum fluentiumin æternitate à parte post; adeoq; dies futuri per totam æternitatem non sunt acceptibiles per modum vnius collectionis. Hinc non ess assignabilis vlla dies intra totam æternitatem futuram in qua verum sit: *fluxerunt dies non tot quin plures*; est enim de essentia æternitatis futuræ vt post omnes qui fuerint; futurus sit alius, adeoq; semper alius & alius sit in potentia. De diebus antem ætenitatis præteritæ non idem dices cum enim omnes actu fuerint, sunt acceptibiles per modum vnius colle-

ctionis : nec est necesse vt præter eos qui fuerint, sint alij & alij in potenria ; & consequenter de ijs qui fuerunt potes dicere ; *isti sunt omnes qui fuerunt ;* in ęternitate autem futura non potes accipere de quibus dicas *isti sunt omnes qui erunt*. Ex his patet ad argumentum, Concedo antecedēns; nego consequentiam. Ad probationem nega maiorem. Ratio cur æternitas futura ponat infinitum solum syncategorematicum, pręterita autem categorematicum ; est ; quia futura numquam tota elabetur, præterita autem iam tota elapsa esset. Cæterum etam in præterita possent accipi plures & plures collectiones finitæ in infinitum : sed super posset accipi per modum vnius, collectio dierum, in qua reperiretus prædicta infinitas. Ibi aduerte hanc propositionem circa æternitatem futuram esse necessario veram : *præter omnes dies qui erunt, nessario aliquis alius erit*: non autem fore veram hanc circa ętarnitatem præteritam ; *præter omnes dies qui fuerunt, necessario aliquis alius fuit*. Est etiam verum ; *præter omnes dies atne possibiles, necessario aliquis alius est possibilis*, vnde infinitas syncategorematica communis est diebus futuris & diebus ante possibilibus, non autem diebus futuris, & diebus præteritis.

In probatione superius ab Aduersario possita est etiam falsa minor, quod videlicet in æternitate præterita quæcunque collectio accipiatur accipitur quid finitum; tum

duia

quia poteſt accipi per modum vnius collectionis tota ipſa æternitas; tum quia etima partes proprortionales puta dimidia, tertia, quarta, alia huiuſmodi multitudinis infinitæ, ſunt etiam infinitæ. Da enim tertiam infiniti non eſſe infinitam & dabis multitudiem infinitam conſtantem tribus multitudinibus finitis; adeoque infinitum per ablationem finiti abſumptibile. Hoc idem non inuenies in æternitate futura, cuius nulla pars eſt dimidia, nulla tertia, nulla quarta. Quamcunque enim dierum multitudinem aſſignes intra ęternitatem futuram, numquam verũ erit, *poſt tot alias æquales multitudines, elapſa erit tota æternitas*. Ratio diſcriminis eſt eadem quę ſupra. Collectio quæ tota eſt actu, ſeu tota acceptibilis eſt, eſt etiam in ſuas partes proportionalis diuiſibilis: ſecus quæ tota nequit accipi.

Obijcitur iterum. Ratio æterni non pugnat cum ratione creati; ergo poteſt dari cratura æterna. Sermo eſt de æterno non ſyncategorematice ſed categorematice. Antec. probatur; quia non eſt de conceptu ęterni eſſe quid increatum. Confirmatur; quia ad huc ęternitas creaturę eſſet infinite infra ęternitatem diuinam: primo. quia eſſet contingens, illa neceſſaria: eſset dependens: illa independens &c.

Reſp. idem argumentum mutatis terminis retorquendo. Ratio immenſi, ratio omnipotentis non pugnat cum ratione creati: ergo poteſt dari creatura immenſa. crea-

tura omnipotens. Antecedens probatur; quia non est de ratione immensi, de ratione omnipotentis esse increatum; confirmatur; quia adhuc immensitas & omnipotentia creata discrimanaretur ab omnipotentia & immansitate diuina, illa enim esset contingens, cum hęc sit necessaria, illa dependens, hęc independens &c.

Huic retorsioni facilius est satisfacere ex capite omnipotentię quam ex capite immensitatis, Clarius enim apparet rationem omnipotentis non stare cum rotione creati, quam rationem immensi. Creatum in suo conceptu formali est dependens: nam esse creatum est esse ab alio; esse autem omnipotens dicit esse independes. Quod enim non potest existere sine alio nec nisi alio, non dicitur esse omnipotens. At vero ratio creati in suo conceptu formali pręscindit ab esse in vno vel pluribus vel omnibus locis.

Posset tamen etiam in instantia persisti adhuc ex capite omnipotentię. Nam etiam secunda Persona est ex prima, & tertia est ex prima & secunda; Filius enim est à Parte, Spiritus Sanctus ex patre filioque procedit: & tamen æque Filius ac Pater. &c. est omnipotens. Item vna Persona diuina nequit ess sine alia, nec propterea non est omnipotens. Verum quidem est hic etiam dari disparitatem; nam illa creatura non posset esse sine alio, quod est quid distinctum seu res distincta ab ipsa. At vero persona non est res distincta

ab

ab alia Persona. adeoque Patrem non posse esse sine filio est non posse esse sine eo, siue sine ea re, quę est realiter ipse. Hinc non est alia omnipotentia Patris, alia omnipotentia Filij: esset autem alia omnipotentia creaturę alia creatoris. Potentia Filii quamuis Filius sit ex Patre non est omnipotentia dependens ab omnipotentia Patris, sed est ipsamet omnipotentia Patris, quod & de alijs huiusmodi attributis intelliges.

Resp. secundo non examinari hic an ratio creati pugnet cum creatione ęterni, de quo dictum est supra; sed an Mundus potuerit esse ab ęterno. Mundus enim non est quęlibet creatura, sed creatura successiue durans; adeoque ex hypothesi ęternitais inferens durationem diuisibilem in dies non tot quin plures, adeoque infinitam. Ex ijs qui hac in re nobiscum sentiunt sunt qui putent potuisse existere ab æterno aliquam creaturam durantem alio genere durationis, siue illa duratio fuisset distincta, siue indistincta à re durante. Ratio est quia in huiusmodi creatura non inueniebant infinitum illud categorematicum quod apud ipsos erat vnicum argumentum negandi ęternitatem Mundi. Hinc inuenies apud Autores quęstionem hanc diuisam in duas. Prima est an Mundus esse potuerit ab ęterno quoad successiua. Secunda an saltem quoad permanentia. Apud aliquos vtramq; partem assertam reperies, apud alios vtramque negatum, apud alios primam negatam, secundam assertam.

Obijcitur vltima Ariſtoteles, qui & Mundum poſuit ab æterno, & negauit infinitum categorematicum, ergo ex mundo ab ęterno non ſequitur infinitum.

Reſpondetur Philoſophum hac in re male philoſophatum, & hac reſponſione tota hæc quæſtio concluditur ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei.

FINIS.

INDEX RERVM.

A

Accidens reale. pag. 21. & seq. in quo differat a modali. 271. accidentia quale subiectum habeant in Eucharistia 663.
Actio quid sit. 334. an sit modus superadditus causæ & effectui. 331 an sit idē ac passio 334. an mere corruptiua implicet. 212. sitne vna Dei & creaturæ simul efficientiū. 342. an sit essentialiter alligata conditionibus 342. an sit perfectio agentis 338. an eadem actione ponatur vnio & forma. 399. an denominet agens subiectum in quo est. 340. an sit prior natura effectu 444. an actio eductium sit vnio accidentis ad subiectum. 294. & seq. an formæ substantialis. 296. & seq an possit esse violenta agenti. 314. quomodo dicatur instantanea. 314. & seq.
Actus entitatiuus & physicus quid. 93.
Agen creatum an agat ex abundantia. 338.
Appetitus elicitus & innatus 168. & seq.

Ap-

Apputitus materiæ ad formas substantiales. 169. & seq. an sit æqualis ad inæquales. 177. sub qua ratione respicit formas. 178. & seq. & 182. & seq. an sit etiam ad corruptas. 192. an sit conditionatus conditione per impossibile. 198.

Artis duplex acceptio 319. Ex parte artificis ibid. ex parte artefacti. 320. comparatur ars cum natura. ibid. an possit esse simul cum natura. 321. an mediate facere possit opera nateræ. 322. an aurum verum. 324. & seqq.

Atomistarum sententia exponitur. 15. & seqq.

B

Bonum quomodo moueat. V, Finis.

C

Causa efficiens quid sit 327 an causet per actionem sibi & effectiui supperadditam. 331. Causa finalis quid sit 443. eius claufalitas in actu primo 345. in actu secundo. 354. quinam eius effectus. 357. an amor finis sit effectus eiusdem. 355. an

causa finalis & eiusdem effectus se mutuo causent 357. causa passiua an suppleri possit à Deo. 360. & 402. an formalis ibid. causa idealis quid sit 366. an consistat in conceptu obiectiuo an in formal. 368. ad quod genus causæ pertineat. 375. causa per accidens, ibid. casus ibid. fortuna 387. fatum. 378. monstrum.ibid. causæ an bene diuidantur quadrifariam 477. aliæ diuisiones ibid. causa productiua vbicationis. 474. durationis 387.
Causalitas materiæ in formam. 382. causare per sustentationem quid sit. 384. & seqq. causalitas materiæ & formæ respectu totius. 391. & seq. mutua causalitas an repugnet. 341. & 343.
Coeffectus quinam sint. 468.
Cœlorum diuisio 736. An firmamentum sit solidum. ibid. an alij cœli sint fluidi. 737. an corruptibiles 740. an eiusdem materiæ cum sublunaribus. 744. & 746. an motus corporum cælestium possit desinere 750. an cœli sint animati. 754. an moueantur ab intrinseco 757. an corpora cœlestia sint perfectiora sublunaribus 747. an moueantur ab Intelligentjis. 764.
Conditio in quo differat à causa. 474. & seq. an aliqua sit à Deo insupplebilis. 359. an cognitio sit mera conditio ad causandum finaliter. 357. & 359.
Continuum Zenonicum. 668. Achilles contra Testudinem. 670. puntum additũ puncto, linea lineæ. 668. & seq. & 673. &

sq.

ſeq. an dentur morulæ in motu. 674. Indiuiſibilia diuiſibiliter locata. 678. Indiuiſibilia formaliter; & virtualiter diuiſibilia. 579 in infinitum. 681. Inſtantia an alia alijs maiora. 880. an continuum ſit in infinitum diuiſibile. 683. an conſtet minimi. 692. an in continuo partes ſint actu an ſolum potentia. 696. continum ſucceſſiuum an conſtet ex inſtantibus. 667. actiones quomodo dicantur inſtantaneæ. 706. & ſeq.

Compræhenſio dupliciter definitur. 186. ad compræhenſionem relationis tranſcendentalis an requiratur diſtincta cognitio omnium terminorum ibid.

Corpus naturale an conſtet atomis. 15. & ſeq. an ex materia forma ſubſtantiali. 32. & ſeqq.

Creatura omnium perfectiſſima. 609. an inter omnes creaturas poſſibiles & Deum mediet alia creatura. 612. ſit ne poſſibilis omnium imperfectiſſima. 617. an perfectiſſima in aliquo genere. 618. an ex illa inferatur poſſibilitas perfectiſſimæ ſimpliciter. ibid.

D

Diſtinctio modalis & realis. 102

Duratio rei duranti & tempori extrinſeco

an superaddita. 580. an in composito omnia durent vnica duratione. 585. an diuina æternitas sit mensura durationum creatarum secundum prius & posterius. 586. an possit creatura esse. & numquam esse. 587. an hæc propositio: *Deus est* consignificet tempus. 590. an potuerit esse creatura ante omne tempus 593. an repugnet duratio creata indiuisibilis & permanens. 741. & seqq. an ex eius possibilitate sequeretur possibilitas durationis creatæ eternæ, ibid.

E

Effectus simultanei. 468.
Essentia in rebus creatis an distinguatur ab existentia. 102.
Existentia quid sit. 114.

F

Finis variæ diuisiones. 344. an agentia intellectualia agant proter finem. 361. an etiam Bruta. ibid. an etiam non cognoscitiua. 362. agere proptes finem in diuersis duersum, 363. an Deus agat pro-

pter

pter finem. 365. V. causa.

Formarum diuisio. 367. Forma substantialis probatur 26. & seqq. & 39. quid sit 224. & seqq. an sit tota quidditas compositi. 227. Homo quomodo idem puer & senex. 232. & seq. an forma sit natura. 305. an fiat ex nihilo. 58. & seqq.

Fortuna. 377.

G

Generatio an æque proprie hominis ac equi. 399. per quid formaliter vnum ab alio denominetur genitum. 402.

I

Inclinationum varia genera. 316.

Infiitum quid sit. 605. quotuplex. ibid. cathegorematicum. 609. syncathegorematicum. 610. in magnitudine. 605. in perfectione. 608. an dentur partes in infinito 626. an aliquotę an aliquantæ. 628. Infinitum vtrinque terminatum. 631. duo infinita syncategorematica an possint inter se comparari. 636. & seqq. an omnes Angeli possibiles sint simul possibiles. 639

639. & ſeq. an valeat a diſtributiuo ad collectiuum. 641. & ſeq. an detur infinitum negationum. 642. & ſeqq. an ſit poſſibilis numerus maior omni finito. 647. & ſeq. Infinitum obiectiuè in mente Dei. 649. & ſeq. Infinitas ſecundum quid an ſemper dicat perfectionem. 190. & ſeqq.

L

Locus quid ſit, 493. quid dicat determinatè quid indeterminatè. 495. loci proprietates. ibid. alius proprius, alius communis. 496. locus an ſit in loco. 497. an mundus ſit in loco. 500. res an ſint in loco per vbicationem ſibi & loco extrinſeco ſuperadditam. 528. poſſitne aliquid eſſe & nullibi eſſe. 598.

Lux an ſit accidens. 24. & ſeq. quomodo propagetur. 25

M

Materia diuiditur in primam & ſecundam. 56. prima quid ſit. 75. & ſeq. & . 79. an detur. 55. & ſeq. 55. & ſeq. an ſit

in-

ingenerabilis & incorruptibilis 82. & seq. an sit perfectior forma substantiali. 88. & seq. an sit pura potentia. 92. & seqq: an habeat suum actum entitatiuum. 94. & seq. an actum Physicum. 94. & seq. an existat per existentiam formæ. 100. & 145. in suppositione distinctionis interessentiam & existentiam. 138. an habeat potentiam ad formas sibi superadditam. 154. an' sit proprie potentia & mataphorice appetitus. 177. & seq. an sit vna omnium sublunarium. 162. an implicaret implicante qualibet forma. 195. & seq. an homo ex alia materia esset proprie homo. 226. an materia possit naturaliter spoliari omni forma substantiali. 211. an supernaturaliter. 214. an sola materia causet vnionem 393. discrimen inter materiam & formam in causando. 401.

Motus. 477. variæ species motus; 481. an aliquis motus instantaneus. 479. à quo specificetur motus 482. possitne subiectum diuisibile simul moueri ad oposita. 485. an etiam indiuisibile. ibid. an idem corpus diuersis motibus secundum locum. 488. an eadem sit oppositio qualitatum & motuum ad ipsas, 489.

Mundus an vnus. 724. an perfectus. 726. an possint fieri plures mundi. 725. moles terraquea an rotunda. 728. Inter cælum & terram quæ medient. 730. aeris regiones, ibid. an detur sphæra ignis.

ibib. mundi ſyſtema Copernicanum. 732. Ptolemaicum. 736. verum, 737. Mundus an potuerit eſſe ab æterno. 765. & 769. an ante omnes creatura potuerit eſſe alla. 772. & ſeq. an libere mundus creatus ſit in tempore. 776. Quia ſi per hypotheſim impoſſibilem Deus eſſet cauſa ne. ceſſaria. 779. & ſeqq. an ratio æterni pognet cum ratione creati. 795: etiam ex ſuppoſitione durationis indiuiſibilis & permanentis. 783. & ſeqq.

N

Natura quid ſit. 299. & ſeq. an anima ſecundum præciſam rationem intellectiuæ ſit natura 307. ea ſecundum rationem taliter intellectiuæ. 308. An totum phyſicum ſit natura. 306. an corpos omnino immobile eſſet naturale. 307 naturali quid opponatur. 308.

Negationes & priuationes obiectiuæ an ſint aliquid. 238 & ſeqq. quomodo differant inter ſe. 243. an ſit entia abuſiua ſeu diminuta. 249 an decretum Dei. 233. quomodo cognoſcantur. 240. cœcus à natiuitate quomodo cognoſcat ſe non videre. 246.

Numeros alius numerans, alius numerabilis. 577.

Par-

P

Parallaxis quid ſit. 740. altitudo vel depreſſio Phœnomoni quì depræhendatur per ipſam. ibid.

Partes eliæ eſſentiales, aliæ integrales. 32. & ſeq. aliæ commnuicantes, aliæ non commuuicantec. 606. aliæ proportionales, aliæ determinatæ magnitudinis. ibid. aliæ aliquotæ, aliæ aliquantæ. 627 quomodo cauſent totum. 411.

Paſſio & actio idem. 334:

Penettatio corporum an rapugnet naturaliter, 501. an ſupernaturatiter. ibid.

Preſona quid ſit. 524. V. Subſiſtentia. Perſona humana an ſit concretum accidentale. 597.

Potentia materiæ ad formas. 154. V. materia.

Porentialitas an dicat imperfectionem. 198.

Principium quid ſit. 3. Principiorum diuiſio. ibid. Principium intrinſecum. 13. principia corpotis naturalis in ſieri. 35. in facto eſſe, ibid.

Prioritais variæ acceptiones. 437. & ſeq. prioritas naturæ quid ſit. 441. quibus nam cauſis conueniat ibid. & ſeq. prioritas naturæ mutua an repugnet. 446. & 448.

Priuatio an sit principium corporis naturalis in fieri. 35. an ptiuatio formæ antecedantis. 43. & seqq.

Q

Quantitas quid sit. 660. & seqq. an sit primum omnium accidentium. 663. an remaneat in Eucharistia quantitas Corporis Christi Domini. 664. & seq.

R

Replicario circumscriptiua an sit possibilis. 504. & seq. si lapis poneretur in duplici loco extra centrum quid contingeret. 517. & seq. corpos replicatum in ordine ad quid æquiualeat pluribus 525. an ad replicatioöem vnius extremi connaturaliter replicetur & alterum. 537. & seq. an repugnet vnum sine altero replicari, 540. An ipsum vbi sit replicabile. 546. an ex replicabilitate vbicationis sequatur replicabilitas durationis. 550.

Subsi-

S

Subsistentia, Suppositum & Persona quomodo differant. 414. an subsistentia consistat in modo posititiue superaddito naturæ singulari. 118.

T

Tempus. 683. an sit aliquid reale. 578. an consistat in actibus. ibid. Temporis mensura quænam sit. 579.
Totum an distinguatur realiter à partibus. 367. an causetur à partibus & quomodo. 414.

V

Vacuum quid sit. 558. an detur extra mundum, ibid. an repugnet. 559. & 561. In vacuo an fieret motus grauium & leuium. 570. an fieret motus huiusmodi in instanti. 575.
Vbicatio an sit replicabilis. 546. an

omnia in compoſito vna vbicatione vbicentur. 532. quænam ſit cauſo productiua vbicationis. 552. quando producatus vbicatio qua es hic. 552. V. Locus.

Violentum quid. 311. miſtum ſpontaneo. 317. Violenti acceptiones variæ 318.

Vnionum triplex genus. 266. & ſeqq. Vnio inter materiam & formam per quid habeatur. 267. & ſeqq. & 271. vnio accidentium abſolutorum cum ſubiecto. 294. & ſeqq. vniri facians vnum ſubſtantialis an poſſit eſſe accidens. 275. an ſit vna in compoſito. 283.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2005664

Digitized by Google

Digitized by Google